
SUMMARIUM CONSTITUTIONUM, DECLARATIONUM, ET ORDINATIONUM, PRO REGIMINE SACRI...

Pietro Martire Festa, Giovanni Battista Coccini





14
0
5

SVMMARIVM CONSTITVTIONVM, DECLARATIONVM, ET ORDINATIONVM,

Pro regimine sacri Ordinis Prædicatorum.


ADIECTIS PARTICVLIS PRIVILEGIORVM & Constitutionum Sedis Apostolicæ, necnon Decretorum Concil. Tridentini, ac sacrarum Congregationum DD. Cardinalium iuxta cuiuslibet Tractatus exigentiam.

ITEM SVMMARIVM CONSTITVTIONVM, ET Ordinationum emanatarum pro bonis moribus Monialium, ac Personarum tertij habitus sub cura eiusdem Ordinis existentium.

Collectum labore & studio P. Mag. F. PETRI MARTYRIS FESTI Vrceani, eiusdem Ordinis Professoris.

Nunc de nouo à multis erroribus expurgatum & auctum ex Capitulis generalibus Bononiæ anno 1615. & Vlyssipponæ anno 1618. celebratis.







PARISIIS,

Apud MICHAELEM SONNIVM, via Iacobæa, sub Scuto Basiliensi.

M. DC. XIX.

PERMISSV SVPERIORVM.

In quatuor partes eo ordine distributum, vt in prima, de Constitutionum editione, obligatione, duratione, mutatione, & dispensatione, de ædificiis, de Ecclesiis, & illarum cultu, & de viuendi forma Fratrum differatur. In secunda de diuersis Religiosorum statibus, gradibus, & officiis. In tertia de forma electionis canonicæ, de eligentium & eligendorum conditionibus, & quorumcumque Prælatorum institutione, auctoritate, & munere, simulque de quibusuis capitulis. In postrema de delinquentium Fratrum correctionibus, culpis, & pœnis.



BEATISS. PATRIARCHÆ
DOMINICO GVSMANO
HISPANO,
Ordinis Prædicatorum Institori, & Patrono.

FR. PETRVS MARTYR VRCEANVS
eiusdem Ordinis alumnus.

INDVXIT me ad hoc Summarium coadunandum, Sanctiss. Pater, multiplex ratio. Primùm quidem, quia in comitiis generalibus Romæ coactis anno 1608. commissum Patribus requiritur, vt studio eruditorum aliquot Patrum ex diuersis prouinciis selectorum illud conscriberetur, & publicaretur. Deinde quia ad R. Pater Vicarius generalis Ordinis tunc, nunc ob egregias eius virtutes, & multas res bene gestas, præcipuè in Sanctiss. Inquisitionis officio, Reuerendiss. P. F. Seraphinus Siccus Papiensis Ordinis tui Magister, & Moderator, monitis suis iampridem huic operi ad auxilium præstandum suasit; Demum vt quasi sine ordine dispersa, sub diuersis capitibus collecta, facilius quærentibus inuenta apparerent. Partes igitur Prouinciæ meæ vtriusque Lombardiæ qualis qualis ego sim agens hoc Summarium edidi. Edant & alij, vt tandem completum & perfectum prodeat ex pluribus, ad facilius mores Religiosorum tuorum componendos. Interim verò spem illam miram quam dedisti mortis hora te flentibus, dum post mortem promisisti te profuturum fratribus, imple, nos tuis iuuans precibus. Et qui tot signis claruisti

in ægrorum corporibus, nobis opem ferens Christi ægris medere moribus: Et mihi, qui tibi hos labores libenter offero in mei erga te obseruantiæ pignus, impetrare digneris ab altißimo D. Deo criminum remißionem. Amen.

SVPERIORIS FACVLTAS.

NOS Fr. Seraphinus Siccus Papiensis sacræ Theologiæ professor, & in Romana curia totius Ordinis Prædicatorum humilis Procurator & Vicarius generalis. Muneris nostri ratio expostulat, vt viros doctrina insignes morúmque integritate conspicuos, quos pro animarum salute, & religionis nostræ augmento, diù laborasse, & iugiter laborare dignoscimus, sincera dilectione prosequamur. Quare cum Ad R. Pater Fr. Petrus Martyr Vrceanus Magister nostræ Prouinciæ Lombardiæ, Ordinis præfati, typis committere exoptet Summarium Constitutionum, & Ordinationum Capitulorum generalium, ac aliorum Decretorum ad Ordinem nostrum attinentium, pro communi vtilitate Fratrum conditum, ac super hoc nostram requisiuisset facultatem, eius petitione annuere volentes, re prius participata cum Illust. & Reuerend. D. Cardinali de Aracœli, nostri Ordinis Magistro generali, præfatam licentiam libenter elargimur, dummodo dictum Summarium iuxta seriem nostrarum Ordinationum à duobus grauioribus Patribus accurate recognitum fuerit, iudicatúmque dignum vt in lucem prodire possit, seruatis omnibus quæ secundum decreta S. Conc. Trid. & Constit. Apostolicas super hoc editas de editione librorum & eorum vsu seruari debent. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Datum Romæ die 21. Ianuarij 1612.

F. Seraphinus qui supra manu propria.

Fr. Lucas Castellinus Fauentinus Mag. & Socius.

APPROBATIO OPERIS.

CVM nobis impositum fuerit, vt hoc opus cuius titulus est, Summarium Constit. Declarat. & Ordinat. &c. per Patrem Fratrem Petrum Martyrem Festum Vrceanum Mag. Ord. Præd. non leui labore compositum, ac diligentia collectum, prospiceremus, omnem curam & solicitudinem adhibere conati sumus, & nihil quod catholicam fidem & bonos mores lædere in minimo possit inuenimus, nec quod regulis postremi indicis librorum obstaret, quinimo gloriæ & honori religioni futurum esse existimamus, si typis excudendum traderetur, ac insuper profuturum non solùm religiosis Dominicanæ familiæ, quibus in hoc opere tales præfiguntur leges, quas obseruando coram Deo & hominibus laudabilem vitam agere possunt, verum etiam omnibus cuiuscumque Ordinis regularibus, cum iuxta præsens exemplar suas quisque moderari possit leges & mores. In quorum fidem manum propriam apposuimus.

Fr. Petrus à Florentiola lec. Theog. Prior S. Dom. Crem. Ord. Præd.

Fr. Io. Baptista à Sestula sac. Theo. professor, Prior S. Iacobi de Soncino eiusd. ord.

D. Hieronymus Creatius clericus Regularis de mandato Adm. R. P. Inquisitoris.

Attentis præfatis attestationibus imprimatur.

Fr. Desiderius Scalia Mag. & Inquisitor Cremonæ.

INDEX CAPITVM
PRIMÆ PARTIS.

CAPITA SECVNDÆ PARTIS.

CAPITA TERTIÆ PARTIS.

In annexo Summario, de Monialibus, & personis tertianis de pœnitentia B. Dominici nuncupatis, hęc summariè habes.

De Monialium ordinis cura religioni tradita, sublata, restituta. De illarum priuilegijs, exemptione, Constitutionibus, clausura, ædificijs, ianuis, fenestellis, cratibus, De ingressu in illarum monasteria interdicto, & concesso, De illarum exitu, De officio diuino ab eis persoluendo, De ieiunijs, vestitu, silentio, &c. De recipiendis, De numero præfigendo, De dotibus, De electione Præfectarum, & de pœnis delictorum.

De personis Tertiariis habes illarum institutionem, confirmationem, priuilegia, habitum, professionem, & mores.

De famulis fratribus inseruientibus notantur priuilegia cap. vltimo.

SVMMARIVM



SVMMARII
PARS PRIMA
DE ORDINIS PRÆDICATORVM Institutione, Confirmatione, & Præstantia.

De Constitutionum editione, obligatione, & dispensatione, de ædificiis & Ecclesiis, ac illarum cultu, & de moribus ac viuendi modo Fratrum.

De ordinis Prædicatorum Institutione, & Confirmatione.

CAPVT I.



NNO Domini 1203. tempore Pontificatus Innocentij 3. B. P. Dominicus Ord. Prædicatorum Magister, & institutor, natione Hispanus, de villa quæ dicitur Calaroga Oxomensis diœcesis, familia nobili Gusmanorum, vir scientia Dei plenus, vita sincerus, religione conspicuus, cæpit suum Ordinem mente concipere in partibus Tholosanis, si quidem eo tempore duodecim Abbates Ordinis Cistercien. cum Apostolicæ sedis Legato, missi sunt à Summo Pontifice ad eas partes, vt fidem Catholicam prædicarent, & hæretica venena Albigentium, quæ ea loca infecerant, pro viribus propulsarent: quibus de Hispania adiunctus fuit Dedacus Oxomensis Episcopus, & hic in comitatu suo habuit B. Dominicum. Post biennium autem redeuntibus ad propria D. Legato, Episcopoque Oxomensi, & aliis duodecim Abbatibus prædictis, B. Dominicus cum paucis sibi adhærentibus permansit ibidem, prædicationi, & hæresum impugnationi insistendo ferè per annos decem, vsque ad tempus Lateranensis Concilij, quod fuit cælebratum anno Domini 1215. sub eodem Innocentio 3. Profectus est autem vir Dei cum Fulcone Episcopo Tholosano ad dictum Concilium, Innocentiumque adiit, & petiit confirmationem Ordinis, qui Prædicatorum diceretur & esset,

cui non acquiescenti, nocte visum est in somnis Ecclesiam Lateranensem grauem minari ruinam, & ex aduerso virum Dei Dominicum occurrere, humerisque totam illam casuram fabricam sustinere. Quapropter vigilans, & visionem intelligens, petitionem S. viri admisit hilariter, & eum adhortatus est vt ad socios rediens, regulam aliquam approbatam eligeret, & rediens illicò confirmationem reportasset, Reuersus igitur ad fratres Tholosæ consistentes S. vir qui tunc erant numero sexdecim, eisque apud Prulianum conuocatis, inuocato prius spiritus sancti auxilio, vnanimiter regulam S. Augustini prædicatoris eximij, elegerunt, quasdam arctioris vitæ consuetudines assumentes, quas sibi per formam Constitutionum obseruandas statuerunt. Qua regula electa S. vir, Romam rediens Innocentium vita functum inuenit, & ab Honorio 3. loco Innocentij suffecto, confirmationem ordinis 1216. impetrauit sub his formis.

Honorius Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis, Dominico Priori S. Romani Tholosanen. eiusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, salutem, & Apostolicam benedictionem. Religiosam vitam eligentibus, apostolicum conuenit adesse præsidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito reuocet, aut robur sacræ religionis infringat. Ea propter vestris petitionibus annuentes, Ecclesiam S. Romani Tholosanen. in qua diuino mancipati estis obsequio, sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuentes, vt ordo Canonicus qui secundum Deum, & B. Augustini regulam in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Præterea quascunque possessiones, & quæcunque bona, quæ eadem Ecclesia in præsentiarum possidet iuste, & canonice aut in futurum Pontificum largitione, Regum, Principum aut fidelium oblatione, seu aliis iustis modis poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda nominibus. §. Locum ipsum in quo præfata Ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam de Pruliano cum omnibus pertinentiis suis. Villam de Cossenolio cum omnibus pertinentiis suis. Hospitale Tholosan. quod dicitur Arnardi Berardi cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam S. Trinitatis de Lobens cum omnibus &c. Decimas à Ven. Fratre nostro Fulcone Episcopo Tholosanen. de consensu capituli sui vobis pia prouida liberalitate concessas, &c. Datum Romæ apud S. Sabinam 11. Kalend. Ianuarij, indictione 5. anno incarnationis Domini 1216. anno pontificatus sui primo.

Alia breuior Confirmatio eiusdem Pontificis.

Honorius Episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Fratri Dominico Priori Sancti Romani de Tholosa, & fratribus tuis regularem vitam professis, & professuris salutem, & Apostolicam benedictionem. Nos attendentes fratres ordinis tui futuros pugiles fidei, & vera mundi lumina, confirmamus ordinem tuum cum omnibus castris, & possessionibus habitis, & habendis. Et ipsum ordinem, & possessiones ac iura sub nostra protectione, & gubernatione suscipimus. Datum Romæ apud S. Sabinam 11. Kalend. Ianuarij, indictione 5. anno incarnationis Domini 1216. anno pontificatus sui primo.

Ex Chronica, & priuilegiis ordinis.

De ordinis Prædicatorum nomine, & præstantia.

CAPVT II.

ORdinis Prædicatorum nomen congregationi nostræ fuit impositum ab Innocen.3. Qui dum literas scriberet B. Dominico existenti in partibus Tholosanis, imposuissetque scriptori vt scriberet hoc modo, Fratri Dominico,& sociis eius: statim reuocauit dicens, scribe Fratri Dominico, & cum eo prædicantibus. Inde paululum cogitans dixit, scribe, Magistro Dominico, & fratribus Prædicatoribus. Et ex tunc in curia, & extra,& vbique fuimus vocati fratres Prædicatores, quia os Domini sic locutum est, iuxta illud, Vocabitur tibi nomen, quod os Domini nominauit. Et ab Honorio 3. in confirmatione Ordinis, atque à Greg. 9. in bulla canonizationis S. Dom. confirmatum fuit, & antea à S. Patre nostro Dominico ardenti desiderio, lachrymosis precibus, & gloriosis meritis à Deo impetratum fuit, vtpote quia hic ordo re & nomine ad prędicandum institutus esse dignoscitur.

Est autem hic ordo cæteris ordinibus mendicantium præstantior ex multis rationibus. Primo ratione prioris institutionis,& confirmationis, quantũ enim ad sui exordium cæpit anno Domini 1203. nam eo anno D. Dominicus hospitem suum hæreticum Tholosæ ad fidem conuertit, postea vero ab Honorio 3. anno 1216. 11. Kale. Ianuarij, vt supra notatum fuit, cõfirmatus est,& S. Pater Bononiæ diem clausit extremum 1221. 8. Idus Augusti,& Reate fuit in Sanctorum numerum aggregatus per Gregorium 9. anno 1224. 8. Idus Iulij. Ordo autem minorum qui omnes alios mendicantes sine controuersia præcedit, cæpit sub B. Francisco in partibus Tusciæ 1207. Et fuit cõfirmatus ab Honorio 3. 1223. Et B. Franciscus obiit Assisij 1226. 4. Nonas Octobris,& fuit canonizatus per eundem Greg. 9. anno 1228. 17. Kalen. Augusti, ita notat Glosa. Io. Andreas, Ancharanus,& alij qui historias seculi contexuerunt.

Secundo ordo Prædicatorum aliis præstat ratione perfectionis, ille enim ordo qui essentialiter, & nominaliter ad illuminandum animas per officium prædicationis institutus est, aliis perfectior existit, quia prædicare, & docere sunt actus ex abundantia contemplationis procedentes, & maius bonum est contemplata aliis tradere, quam solum contemplari, sicut illuminare perfectius est quàm lucere, quia nedum sibi sed aliis etiam prodest. Inter Ordines autem solus Prædicatorum ordo, vtpote religioni Christi magis conformis, essentialiter ac nominaliter ad prædicandum constitutus dignoscitur, vt dictum est cap. præcedenti. Alij vero Ordines ex se instituti sunt, vel ad operationes exteriores, vel ad solam contemplationem, & si sunt aliqui ad prædicandum destinati, non habent hoc officium ex se & essentialiter sibi annexum, & ex institutione, sed per auctoritatem sibi commissum, igitur Prædicatorum ordo aliis præstantior est. Quæ ratio desumpta est ex S. Tho. 2. 2. q. 188. artic. 6.

Tertiò excellentior est præ ceteris Prædicatorũ religio propter maiorẽ discretionem, B. enim Antonius præposuit discretionem quæ omnia moderatur, vigiliis, ieiuniis, nuditati, & aliis austeritatibus, moderatur namque illa

vt ad debitum finem deueniri poſſit. Atqui obſeruātia religionis Prædicatorum cum maiori diſcretione ad finem in ea intentum ordinatur, quod ex eo patere poteſt, quia ad cōtinentiam ſeruandam, quæ eſt vnum ſubſtantialium votorum religionis, rationabilius, & efficacius ordinatur maceratio carnis, per abſtinentiam cibi, & potus; quæ pertinet ad famem, & ſitim, & per continuitatem ſtudij, vt ſit in religione Prædicatorum, quam per ſubtractionem veſtium quæ pertinet ad nuditatem, & frigus, & per opera corporalia, vt fit in alijs, igitur præſtantior eſt.

Excedit quarto religio noſtra alias religiones ratione paupertatis, cum ſit cōformior paupertati Chriſti, & Apoſtolorū, pro quo notandū eſt ex d. Tho. 22. q. 188. ar. 7. triplicem eſſe gradum paupertatis. Nam quædam paupertas eſt quæ nihil in particulari poſſidet, in communi tamen habet abundantiam diuitiarum, & poſſeſſionum, qualis eſt illa ordinum ordinatorum ad opera corporalia vitæ actiuæ, ſcilicet ad militādum, & hoſpitalitatem exercendam. Et hæc habet magnam ſolicitudinem annexam circa temporalia, quæ à contemplatione, vtpotè à fine paupertatis valde diſtrahit. Vnde Chriſtus luce. 18. dixit Martæ, Marta Marta ſolicita es, & turbaris erga plurima. Quædā vero paupertas eſt quæ nihil poſſidet in particulari, poſſeſſiones tamen ac facultates habet in communi non abundantes ſed moderatas, tum rerum mobilium, tum immobilium. Qui gradus paupertatis religionibus monachorū, & alijs quæ ad ſolam contemplationi ordinantur conuenit. Habet tamen hæc paupertas aliquod viſcoſitatis propter ſolicitudinem temporalium, quæ contemplationi aduerſatur. Perficitur autem huiuſmodi paupertas magis, quanto minor erit temporalium ſolicitudo, quod accidit cum poſſeſſiones, & alia bona moderata ſunt, & non ſuperflua, ita vt vnius vel paucorum cura ſufficiat, & alij abſquè ſolicitudiue manentes diuinarum contemplationi liberius vacare poſſunt. Eſt vero alia paupertas tertij gradus, quæ nec in particulari nec in communi poſſeſſiones habet, poteſt tamen aliqua bona ex eleemoſynis collecta, in communi, & non in particulari conſeruare, tantū quantum poſſunt ſufficere ad victum, & veſtitum, pro tempore non prolixo. Quæ paupertas cum curam ſiue ſolicitudinem non exigat, & bona quæ vſu conſumuntur, vt vinum, granum, denarij, & huiuſmodi ad ſui amorem corda non rapiant, eſt maxime ab exterioribus expedita habens multum facilitatis & libertatis, vt animus iu Deum, & proximum feratur. Talis autem eſt paupertas ordinis Prædicatorum, qui vt dictum eſt ſecundum illius inſtitutionem, & Conſtitutiones ad contemplandum, & ad contemplata alijs tradendum per prædicationem ordinatus eſt. Talis etiam fuit paupertas Chriſti, & Apoſtolorum, qui pretia prædiorum conſeruabant, & ſubinde diſtribuebatur vnicuique ſicut cuiq; opus erat, vt dicitur Acto. 5. Et Chriſtus paupertatis inſtitutor ſuo exemplo hunc paupertatis gradū docuit, qui neceſſaria vitæ, cōgruo tempore congregrata conſeruabat, habebat enim loculos Iudæ commiſſos in quibus recondebantur, quæ ei in dies offerebantur, vt dicitur Io. 12. & ex his ſibi prouidebat, vnde Io. 4. dicitur, Apoſtolos in ciuitatē abijſſe vt cibos emerent. Labentibus temporibus, cum refriguerit charitas, & mendicantes abundauerint, ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ cepit religio no-

ſtra habere in communi poſſeſſiones, & redditus, vt infra notabitur cap. de poſſeſſionibus, & reddittibus non habendis, in tali tamen moderatione vt non ſufficiant pro victu, & veſtitu, ſed oporteat etiam ad fratum ſuſtentationem neceſſariam mendicare, remanentibus etiam conuentibus aliquibus in quibus prædicta paupertas Apoſtolica conſeruatur.

Præſtat quinto ordo Prædicatorum alijs ordinibus ratione maioris arctitudinis, & aſperitatis. Eſt enim arctior propter parcitatem cibi, & longiora ieiunia, non enim comedimus carnes niſi ratione infirmitatis, & ieiunamus à feſto S. Crucis menſis Septembris vſquè ad Paſcha Reſurrectionis. Alij vero mendicantes carnes comedunt, & ſolum ieiunant à feſto omnium Sanctorum vſquè ad feſtum Natiuitatis Domini. Excedit etiam in arctitudine Monachos, & Canonicos regulares, quia cum careāt poſſeſſionibus, cogūtur multas pati neceſſitates, in victu, & veſtitu, quas illi non patiuntur. Et ideo de iure cōmuni poſſunt monachi ad noſtram religionem tranſire, & non è conuerſo ob arctitudinem noſtram. vt tradunt, Io. Andreas, & alij Canoniſtæ.

Summi Pontifices etiam religionem hanc excelſis laudibus ornauerunt, nam Clemens 4. à quodam milite interrogatus, vt ſibi conſuleret quem de duobus ordinibus prædictis ſcilicet & Minorum eligeret, reſpondiſſe fertur his verbis.

Sciſcitaris, quem tibi ordinem, ex Prædicatorum, & Minorum ordinibus præeligendum eſſe declarem, id conſcientiæ tuæ relinquimus, magis enim tu ſcire potes vtriuſq; obſeruantias, quæ non ſunt pares, ſed in diuerſis excedentes ſunt, & exceduntur: Alterius quidem lectus eſt durior, veſtitus grauior, & vt quidam dicunt paupertas profundior; Alterius tamen cibus eſt parcior, ieiunia longiora, & vt nonnulli autumāt ſanctior diſciplina. Neutrum ergo alteri præficimus, ſed in vna, & arctiſſima paupertate fundatos, ad vnum tendere finem credimus, ſalutem videlicet animarum. Et ideo ſiue hunc, ſiue illum elegeris, arctam vitam ingredieris, & per portam introibis anguſtam ad terram melliſluam; ſic ergo vni iſtorum adhæreas, vt amore ab altero non diſcedas. Frater enim Prædicator reprobus eſt, qui Minores non diligit, & frater Minor eſt execrabilis qui Prædicatores odit, & contemnit. (Ex decl. c. de profeſſione.

Alex. 4. vt videre eſt in principio declarationum prologi, mira dicit de hoc ordine, maximè hæc.

Celeſtis agricola ſacrum Prædicatorum ordinem, quaſi lignum fertile in Paradiſo Eccleſiæ inſeruit, vt delectaret amenitate, vbertate ſaciaret, & fructuum ſuauitate mulceret. Hoc lignum imbre ſuperno irrigatum plurima poma profert, quorum odore, & ſapore conualeſcunt debiles, languoribus detenti liberantur, carnis infirmitatibus pergrauati pabulum ſalutis inueniant, & internam recipiunt ſoſpitatem, &c. Hæc eſt illa plantatio, quæ ramos ſuos vndique expandens flores honoris, & honeſtatis fructus profert & virtutis, & odorem conuerſationis longe lateque diffundit. Hic eſt ordo honeſtate floridus, præclarus ſcientia, virtute fecundus, conuerſatione purus, à ſede Apoſtolica merito approbatus. Huius ordinis fratres ſacrarum literarum ſtudio incumbunt, animarum profectibus diuinis officijs inceſſanter intendunt, prædicationi ardenter inſiſtunt, & lumen doctrinæ vbique diffundunt. Hæc & multa alia concinit prædictus ſummus Pontifex.

Ex hoc autem ordine multi prodierunt heroes, Qui pro fide ſanguinem

ſuum fuderunt, Qui mira ſanctitate micuerunt, Qui libros in fidei defenſione, & morum correctione ac ſacrarum literarum interpretatione ediderunt, Qui vniuerſalem Eccleſiam ſumma cum omnium lauda rexerunt, Patriachatus, Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus moderati ſunt, Qui lectionibus, & prædicationibus multos erudierunt, & in ſancta Dei Eccleſia laboratores extiterunt, de quibus volumina ingentia librorum prodierunt.

De vnitate cordium, & morum vniformitate potiſsimum ſeruanda.

CAPVT III.

ANte omnia, fratres cariſſimi, diligatur Deus, deinde proximus, quia iſta ſunt præcepta nobis principaliter data. Hæc igitur ſunt quæ vt obſeruetis præcipimus in monaſterio cõſtituti. Primum propter quod in vnum eſtis congregati, vt vnanimes habitetis in domo, & ſit vobis anima vna, & cor vnum in Deo. Lites, aut nullas habeatis, aut quàm celerrime finiatis, ne ira creſcat in odium, & trabem faciat de feſtuca, & animam faciat homicidam. Sic enim legitis, Qui odit fratrum ſuum homicida eſt. Quicunq; ergo conuitio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu, aliquem leſerit, meminerit ſatisfactione quantocius curare quod fecit, & ille, qui læſus eſt ſine diſceptatione dimittere. Si autem inuicem ſe læſerint, inuicem ſibi relaxare debita debent, propter orationes veſtras, quas vtique quanto crebriores habetis, tanto ſanctiores habere debetis. Melior eſt autem, qui quamuis ira ſæpe temptetur, tamen impetrare feſtinat, vt ſibi dimittat, cui ſe feciſſe agnoſcit iniuriam, quam qui tardius iraſcitur, & ad petendam veniam tardius inclinatur. Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, ſine cauſa eſt in monaſterio, etiam ſi inde non proijciatur. Proinde vobis à verbis durioribus parcite, quæ ſi emiſſa fuerint ex ore veſtro, non pigeat ex ipſo ore proferre medicamenta vnde facta ſunt vulnera. *Ex regula.*

Quoniam ex præcepto regulæ iubemur habere cor vnum, & animã vnam in Domino, iuſtum eſt, vt qui ſub vna regula, & vnius profeſſionis voto viuimus, vniformes in obſeruantijs Canonicæ religionis inueniamur, quatenus vnitatem, quæ interius ſeruanda eſt in cordibus, foueat, & repręſentet vniformitas exterius ſeruata in moribus. Quod profecto eo competentius & perfectius poterit ſeruari, ſi ea, quæ agenda ſunt, ſcripto fuerint commendata, ſi omnibus, qualiter ſit viuendum ſcriptura teſte innoteſcat.

Ex prologo Conſtitutionis.

Vnitas cordium, in his quæ Dei sunt secundum regulam nostram est in præcepto, sicut & cõmunitas rerum, & ideo tum circa vnitatem, tum circa communitatem rerum magna est adhibenda diligentia. Dicimur autem sub vno professionis voto viuere, quia sub vnius generalis capituli, & vnius Magistri ordinis obedientia regimur. Sicut enim vnitas Ecclesiæ, ex vnitate capitis pendet, ita vnitas ordinis ex prædictorũ vnitate oritur, quibus obedire tenemur. Et sicut ex voto professionis, tenemur castè sine proprio, & sub obediẽtia capitis viuere, ita & in exterioribus obseruãtijs, cærimonijs, ieiunijs, abstinentijs, & alijs statutis, ad ornatum, & decorem Canonicæ religionis, seu vitæ regularis vniformes esse debemus. Et ideo particulares consuetudines præter regulam, & Constitutiones sunt fugiendæ, & amputandæ.

In cap. de Certis detractionibus, & singularitatibus vitandis, hæc in proposito habentur.

Quicunque in nostro ordine inuenti fuerint singularem vitam, quocunq; modo vitiosam ducentes, & contra cõmunem modum viuendi diu ab ordine approbatũ, primo moneantur, & si admoniti, correcti non fuerint, separentur, & in diuersis conuentibus ponantur, Et si in eodem persistant, carcerali custodiæ mancipentur.

Ex decl. huius capitis habetur. Singularem, & vitiosam vitam ducunt, qui mercantias exercent, qui in arte alchimiæ student, & operantur, ad cartas & taxillos ludunt, sine socio per ciuitatem discurrunt, concubinas tenent, monasteria sine licentia intrant, habitum nostræ religionis non deferunt, vel occultant, venationibus, & alijs exercitijs religiosis prohibitis frequentissimè vacant. Et hi sunt qui carceri mancipandi sunt. Singulariter autem commendatur vniformitas, in missarum celebratione, Romæ 1569. & Venetiis 1592. Et in vestibus vt s. omnes sint de panno communi, Romæ 1580. Et ne angulis, vel plicis, & in debita magnitudine, Romæ 1601.

De constitutionum, & ordinationum nostrarum editione.

CAPVT IV.

VT multitudo Constitutionum euitetur, prohibemus ne de cætero aliquid statuatur, nisi per duo capitula generalia continua fuerit approbatum, & tunc in tertio capitulo immediatè sequenti poterit confirmari, vel deleri, siue per Prouinciales, siue per Diffinitores, vbicunque illud capitulum celebretur. Inchoationes, quæ fiunt in capitulis generalibus, non mandentur executioni vsque quo approbatæ fuerint per alia duo capitula, & factæ sint Constitutiones, nisi fortè illa inchoatio per modum ordinationis fiat. Interpretationes regulæ, & Constitutionum factæ in capitulo generali,

non habeant vim Constitut. nisi per tria capitula generalia continua, in modum aliarum Constitutionum, per viam inchoationis, & confirmationis continuatè, fuerint approbatæ.

Ordinationes tam capitulorum generalium, quàm Magistri ordinis, quoad vim præcepti, & censurarum ecclesiasticarum, cum ipsis expirare volumus. Vita vero capituli, vsque ad sequens capitulum durare intelligitur. Quoad reliqua verò quomodolibet per capitulum generale, & Magistrum ordinis facta, durare volumus, donec per similem potestatem fuerint reuocata. Excepto si quem Vicariarum ordinis instituisset Magister ordinis. Hunc enim volumus cum ipso expirare.

Ab inferioribus autẽ capitulis, & Prælatis, quomodolibet ordinata, cum ipsis (tanquam ab homine ordinata) expirare nolumus, exceptis Confessoribus tam monialium, quàm fratrum, Supprioribus, Vicariis monialium, & Magistris personarum vtriusque sexus tertij habitus, & officialibus Conuentuum absque iurisdictione. Hos enim volumus durare in sua potestate quam habent, donec reuocentur ab habente auctoritatem eos destituendi. Porrò omnes Prælati à multitudine præceptorum abstineant, ne laqueum animabus subditorum iniiciant, neque propter defectum vnius, vel paucorum, quem vel quos non audent corrigere, communitatem inuoluant. *Ex prologo Constitutionis.*

Nec Magister ordinis, nec aliquod capitulum, nec Prouincialis, possunt facere Constitutionem, sed hoc spectat ad tria capitula generalia continua, vel ad vnum capitulum generalissimum, quod æquipollet tribus capitulis generalibus continuis. Si tamen auctoritate apostolica aliquod in capitulo quocunque ordinetur, illud habebit vim, & robur perpetuæ ordinationis, vt patet in capitulo Romæ celebrato 1589. Possunt dicti Magister ordinis, & Prouinciales in omni capitulo facere ordinationes, quæ perpetuo durabunt, quousque reuocentur, & poterunt secundum ipsas fratres corrigere, & in ipsis dispensare ex rationabili causa. Ordinationes, & præcepta Magistri ordinis, & Prouincialium post eorum mortem, & amotionem in sua remanent roboris firmitate, quousque per eorum successores reuocentur. Et idem dicimus de gratiis per eosdem factis, exceptis dumtaxat exemptionibus quibuscunque, ex decl. prologi.

In cap. Romano 1589. declaratur censuras, & præcepta, tum capitulorum generalium, tum Magistri ordinis, cum ipsis omnino expirare, eorum tamen ordinationibus in suo robore manentibus, quousque reuocentur, quamuis contrarium haberi videatur in glosa Constitut. super prologo. Et verè glosa contrariatur textui in his, Dicit textus censuras, & præcepta à

Magistro

Magistro Ordinis, & capitulo generali facta, cessare cum illorum vita, vel amotione, glosa habet præcepta Magistri Ordinis etiam post mortem vel eius amotionem permanere, Imo id affirmat etiam de præceptis à Prouinciali factis. Textus dicit ab inferioribus capitulis, & Prælatis. s. à capitulis Prouincialibus, & Prouincialibus ordinata expirare cum ipsis tanquam ab homine lata: Glosa testatur, ea remanere in robore quousque per successores reuocentur. An autem censuræ, vel præcepta per tria capitula generalia continua lata, & confirmata durent tanquam Constitutiones, aut desinant si in sequentibus capitulis non confirmentur iudices Superiores sint. Aduerti tamen in cap. Romano 1608. confirmatam fuisse excommunicationem latæ sententiæ promulgatam in capitulo Neap. 1600. contra extrahentes à communi Bibliotheca libros, quæ tamen antea etiam confirmata fuerat in cap. Romano 1601. & Valleoletano 1605.

Ex decl. autem eiusdem prologi habetur, quod si in aliquo dicto regulæ, vel Constitutionum aliquod dubium occurrerit, stabitur declarationi capituli generalis vel Magistri ordinis, dummodo illa declaratio non contineat manifestum errorem, quia in dubiis sequenda est maiorum sententia, & obedientia excusat. Et omnis illorum declaratio quamuis non habeat vim Constitut. quia non habet tria capitula generalia, tamen à subditis seruanda est, & ideo textui Constitutionum additæ sunt declarationes. Valleoleti 1605. declaratur ordinationes, & præcepta Visitatorum permanere in sua firmitate, durante auctoritate illorum à quibus missi sunt.

De legum nostrarum obligatione.

CAPVT V.

VT igitur vnitati, & paci totius ordinis prouideamus. Volumus, & declaramus, quod regula nostra & Constitut. nostræ non obligent nos ad culpam, sed ad pœnam, nisi propter præceptum, vel contemptum. Præceptum autem in regula nullum (nisi quod de natura sua est trium votorum, vel diuinæ aut ecclesiasticæ legis) contineri volumus, & declaramus. Et idem in Constitut. nisi vbi ponitur sententia excommunicationis, aut formaliter exprimitur per verbum (præcipimus in virtute S. obedientiæ) Et hoc idem in ordinationibus & prælatorum verbis & literis intelligi volumus Pœnam excommunicationis, siue excommunicationis latæ sententiæ per nulla verba tàm in Constitut. quàm extra in nostro ordine intelligimus, nisi vbi explicitè & verbaliter pœna excommunicationis, vel excommunicationis latæ sententiæ exprimitur. Porrò Prælati non faciant præcepta obligantia ad mortale peccatum in ira exteriori, maximè contra subditos

turbatos, & si fecerint irrita sint, & inania, facta tamen valent quo ad quascunque pœnas temporales. Præcepta quoque in scriptis facta censentur sine ira facta. Nec faciant præcepta quieto animo, nisi in scriptis, extra necessitatis articulum, præter commune præceptum, quod fit à Visitatoribus in visitationibus, facta tamen tenent. *Ex prologo.*

Cum in statutis maximè sit attendenda intentio, & voluntas statuentis, & intentio, & voluntas eorum, qui nostras leges ediderunt fuerit, vt illæ non obligarent nos ad culpam, sed ad pœnam, sicut patet in secundo capitulo generalissimo celebrato Parisiis, in quo hæc Constitutio confirmata fuit. Idcirco transgressores illarum quando sunt pure Constitutiones, vel ordinationes .i. quando non habent præceptum annexum, vel alias lege diuina, aut humana prohibitæ, aut mandatæ non sunt, nõ obligant ad culpam aliquam, sed tantum ad pœnam taxatam in eis, vel taxandam per Prælatos, quam si facere recusauerint, non euadent culpam. Et quamuis pœna non debeat infligi nolenti sine culpa. ei tamen, qui voluntariè se obligauit ad aliquam pœnam, potest infligi pœna sine culpa. Tales autem sunt fratres nostri, qui voluntariè ex sua professione se obligant huic legi.

Huic proposito notanda est doctrina, S. Tho. 2. 2. q. 186. art. 9. vbi quærit, an religiosus semper peccet transgrediendo ea quæ sunt in regula, Et respondendo affert distinctionem hanc. Contenta in regula duplicia sunt, quædam vt finis regulæ, puta quando pertinent ad actus virtutum. Et horum transgressio quantum ad ea, quæ communiter cadunt sub præcepto, obligant ad mortale, quantum vero ad ea, quæ excedunt communiter necessitatem præcepti, non obligant ad mortale, nisi propter contemptum, quia contemptus contrariatur tendentiæ ad perfectionem, quam tendentiam debet habere religiosus. Alio modo continentur aliqua in regula, vt pertinentia ad exteriores obseruantias. Inter quas sunt quædam quæ cadunt sub voto suæ professionis, prout sunt paupertas, castitas, & obedientia, & pariter horum trium transgressio obligat ad mortale. Quædam verò sunt, quæ ordinantur ad hæc, & horum transgressio non obligat ad mortale, nisi propter contemptum, vt supra, aut propter præceptum, siue contentum in regula, siue oretenus à Prælato factum, quia hoc esset facere contra votum obedientiæ.

Et in responsione ad primum dicit, si aliqua religio est, quæ voueat seruare regulam intelligendum est, quod voueat seruare vitam regularem, quæ essentialiter consistit in illis tribus votis. Et ideo in aliis religionibus cautius religiosi profitentur, nam vouent non seruare regulam, sed viuere secundum regulam, i. tendere ad hoc, vt mores suos informent secundum regulam tanquam secundum quoddam exemplar. & hoc tollitur per contemptum. In quibusdam aliis adhuc cautius fit votum professionis, quia promittunt obedientiam secundum regulam, cui professioni contrariatur transgressio contra præcepta regulæ, aliæ vero transgressiones obligant tan-

tum ad veniale, quod est dispositio ad mortale. In alia vero religione. s. ordinis Prædicatorum adhuc cautius emittitur professio, quia licet promittant religiosi obedientiam secundum regulam, tamen transgressio, & omissio illorum ex suo genere non obligat ad culpam, siue venialem, siue mortalem, sed solum ad pœnam, quia secundum hunc modum se obligant ad illa seruanda. Qui tamen possunt venialiter, vel mortaliter peccare ex negligentia, vel libidine, vel contemptu.

Quid vero sit contemptus, & quid sit præceptum obligans ad mortale, dicetur infra parte secunda.

Ex decl. cap. de leui culpa. Non officit proposito, quod transgressiones religiosorum infra vocentur leuis, aut grauis, aut grauior, aut grauissima culpa, cum tamen tales transgressiones solum pœnam inferant. Ratio est, quia illa capita edita fuerunt in principio ordinis, & eo tempore transgressiones in dictis capitibus contentæ obligabant ad culpam, aut mortalem, aut certè venialem. Postea vero in cap. Parisius confirmata fuit hæc Constitutio, vt mandata nostra non obligarent ad culpam, Et ex tunc transgressio culpam non inducit, nisi antecedenter, aut consecutiuè. Antecedenter quidem si transgressio fuit ex negligentia, quia tunc incurrit culpam venialem, quam non incurrit si ex fragilitate, aut inaduertentia, aut ex obliuione id fiat: Et si fuit transgressio ex leui negligentia erit leuis culpa, si ex graui negligentia erit grauis culpa, si autem fiat ex malitia grauior erit culpa. Et ob hoc etiam capitulum quotidianũ dicitur capitulum de culpis, & debent fratres se accusare de culpis, quia transgressiones huiusmodi dicuntur culpæ antecedenter. Consecutiuè etiam culpæ vocantur, quia pœnam incurrunt, quæ non nisi pro culpis imponi solet, vel quia transgressor si pœnam non subit taxatam, vel taxandam, culpam non euadit, formaliter tamen siue essentialiter huiusmodi transgressiones culpæ non vocantur. Et quamuis etiam de delinquente in his quæ in capitulo grauioris culpæ continentur dicatur. Vt qui membrum diaboli culpam perpetiando non erubuit fieri &c. tamen Constitutio respondet per hæc verba.

Statuimus, quod tàm in Constitutionibus, quàm extra, quicquid non secundum se mortale mandatur sub quacunque pœna (nisi excommunicationis) ad solam pœnam obligat, non obstante, quod in cap. grauioris culpæ dicatur. Vt qui membrum diaboli, &c.

Ex decl. cap. de graui culpa. Quamuis in dictis capitulis de culpis contineantur multa, quę de se mortalia sunt, vt dicere opprobrium fratri, frangere ieiunia ecclesiæ &c. non tamen ideo culpa sunt, quia in Constitutionibus prohibentur, sed quia de se mala sunt. Et transgressor talium duplicem pœnam incurrit, alteram sacramentalem, quæ deleri non potest, nisi per sacramentum pœnitentiæ si sit mortalis, alteram ratione Constitutionis, quam peragere tenetur, quod si contemnit, nouam incurrit inobedientiam.

De legibus pœnalibus in ordine.

CAPVT VI.

STatuimus, quod tam in Cōſtitutionibus, quàm extra quicquid non ſecundum ſe mortale mandatur ſub quacunque pœna (niſi ſit pœna excommunicationis) ad ſolam pœnam obligat. Nulla quoque poteſtate in ordine noſtro in communi, vel particulari, aliquid ordinetur, vel prohibeatur, cum hac pœna, quod non poſſit abſolui à peccatis, quamuis tamen Priores poſſunt ſibi aliquos reſeruare caſus prout viderint expedire.

Pœnis abſolutionis ab officio, priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, grauioris culpæ, & aliis maioribus, quantumcunque tam in Conſtitutionibus, quam extra ipſo facto ſint incurrendæ (niſi ſit pœna excommunicationis) nullus ſit ſubiectus, niſi ſuperueniat declaratio Prælati in particulari reſpectu huius quantumcunque etiam notorium facti, vel iuris interueniat.

Prælati non damnent aliquem ad pœnas grauioris culpæ, vel carceris, niſi in iudicio confeſſum, aut conuictum, & in ſcriptis. Et ſi ſecus factum fuerit, totum ſit irritum, & inane. *Ex Prologo.*

Primæ particulæ huius Conſtitutionis obſtare videtur, quod habetur in declarationibus cap. de Nouitiis, vbi traditur, quod religionis peccat moraliter contra votum obedientiæ, quando ei aliquid à Prælato mandatur ſub pœna carceris, aut grauioris culpæ, quod eodem loco etiam repetitur. Et multi doctores tradunt, quod quando aliqui mandato apponitur grauis pœna, puta mortis, aut mutilationis membrorum, ſiue amiſſionis omnium, aut maioris partis bonorū ſuorum, aut etiam infamiæ, tenetur tunc obedire ſub pœna peccati mortalis. At vt dictum fuit in his attēdenda eſt intentio, & voluntas condentis legem, qui poteſt cū talibus pœnis intendere non obligare ad peccatum. Et cum noſtra Conſtitutio expreſsè intendat non obligare ad mortale per quamcunque pœnam appoſitam legi, niſi ſit pœna excommunicationis, non video quomodo in tali caſu timendum ſit de peccato mortali: Imo crederē, quod ſi aliquid præciperetur ſub pœna ſuſpenſionis interdicti, ac etiam irregularitatis non ob hoc tranſgrediens mortaliter peccaret, tum quia ſola excommunicationis pœna excipitur: tum etiam, quia de ſuſpenſione dicit textus nullum ei obnoxium eſſe per quamcumque tranſgreſſionem, niſi declaretur in particulari. Interdictum autem & irregularitas aliquando ſine culpa imponuntur.

Exigitur autē in pœnis prædictis declaratio Prælati in particulari, niſi delinquens ſeipſum declaret, quod & facere debet humiliter cognoſcens defectum ſuum ſi factū eſt publicū, vel notorium. Si.n. ſeipſum declarat nō opus erit alia Prælati declaratione. Nullus tamen Præſidens poteſt declarare ſe.

ab officio absolutum, propter quamcunque transgressionem admissam.

Romæ 1589. Nullus debet excludi à quacunq; electione prætextu alicuius delicti, nisi sententialiter sit condemnatus, & per sententiam voce priuatus, quamuis ad electionem non debeat admitti ille, de quo manifestum est, eum incidisse in excommunicationem, vel commisisse delictũ per quod reuera in excommunicationem inciderit. Valentiæ 1596. Declaratur pœnas omnes priuationis in nostris Constitutionibus contentas, quando adest clausula (ipso facto) sola facti declaratione incurri, ita vt non possit iudex ipsas minuere in sententia ferenda.

De promulgatione Constitutionum nostrarum.

CAPVT VII.

CONstitutiones nostræ, competentius, & perfectius seruari poterũt, si scripto fuerint commendatæ, si omnibus qualiter sit viuendum scriptura teste innotescat. *Ex prologo.*

Vt autem vos in hoc libello tanquam in speculo possitis inspicere, ne per obliuionem aliquid negligatur, semel in septimana vobis legatur. Et vbi vos inueneritis ea quæ scripta sunt, facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori. Vbi autem sibi quicunque vestrum viderit aliquid deesse, doleat de præterito, caueat de futuro, orans, vt sibi debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. *Ex regula.*

D. Th. p. 2. q. 90. art. 4. tradit promulgationem cuiuscunque legis necessariam esse, nam cum lex sit quædam mensura, siue regula, & hæc applicari debeat regulandis, & mensurandis, ita oportet legem hominibus applicari, & hoc fit cum per publicationem in notitiam hominum deducitur. Hæc autem notitia deducitur in publicum per scripturam, & per lectionẽ, vtrunque autẽ supra tangitur, nam Constitutio dicit, vt obseruanda in scriptis redigantur, & S. Augustinus præcipit, vt regula sua qualibet septimana legatur.

Ex decl. cap. de solemni celebratione capituli. In quolibet Conuentu sit vnus quaternus, in quo singulis annis ordinationes, & acta capituli generalis, & prouincialis scribantur, & quater in anno legantur, & non deleantur nisi reuocentur. Et mandatur Diffinitoribus capituli generalis, & socijs Priorum, vt acta capitulorum integra ad suas prouincias siue Conuentus deferant, & eas Priores scribi, & legere faciant, vt supra, & etiam omnem adhibeant diligentiam vt à fratribus seruentur.

In cap. etiam Bonon. 1564. statuitur, vt in omnibus Conuentibus, bis aut ter in anno legantur Constitutiones in mensa, & Barch. 1574. dicitur, quod hæc lectio Constitutionum inseratur lectioni mensæ, ita vt quolibet die legatur lectio vnius capituli Constitu. cum declarationibus, & actis, siue ordinationibus subsequentium capitulorum. Et hoc etiam fuit confirmatũ Romæ 1580. Et Romæ 1589. admonentur Prælati, vt singulis diebus in re-

fectorio particula aliqua Constitutionum legatur clarè, & distinctè. Et in fine omnium capitulorum generalium mandatur, vt eorum acta publicentur coram toto Conuentu quater in anno, & conseruentur, cum alijs, & earum copia apud Priores seruetur, & altera apud Magistros nouitiorum: Ita dicitur in particulari Romæ 1601. Et Romæ 1608. additur, vt tertia copia in communi deposito seruetur.

Et in decl. prologi in fine dicitur, Imponimus omnibus Prioribus Conuentualibus, & eorum locum tenentibus, sub pœna absolutionis ab officijs suis, quatenus declarationes, & ordinationes capitulorũ generalium, semel in mense legi faciant fratribus simul congregatis, in capitulo, vel in mensa. Si quis autem fratrum tunc absens fuerit, teneatur sub pœna priuationis vocis cum redierit, illas legere intelligibiliter, & complete.

Et in decl. cap. de solemni celebratione capituli dicitur. Ex quibus omnibus patet (enumerauerat enim ante multa capitula generalia, in quibus statutum fuerat, vt acta capitulorum tum generalium tum prouincialium conscriberentur, & quotannis pluries publicarentur) reuocatio cuiuscunque ordinationis statuentis, quod præcepta, & ordinationes capitulorum generalium, & prouincialium, non obligant, nisi vsque ad receptionem actorum capitulorum sequentium, cuius oppositum exprimitur in capitulis nunc expressis, frustra enim conseruarentur, & legerentur, si non tenerent. Cum enim tales ordinationes factæ sint pro bono communi totius ordinis, & fratrum, auctoritate Constitutionum, ideo semper durant quousque reuocentur. Et quantum ad acta capitulorum generalium nulla ambiguitas est, quia in prologo apertè dicitur, ordinationes capitulorum generalium, & Magistri ord. durare quousque reuocentur. De ordinationibus autem Prouincialium, vel capitulorum eorum est difficultas, quia textus prologi dicit ab inferioribus Prælatis, & capitulis ordinata cum ipsis expirant, nisi dicatur, quod per tria capitula generalia continua potuit in hoc mutari Constitutio hæc.

De dispensationibus.

CAPVT VIII.

AD hæc tamen in suo Conuentu Prælatus dispensandi cum fratribus habeat potestatem, cum sibi aliquando videbitur expedire, in his præcipuè, quæ studium, vel prædicationem, vel animarum fructum videbuntur impedire, cum ordo noster specialiter, ob prædicationem & animarum salutem ab initio noscatur institutus fuisse. Et studium nostrum ad hoc principaliter intendere debet, vt proximorum animabus possimus vtiles esse. Priores etiam vtantur dispensationibus, sicut & cæteri fratres.

Ex prologo.

Quia abusus dispensationũ multa mala parit, oportet prius scire, quid sit dispensatio, & quæ sint ea, quæ ipsam rectificant. D. Tho. p. 2. q. 97. art. 4. illam deffiniens dicit. Dispẽsatio importat quandam mensurationem alicuius communis ad singula. Vnde gubernator familiæ dicitur dispensator inquantum vnicuiq; de familia cum mensura destribuit operationes, & necessaria vitæ. Et ob hoc etiam dicitur dispensator legis, qui ordinat qualiter aliquod præceptum commune à singulis sit adimplendum. Ex quibus verbis colligi potest talis diffinitio .s. Dispensatio est quædã ordinatio Superioris, vt talis subditus in tali casu pro tali causa non teneatur seruare tale præceptum.

Quantum autem spectat ad dispensationis causam. nota, quæ eodem in loco subinfert S. Doctor inquiens. Contingit autem quandoque quod aliquod præceptum legis, quod est ad commodum multitudinis vt in pluribus; non est commodum huic personæ in hoc casu, quia vel impediret aliquod melius, vel etiam induceretur aliquod malum. Affert exemplum idem sanct. q. 96. ar. 6. Sicut si in ciuitate obsessa fieret lex ad vtilitatem communem, vt portæ ciuitatis clausæ manerent, & casus contingeret, quod quidam ciues ab hostibus fugarentur, qui in ciuitate possent afferre vtilitatem, tunc si princeps ordinaret, vt istis portæ aperirentur, diceretur dispensare in illo præcepto cum talibus, in tali casu.

Qui vero debeant esse dispensatores, declarat cum subdit. Periculosum autem est si hæc auctoritas dispensandi relinquatur iudicio cuiuslibet, sed recurrendum est ad eum, qui potestatem habet in lege, vt Superiores regentes aliquam multitudinem, Si vero sit subitum periculum non patiens tantã moram, vt ad Superiorem recurri possit, ipsa necessitas habet dispensationem annexam, quia necessitas non subditur legi.

Quando autem errent dispensatores, subinfert dicens. Si autem absque ratione pro sola voluntate licentiam dispensando tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens: Infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune, imprudens autem si rationem dispensandi ignoret, propter quod Dominus dicit Lucæ 12. Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.

Et in eadem quæst. in responsione ad 3. colligitur, quod in lege diuina solus Deus vel cui ille commiserit potestatem habet dispensandi. In lege autem humana publica qualis est lex ecclesiastica, non potest dispensare, nisi ille, qui ab ea lege auctoritatem habet, Et ob id Prælati religionum non habent facultatem dispensandi in lege diuina, & ecclesiastica, neque in votis essentialibus religionum, sed tantum in alijs obseruantijs regularibus. Et ex his redduntur claræ declarationes Constitutionum, ex quibus hæc colligenda sunt.

Cum dicitur Prælatũ habere facultatem dispensandi, intelligitur hoc de eo qui vere Prælatus est. Et in proposito vocatur Prælat⁹ ille solus qui habet curam animarum vt Prior Canonicè electus, & cõfirmatus per superiores; Supprior vero, & Vicarius cum non habeant curã animarũ nisi ex cõmissione Prioris, vel alterius superioris, non potest dici Prælatus, & consequenter dispensare non potest præsente Priore, nisi ex eius commissione, excepto

si Prior mortuus, vel amotus fuisset, quia tunc quasi ordinarius, vices eius in omnibus gerit. Prælatus autem in solo suo conuentu potest dispensare, nō autem in alieno, cum fratribus tamen nedum suis, sed etiam alienis ad eius conuentum declinantibus. Fratres autem subditi non possunt propria auctoritate seipsos dispensare in his quæ ad Constitutiones pertinent, sed debent à suis Prælatis sub quorum iurisdictione, & foro sunt, dispensationem petere, nam semper adest in conuentu Prælatus, vel eius vices gerens, qui possunt dispensare quando iudicauerint expedire.

Causa autem propter quam dispensatio fieri debet est salus animarum, ad quam tanquam ad finem ordo noster institutus est, ad differentiam eorum ordinum qui solum ad salutem ingredientium ordinantur. Ideo statuta religionis non debēt ita rigidè obseruari, quod impediant finem principalem, & ordinata ad aliquem finem debent commensurari illi fini, & non impedire. Et ideo dicitur Prælatum posse dispensare quando sine ea studium, vel prædicatio, vel salus animæ impeditur. Dispensationes tamen fieri non debent in ieiunijs, abstinentijsque cum toto conuentu, nisi ex magna causa, neque etiam semper, sed aliquando, secundum quod Prælatus propter aliquam vtilitatem, aut necessitatem, siue honestam, & rationabilem causam, iudicauerit expedire. Hæc ex decl. prologi.

In decl. cap. de Nouitijs adhuc melius ista causa declaratur: Ibi enim dicitur quod causa rationabilis ad dispensandum duplex est. s. vtilitas, & necessitas, & vtraque duplex est, communis, & priuata. Vt in paupertate potest Prælatus dispensare concedendo vsum aliquarum rerum incertum his quatuor modis, Propter vtilitatem communem, vt quando alicui particulari conceditur vsus libri, vt prædicet, legat, consulat, &c. Propter vtilitatem priuatam, quando conceditur ad studendum. Propter necessitatem communem, quando sindico, vel procuratori conceditur administratio bonorum Conuentus. Propter priuatam necessitatem quando vestis, vel quid aliud vni propter suam necessitatem conceditur. Et quamuis huiusmodi necessitas, & vtilitas sint sufficiens causa dispensandi, cauendum tamen est, ne in huiusmodi faciliter dispēsetur, tum propter sequelam mali exempli, tum propter speciem mali. Neque hi quibus dispensatio non conceditur conqueri debent de Prælatis, quasi quod sit acceptator personarum, quia ex S. Thoma loco citato habetur, cum conditio alicuius personæ in aliquo casu exigit, quod sibi aliquid, & non alteri concedatur, non est acceptio personæ. Vnde, & in regula dicitur.

Et distribuatur vnicuique vestrum à Præposito vestro victus, & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed vnicuique prout cuique opus fuerit: sic enim legitis in actibus Apostolorum, quia erant illis omnia communia, & distribuebatur vnicuique, prout cuique opus erat.

Tanta autem est potestas Prælatorum in dispensationibus, quod vt dicit Magister P. Vmbertus, Prælatus ex causa honesta, & rationabili potest compellere fratrem subditum & extraneum in suo Conuentu, ad recipien-

dam

dam dispensationem in ieiunijs & comedendis carnibus, & vtendis lineis, & alijs similibus, vt puta in casu in quo non vti illa dispensatione esset peccatum, & per consequens contra ordinem, aliter non potest compellere. Vnde S. Bernardus in lib. de dispensatione dicit. Votum meum non augeat Prælatus sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate, alioquin remissio voti sine necessitate, non dispensatio est, sed dissipatio. Quando tamen Prælatus præcipit fratri, vt dispensationem accipiat, non debet de facili iudicare, quod Prælatus non habeat causam rationabilem, quia forte id facit causa humiliandi eum, vel alia de causa, quam ipse nescit, vt puta quia probabiliter de eius debilitate dubitat, quamuis subdito videatur quod sit fortis. Et in hoc debet iudicium suum iudicio supponere Prælati, & ei obedire, quia sæpe euenit, vt alij magis perpendãt debilitatem alterius ex aspectu, quam ipsemet qui patitur, siue ex inexperientia, siue ex feruore. Et in dubio tenetur subditus obedire, quia obedientia excusat in dubijs. Ex decl. prologi.

In quibus autem religiosus Prælato præcipienti obedire non tenetur, dicetur infra 2. parte, & de dispensatione, lege quæ dicuntur capitibus de ieiunio, de cibo, de infirmis, &c.

De his quæ salutem animarum impediunt in religiosis.

CAPVT IX.

OCcasione eorum quæ in præcedenti capitulo dicta sunt propter illa verba Constitutionis.

In his præcipuè, quæ studium, vel prædicationem, vel animarum fructum videbantur impedire, quia ordo noster specialiter ob prædicationem, & animarum salutem, ab initio noscatur institutus fuisse, & studium nostrum ad hoc debeat principaliter attendere, vt proximorum animabus possimus vtiles esse.

In decl. notantur duo, primũ quod spectat ad nobilitatem religionis nostræ, quæ cum pro fine habeat salutem animarum per doctrinam, & prædicationem acquirendam, & ad hunc finem essentialiter, & nominaliter ordinata sit, erit etiam alijs religionibus excellentior. Et ex S. Tho. 22. q. 188. præstantia religionum ex fine ad quem ordinantur sumenda est. Sunt autem omnes ordinatæ ad charitatem Dei, in qua consistit perfectio vitæ Christianæ. In dilectione autem Dei, continetur etiam dilectio proximi. Aliquæ ergo religiones dant operam vitæ actiuæ pro salute corporali proximorum, quales sunt religiones militum ad arcendos hostes maximè fidei, infirmis seruientes, captiuos redimentes, &c. Et his nobiliores sunt illæ, quæ saluti animarum intendunt, inter quas aliquæ soli saluti animæ propriè incumbunt per opera vitæ contemplatiuè pure: aliæ vero, & propriæ, & aliorum saluti spirituali attendunt, quæ non solum contemplantur, sed etiam con-

templata alijs tradunt. Et talis est nostra religio ex suimet institutione.

Aliud est, quod cauenda sunt quædam impedimenta, quæ possent se obijcere ne ex prædicationibus, & confessionibus nostris, proueniret fructus animarum, & hæc tria sunt. Primum est, quæstus immoderatus, mundus enim auarus, & fugit quæstores importunos, & immoderatos. Secundum est officia odiosa pertractare, vt sunt Inquisitiones, Visitationes, Correctiones violentæ, Executiones testamentorum, seu arbitrorum sententiæ, & aliæ causæ similes odiosæ, ex quibus frequenter conturbatur deuotio hominum erga fratres, & ordinem. Tertium est nimia austeritas in consilijs, & opinionibus, terrentur enim homines ex his, vt quandoque propriam salutem negligant. Quapropter parcendum est, ab his omnibus, & benignè quantum fieri possit homines tractandi sunt. Vnde multa talia officia in diuersis capitulis generalibus prohibita sunt .s. commissiones causarum, arbitria siuè iudicia, pignora siuè obsides, dispensationes alienarum pecuniarum, executiones testamentorum, tractatus, siuè consilia matrimoniorum, & tandem ardua negocia secularium, & causæ odiosæ. Et vnusquisque laborare debet vt nostra conuersatio sit bona, & sancta, & fama ordinis, & fratrum integra seruetur, & in his quæ reprehensibilia non sunt, nos amicabiles omnibus exhibeamus. In decl. cap. de Itinerantibus idem repetitur, & additur quod tales causæ odiosæ non debent suscipi sine auctoritate, vel licentia ordinis, aut Superioris. Et de iure communi hoc prohibetur omnibus religiosis, vt habetur 16. q. 1. cap. Monachi, & cap. De præsentium, vbi dicit Glosa, quod religiosus non potest esse iudex, vel arbiter, vel aduocatus, sine licentia Superioris, & idem tradit S. Thom. quolibet 3. art. 15. vbi definit religiosum auctoritate Superiorum posse alienas pecunias in eleemosynas erogare. Et Bonifacius 8. in quodam suo priuilegio concedit Magistro ordinis, Prouincialibus, ac alijs fratribus, de dictorum Prælatorum licentia, posse si requisiti fuerint esse executores testamentorum, & vltimarum voluntatum.

Romæ 1601. inhibetur omnibus, ne possint secularium negocia litigiosa apud quæcunque tribunalia procurare, neque immergere se negocijs secularibus, mercimoniis, & aliis huiusmodi, quæ vitio proprietatis proxima sunt, Confirmatur Valleoleti 1605. Et in decl. prologi subinfertur, quod nullus audeat per iurisdictionem Episcopalem aliquem coërcere. Et in decl. cap. de Nouitiis etiam mandatur, vt executores testamentorum, siuè dispēsatores pecuniarum alienarum, teneantur suis superioribus rationem reddere. Et contrafacientes in his debent grauiter puniri.

De constitutionum mutatione.
CAPVT X.

PErfectius poterunt ea quæ nobis traduntur seruari, si mutare vel addere vel minuere nulli quicquam propria voluntate liceat. *Ex prologo.*

Porrò. Magister ordinis aut Priores Prouinciales non mutent acta capituli prouincialis, aut generalis, nisi forte in speciali ex causa necessaria, & vtili. Item generale statutum ordinis, vel consuetudinem diu obtentam, & communiter approbatã in ordine, nec Magister ordinis, nec Prouinciales aliquatenus audeant immutare, nisi per tria capitula fuerit approbatum. *Ex capite de solemni celeb. capituli.*

D. Thom. p. 2. q. 97. art. 1. & 2. tradit, quod cum lex humana sit quoddã dictamen rationis, quo actus humani reguntur, ex duplici capite potest eius mutatio cõsiderari .s. ex parte dictaminis rationis regentis, & ex parte actuũ humanorum qui reguntur. Ex parte dictaminis rationis, quia sicut in scibilibus ratio procedit de imperfecto ad perfectum, vnde primi Philosophi tradiderunt cognitionem imperfectam rerum, quam posteriores perfecerunt, ita in operabilibus, nam primi attendentes bonum commune tradiderunt quædam imperfecta obseruanda in multis deficientia, & posteriores mutauerunt instituentes alia quæ in paucioribus deficiebant. Ex parte etiam actuum humanorũ accidit mutatio, quia mutantur hominum conditiones, quibus secundum diuersas cõditiones diuersa expediunt. Vt aliquando bonum fuit Rempublicam regi per magistratum electum à populo, sed eo euadente fastidioso, bonum est ab eo tollere facultatem hanc, & restringere illam in optimatibus, & ita accidere potest de aliis legibus.

Faciliter tamen lex mutari non debet, quia præcepta roborantur per consuetudinem & diminuuntur per reuocationem, vel mutationem. Et ideo nunquam lex humana mutari debet, nisi ex alia parte tantum pro vtilitate communi recompensetur, quantum ex ista parte derogatur, quod contingit, quando vel euidens vtilitas, aut necessitas apparet, aut quia prior lex manifestam iniquitatem continet, vel eius obseruantia nocumentum affert. Hæc D. Thomas.

In decl. autem cap. De solemni celebratione capituli dicitur. Quamuis Magister ordinis nõ debeat ordinationes, & acta capituli generalis mutare, potest tamen ex causa necessaria, & vtili, in speciali illa limitare, & etiam tollere. Et similiter quamuis non possit statutum generale ordinis, & consuetudinem diu obtentam, & communiter in ordine approbatam tollere, potest tamen ex causa rationabili, necessaria, vel vtili dispensare.

Apertum autem est in Constitutionibus, quod vnum capitulum generale potest delere, & reuocare ea quæ à priori capitulo sancita sunt. Vnde in prologo hæc habentur.

Prohibemus ne de cœtero aliquod statuatur (*vt Constitutio*) nisi per duo capitula generalia fuerit approbatum, & tunc in tertio capitulo immediate sequenti poterit confirmari vel deleri, &c. Item quomodolibet ordinata per Magistrum ordinis, vel capitulum generale, durare volumus, donec per similem potestatem fuerint reuocata.

Specialiter vero Magister ordinis summam potestatem habet in mutandis, & interpretandis Constitutionibus. Vnde Iulius 2. priuilegio suo 2. concedit vt infra.

Dilecto filio F. Thomæ de Vio Caietano Magistro ordinis, &c. ordinationes factas à quondam dicti ordinis generali Magistro F. Vincentio Bandello quouis Apostolico præcepto firmatas, sicut & aliorum prædecessorum tuorum mutare, ac reuocare possis Apostolica auctoritate ex speciali gratia concedimus.

Idem Iulius in priuilegio 3. eidem indulget vt infra.

Quod si in Constitutionibus ordinis prædicatorũ, aut circa priuilegia gratias exemptionesque à sancta Sede illi concessas, aut concedendas, quas harum tenore auctoritate Apostolica confirmamus, aliqua ambiguitas emerserit, vt illas (quo ad serenitatem conscientiarum, quæ tibi subditæ sunt dumtaxat) possis auctoritate Apostolica declarare, indulgemus.

Rodericus inter oracula viuæ vocis Leonis 10. refert eundem concessisse fratribus ordinis Minorum, vt in rebus dubijs, & scrupulosis subditorum fratrum cõscientias tangentibus Generalis, Prouinciales, & Custodes cum consilio aliquorum fratrum si dubium fuerit de re graui, possint auctoritate Apostolica determinare, & eorum determinationi stare debeant tuta conscientia fratres.

Et in capitulis generalibus solent Diffinitores totam suam auctoritatem conferre Magistro ordinis super actis capituli, his verbis. Damus Reuerendiss. P. Magistro ordinis omnem nostram auctoritatem circa prædicta omnia, vt ea declarare possit, quæ declaratione indigent, & eisdem addere, & detrahere, omnia deniquè, & singula facere, quæ nos agere possemus, secundum quod eius prudentiæ visum fuerit.

De domibus construendis, & concedendis.

CAPVT XI.

NVlla domus concedatur nisi à Prouinciali, & à Diffinitoribus capituli prouincialis, nec concessa ponatur, nisi vbi prædicti viderint expedire. *Ex cap. prædicto.*

Religiosi mendicantes de iure communi non possunt de nouo domos, siue loca ad habitandum recipere, nec recepta mutare, aut alienare, aut illa dimittere, sine speciali licentia Sedis Apostolicæ, plenè, & expresè mentionem faciente de huiusmodi prohibitione, alias sunt excommunicati, vt habetur de excessibus Prælatorum, cap. vnico lib. 6. Et in Clem. Cupientes, de pœnis. Ex priuilegijs tamen id possumus.

Iulius 2. hoc concedit ordini Minimorum per hæc verba, vt habetur in nostris fol.225.

Nos Francisco de Paula, & aliis fratribus ordinis Minimorum, omnia, & singula oratoria, Ecclesias, domos, & loca eisdem concessa, & in posterum concedenda recipere, & recepta pro eorum vsu, & habitatione construere, & ædificare concedimus, seu construi, & ædificari facere, absque alia desuper facienda concessione Sedis Apostolicæ.

At Conc. Trid. sess. 25. de reg. cap. 3. aliter deffiniuit his verbis.

Nec de cætero similia loca (.s. monasteria, & domus virorum, ac mulierum) erigantur, sine Episcopi in cuius diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.

Clemens 8. decretum edidit super forma ab Episcopis obseruanda in concessione licentiarum huiusmodi, quod refertur à Quaranta verbo, Monasterium, tenoris qui sequitur.

Motu proprio, & ex certa scientia &c. harum serie declaramus, Ordinarios non posse concedere licentias ad nouos Conuentus &c. etiam mendicantium erigendos impartiri in locis sibi subiectis, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem locis Conuentuū existentium procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causa cognita constiterit Conuentus erigendos sine aliorum detrimento sustentari posse commodè. Si vero ab eorum sententiis ad nos appellari contigerit, eosdem Ordinarios erectionem suspendere debere declaramus, quousque à nobis vel sede Apostolica pronunciatum fuerit. Irritum, & inane decernentes &c. Non obstantibus &c.

Ex decl. cap. prædicti. Nullus frater cuiuscunque status conditionisuè existat, sine licentia generalis capituli aut Magistri ordinis potest vllo modo loca pro ædificandis Conuentibus recipere, quod si secus factum fuerit, receptio nulla sit, & receptores sint omni voce priuati, nec possint restitui nisi per Magistrum ordinis. Et caueant Prouinciales, ne aliqua domus recipiatur cum grauibus conditionibus, nec ponatur in locis ita aliis vicinis, quod oporteat fratres occupare terminos aliorum Conuentuum. Et in petitione quam capitulo generali, exponunt, debent nominare ciuitates & oppida in quibus petunt, & causas quæ eos mouent ad petendum. Et tandem nisi prius constiterit quod sit locus idoneus pro conuentu ædificando.

Attendendum est etiam priuilegium Bonifacij 9. quod est eius 4. in quo concedit quod non possunt Conuentus ædificari propè nostros infra spacium exprimendum. Et quia hoc idem fuit etiam aliis ordinibus communicatum, ideo nec nos nostros prope suos ædificare valemus. Et est tale.

Quod nulli de ordine mendicantium iuxta Ecclesias, vel oratoria fratrum Prædicatorum vbilibet constituta, Ecclesias vel oratoria alia infra centum & quadraginta cannarum spacium ædificare, seu construere, aut construi facere, seu constructa recipere possint aut debeant, auctoritate Apostolica districte inhibemus.

Clemens 4. vt habetur in libro priuilegiorum fol. 249. prædictum spacium ampliat ad trecentum cannas per aërem mensurandas, vbi alias loci dispositio mensurari non permittat, atque id prohibet cuilibet ordini fundato in paupertate, & declarat eos ordines dici in paupertate fundatos, qui extra septa monasterij possessiones non habent, vel si alicubi habent, & in aliquibus membris, non tamen in aliis, & per cannam dicit intelligere longitudinem octo palmorum.

Et Valleoleti 1605. ordinatur vt nulla domus siue Conuentus tàm fratrum quam monialium deinceps construatur, etiam ad petitionem cuiuscunque Principis, in quibus nouæ cœremoniæ, leges, pœnæ, pœnitentiæ, modus viuendi, vel vestiendi, vel alia quæuis, quæ ab ordine nostro videantur aliena, contraria, vel dissona, vel præter nostras Constitut. obseruari debeant, sed Constitutiones nostræ quæ à Sanctis Pontificibus commendatæ sunt, & approbatæ, vt earum perfecti obseruatores, merito veniant canonizandi, ad vnguem rigorose custodiantur. Quod si secus factum fuerit, receptio ipso facto sit nulla sicut de facto, nunc pro tunc nullam esse declaramus.

De translatione domorum.

CAPVT XII.

NVlla domus posita transferatur, nisi vbi Prouincialis, & Diffinitores iudicauerunt expedire. Item nulla domus transferatur de prouincia ad prouinciam, nisi per tria capitula fuerit approbatum. *Ex cap. de domibus concedendis &c.*

Hic annotanda est Constitutio Sixti 4. in Mari magno, quæ sic concedit.

Ad haec liceat fratribus vestri ordinis, cum de prioribus locis suis, ad alia loca sic transferunt tam ædificia, seu ædificiorum materiam locorum, quæ dimittunt (dedicatis Ecclesiis dumtaxat exceptis) quam libros, calices, & paramenta secum ad alia loca transferre, ac ædificia ipsa cum solo, & aliis ad eadem loca pertinentibus (præter Ecclesias) vendere, eorumque pretium in aliorum locorum ad quæ dicti fratres se transferunt ædificationem, seu alias in eorum vtilitatem conuertere, secundum quod eis melius videbitur expedire, &c. Non obstantibus, &c.

Aduerte quod in præsenti Constitutione, non confertur licentia transferendi domos de vno loco ad alium, sed solum conceditur, quod dato casu translationis possunt etiam bona transferre. Sed vt notatum fuit cap. antecedenti prohibetur iure communi sub pœna excommunicationis receptas domos mutare, vel alienare, aut dimittere, sine licentia sedis Apostolicæ.

Veruntamen Sixtus 4. in bulla 27. apud Rodericum concedit vt infra ordini Minorum.

Nos igitur deuotis petitionibus annuentes, tenore præsentium, facultatem impartimur, ea loca, quæ fratribus tuæ curæ commissis minus commoda esse cognoscens, vel alias onerosa, in omnibus prouinciis, & vicariatibus tuis, in manibus Ordinariorum locorum liberè dimittendi, & deserendi, prout tibi visum fuerit expedire. Non obstantibus &c. etiam Constitutionibus Bonifacij 8. &c.

De ædificiorum qualitate.

CAPVT XIII.

MEdiocres domos, & humiles fratres nostri habeant, nec fiant, aut permittãtur fieri in domibus nostris curiositates, & superfluitates notabiles, in sculpturis, picturis, pauimentis, & aliis similibus, quæ paupertatem nostram deformant. In Ecclesiis tamen permitti poterunt. Si quis verò contrafecerit, pœnæ grauiori culpæ debitæ subiacebit.

Volumus etiam, quod fiat cum maturo consilio peritorum in arte, considerato loco illo, in ligno, vel in alia materia, formula totius domus construendæ, quam non liceat transgredi pro voluntate varia Præsidentium, sed iuxta illa ædificetur. In domibus autem constructis, mandamus nullam fieri constructionem, aut ædificationem notabilem in fabrica à Priore, vel Procuratore, nisi de licentia Prouincialis, & consilio atque assensu patrum. Oppositum autem facere præsumens in pœnam absoluatur. sic quod per triennium, nec ibi, nec alibi præsit. *Ex cap. vt supra.*

Romæ 1589. editum fuit decretum hoc, nomine Sixti Papæ 5. per Illustriss. Cardinalem Alexandrinum Ordinis nostri Protectorem, quod testatur habuisse viuæ vocis oraculo. Sanctitas sua confirmat, & ordinat si opus est de nouo, quod alias etiam fuit ordinatum videlicet, quod non fiat aliquod ædificium notabile in Conuentu, (notabile inquam respectiuè iuxta qualitatem, & quantitatem Conuentus,) nisi de assensu maioris partis patrum à consiliis, & cum consilio peritorum, simul etiam cum licentia Prouincialis. Rursus, quod ab vno Prælato inceptũ est, subsequens prosequatur, ita quod non possit noua ædificia inchoare, si priora non sunt finita. Præcipit etiam idem seruandum esse in monasteriis monialium, ita, quod Priorissa non possit aliquod ædificium notabile inchoare, sine assensu maioris partis matrum à consiliis, nec sine licentia Prouincialis, & peritorum consilio, nec noua ædificia aggrediatur, quousque iam inchoata finita sint. Priores autem Prouinciales, aut Conuentuales, & Priorissæ si contra ordinationẽ istam agere præsumpserint: ipso facto excommunicationem incurrant, & officio priuentur. Vi autem prohibitionis huius non intenditur, quin possint inchoari illa ædificia quibus reparatur aliqua pars collapsa Conuentus, vel quæ in ruinam tendit, nec ædificia illa, quæ extra Conuentus fiunt, quibus annui census crescunt, dummodo etiam in istis, si notabilia sunt præcedant licentia, & consensus iuxta supradicta. Romæ vero 1608. Ordinatum fuit, vt Priores fabrica aliqua monasterij iam inchoata non possunt sine consensu

sui capituli expendere vltra duos aureos. Cum consensu vero capituli poterunt expendere vsque ad decem aureos, vltra quam summam adesse debebit licentia Prouincialis. Si vero incipienda sit noua fabrica, de peritorum consilio delineetur, eius formula siue exemplar, & à Priore, & capitulo, mittatur ad capitulum prouinciale, vel Prouincialem, & de eius licentia inchoetur.

De dormitorio, cellis, & aliis officinis Conuentuum.

CAPVT XIV.

NVllus Magistro ordinis excepto, qui in communi tolerari possit habeat specialem locum ad iacendum, nisi propter rerum custodiam. Lectoribus autem secundum discretionem Prioris prouideatur. *Ex cap. De lectis.*

Omnes fratres nostri, excepto Magistro ordinis, infirmis, & hospitibus, debent in communi dormitorio dormire, quod quidem taliter debet esse dispositum, quod possit in sero claudi, & claues debent apud Priorem, vel aliam personam securam remanere. Qui autem extra dormitorium, sine licentia dormire præsumpserit, grauiter puniatur. Romæ 1569. dicitur. Cameras, & habitationes à communi cellarum religiosarum forma excedentes præsenti Constitutione, & speciali S.D.N. Papæ mandato auferimus, mandantes Prælatis, vt eas redigant, ad consuetam regularem formam, & si id commodè fieri minime possit, in communem vsum redigantur, & vnusquisque tali cella in communi dormitorio, nullo apparatu ornata, contentus sit. Et infra mensem ab harum notitia, Prælati, & alij abutentes huiusmodi cameris, executioni mandare præsens statutum teneantur, & quod contrafecerint pœnas absolutionis ab officiis, & amissionis cuiuscunque ac priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, incurrant, quas pœnas nunc pro tunc illis infligimus, & inflictas esse declaramus. Venetiis 1592. Omnes fratres cuiuscunque gradus, & conditionis sint, in communi dormitorio, & non in separatis ædiculis, vel cameris habitent, vnica tantum paupere cella contenti, Prælato, & grauiori aliquo patre exceptis, quibus duæ ad summum concedi poterunt, si hactenus tot habuere, absque eo, quod nouiter accōmodentur, maximè cum aliorum incommoditate. Ab his vero superfluitates omnes, ornamenta vana, preciosa quæque, & omnia tandem, quæ religiosam paupertatem non sapiunt, omnino auferantur. Super quo omnes Superiores inuigilabunt. Proinde reuocamus omnes, & singulas licentias, quibus alicui conceditur, quod possit succedere in alterius cella, vel quod ab inferioribus Prælatis ab ea quam inhabitant remoueri non possint. Valebuntque Superiores ipsi immediati, dum expediens illis videbitur, pro vitio proprietatis à cordibus amputando, eosdem ab vna cella ad aliam transferre. Romæ 1608. mandatur, vt à cellis fratrum amoueantur omnes imagines, quæ non sunt

sunt sacræ, aut piæ, item illæ, quæ propriam effigiem fratris, vel alterius non sancti, aut pij exprimunt.

Debent in omnibus Conuentibus construi carceres. Vnde in decl. cap. de grauiori culpa dicitur. Prouinciales procurare debent, vt in omnibus Conuentibus suæ prouinciæ sint firmi, & fortes carceres, in quibus puniantur criminosi, & rebelles. Et Romæ 1569. admonētur Priores, vt ordinationem alias factam de aptandis carceribus in eorum conuentibus cum sera, & pessulo, & clauis firmis, & fortibus, omnino executioni mandent. Et qui infra sex menses ab harum notitia id non præstiterint, à Prouinciali in visitatione absoluantur. De pœna vero carceris agetur suo capite.

Cameræ etiam pro hospitibus deputandæ sunt. Vnde Venetiis 1592. dicitur. Præsidentes Conuentuum, & locorum omnium diligentiã adhibeant, vt deputentur aliquæ cameræ pro hospitibus, cum debita licentia aduenientibus, recipiēdis, quorũ cura alicui fratri discreto committatur, qui eos cum humanitate recipiat, & illis necessaria procuret.

Et de cameris infirmorum statuitur Romæ 1608. vt iuxta Constitutiones in singulis Conuentibus sint aliquæ cameræ deputatæ pro infirmis, bene instructæ lectis, & linteaminibus, & aliis necessariis: Et instituatur vnus infirmarius qui illis prouideat &c. & Prouinciales in visitatione Priores in hoc negligentes absoluant ab officiis suis.

Inter alias officinas deputetur vnus locus pro deposito communi, de quo statutum fuit Valleoleti 1605. & Romæ 1608. Vt in quolibet Conuentu designetur aliquis locus fortis, & securus, qui depositum commune appelletur, cuius clauem habeat semper Prior, vel Præsidens conuentus, & in eo constituatur arca fortis, quæ tribus seris claudatur. Huius claues habeant singuli singulas. s. Prior aut Præsidens, & duo patres depositarij, moribus, & fidelitate probati, quos maior pars patrum à consiliis idoneos elegerit: Et in prædicta arca omnes Conuentus pecuniæ deponentur regulis infra notandis, cap. de sindicis, & depositariis.

Archiuium etiam pro conseruandis scripturis erigatur, vt præcipitur Romæ 1608. his verbis. In omnibus etiam Conuentibus sit locus tutus cum armariis, & capsulis, in quibus scripturæ, priuilegia, contractus, instrumenta, liber receptionis, & professionis fratrum, & omnia iura ad Conuentum pertinentia, cum suo inuentario siue indice, asseruentur. Similiter inuentarium omnium bonorum mobilium, & immobilium tam Conuentus, quàm Ecclesię conscribatur cum duplici autentico exemplari, quorum alterum in archiuio, alterum in primario prouinciæ, vel vicariæ Conuentu custodiatur.

Officinæ autem, & loca Conuentui necessaria secularibus vlla ratione non concedantur, etiam prætextu cuiusque confraternitatis. Et si quid hactenus concessum fuit præsenti statuto reuocatur, & nullam esse talem concessionē declaratur Romæ 1571. Barch. 1574. & iterum Romæ 1580. De domibus, & officinis nouitiorum dicetur infra parte secunda.

De Ostiario Conuentus.

CAPVT XV.

STatuatur semper aliquis frater, clericus, vel conuersus, discretus, maturus, & securus qui sit portarius, & diligenter ea, quæ ad officium portarij pertinent exequatur. Poterit autem aliquem fratrem, vel secularem honestæ conuersationis habere in adiutorium, cùm necessitas hoc requirit.

Ex cap. de domibus construendis.

Ex cap. Valleoletano 1605. In omnibus Conuentibus maximè præcipuis, semper ad ostium custos assistat aliquis sacerdos, vel conuersus, simul cum aliquo iuniore, discretus, & maturus, qui seculares aduentantes benignè recipiat, & de rebus spiritualibus colloquendo eos detineat, donec frater ab eis petitus, & à iuniore vocatus adueniat. Nec permittat seculares per Conuentum discurrere, nec ad cellas fratrum accedere, nisi esset persona grauis. Ostium autem ita introrsus sit occlusum, vt nulla ratione à foris venientes possit aperiri. Vt verò facilius ostiario innotescat, qui fratres sint foris, qui vero domi, mandatur, sub pœna grauis culpæ, ne quis extra Conuentum, egredi audeat per fores Ecclesiæ, vel per alias, sed solùm per ostium commune, in quo tabula collocetur, nomina & cognomina omnium fratrum Conuentus continens, in qua aliquo signo notet, fratrem domum egredientem, vel regredientem, & sic ostiarius de quæsitis fratribus rationem reddere queat. Hæc ordinatio confirmatur Romæ 1608. & additur. Prælati autem qui in hoc negligentes fuerint, ab officiis suis absoluantur, & Parisiis 1611.

De ingressu mulieribus interdicto.

CAPVT XVI.

MVlieres claustrum vel oratorium, vel alias officinas nostras non ingrediantur, nisi in die consecrationis Ecclesiæ, & tunc licebit eis ingredi chorum, & claustrum. In parasceuè verò tantum chorum intrare poterunt vsque ad officium.

Ex cap. de domibus concedendis.

In Ecclesiis nostris debent esse intermedia, quæ diuidant chorum à secularibus, & debent vbique sic esse disposita, vt fratres chorum ingredientes non possint videri à secularibus, nec ipsi seculares videre. Poterunt tamen aliquæ fenestræ aptari, vt tempore eleuationis Dominici corporis aperiantur, & Sacramentum à secularibus adoretur. Nec vllo modo permittantur

mulieres interiores officinas intrare, siue sint bonæ, siue malæ, siue sint propinquæ siue extraneæ, nisi essent matronæ siue magnæ Dominæ, quæ benè, & honestè sociatæ, cum licentia Prioris vellent Conuentum videre. Fratres autem qui mulieres in hortos nostros, vel in dormitorium, siue in cameras, aut alias interiores officinas introduxerint, pœna grauioris culpæ puniantur. Ex decl. cap. de domibus constitut.

His nostris Constitutionibus, & declarationibus, super addita fuit Constit. Pij 5. quæ incipit Religiosarum personarum, &c. edita anno 1566. in qua ita decernitur.

Quia igitur, & Carthusiensium ordinis, & aliorum regularem vitam profitentium quies non parum solet perturbari &c. Huic rei prouidere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, omnes, & singulas facultates ingrediendi monasteria Carthusianorum, & aliorum quorumcunque ordinum, etiam mendicantium, mulieribus cuiuscunque status, & conditionis, & quacunque dignitate præditis, etiam Comitissis, Marchionissis &c. sub cuiuscunque verborum tenoribus, & formis, & cum quibuscunque derogatoriis &c. etiam ab Apostolica Sede concessas reuocamus, &c. Districtè prohibentes mulieribus prædictas facultates prætendentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, postquam harum literarum notitiam habuerint, à qua non possint absolui, præterquam in mortis articulo, ne dicta monasteria, vel domos ingredi audeant. Ipsis monasteriorum Abbatibus, Prioribus, & aliis Præsidentibus quocunque nomine vocentur, etiam mendicantibus, sub pœnis priuationis officiorum quæ obtinent, & inhabilitatis in posterum ad alia omnia, & suspensionis à diuinis ipso facto absque alia declaratione incurrendis, ne eas introducere admittereuè præsumant mandamus. Non obstantibus &c.

Adduci etiam solet huic proposito particula quædam Constitutionis Gregorij 13. quæ incipit (Vbi gratiæ, & indulta), in qua licet principaliter agat de clausura monasteriorum sanctimonialium, & ingressum illius prohibeat, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, de qua in summario Constitut. monialium mentio fiet, tamen subdit hæc verba.

Abbatissis vero, & Abbatibus, & aliis monasteriorum vtriusque sexus Superioribus districtè præcipimus sub eadem excommunicationis pœna, ac priuationis beneficiorum, & officiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ne in monasteria, domos, & loca sua quocunque prætextu licentiarum ingrediendi, faciant vel permittant ingredi.

Notant aliqui per illud verbum (sua) nedum intelligi monasteria monialium illorum curæ subiecta, vt planus videtur sensus inferre. Sed etiam sua quæ ipsi Superiores inhabitant.

Circumfertur autem quædam declaratio Constitut. Pij 5. in hunc qui sequitur modum.

Nos Alexander Cribellus Cardinalis &c. attestamur omnibus &c. quatenus Pius 5. viuæ vocis oraculo nobis facto declarauit, mentem suam fuisse, & esse, vt in prædictis literis in quibus mulieribus prohibetur ingressus in monasteria religiosorum prætextu licentiarum &c. non solum comprehenduntur mulieres prætendentes licentias, sed etiam omnes, & quascunque tam in genere, quàm in specie, significans tamen quod per dictas literas non præcluditur aditus mulieribus ad monasteria, & claustra

quando in eis missæ celebrantur, ac alia diuina officia, ac quando processiones fiunt, vel cadauera fidelium in eis sepeliuntur, aut etiam pro eis suffragia fiunt, sed eis concedit quod quando hæc fiunt, ad ea accedere poßint. Similiter, quando verbum Dei in Ecclesia proponitur, vel ob quamcumque aliam causam tantus est concursus populorum, quod commodè ingredi, vel egredi per portam communem non possunt, concedit idem Pius 5. vt mulieres vna cum aliis personis secularibus ingredi, vel egredi poßint per portam Conuentus claustri, dummodo recto tramite accedant ab Ecclesiæ ianua ad dictam claustri portam, qua exitur à monasterio &c. Non obstantibus &c. Datum 1568.

Hoc decretum fuit publicatum in forma breuis à Pio 5. quod refert Confectius, & est bulla 6. dicti Pontificis.

Romæ 1571. Denuntiatur à S. D. N. Pio 5. emanasse motum proprium circa ingressum mulierum in Conuentibus regularium, quo sua S. viuæ vocis oraculo declarauit, non esse intelligendum de ingressu mulierum primum tempore processionis, aut etiam ad capitulum, & ad alias capellas, quæ in claustro eodem haberi solent, gratia audiendi missas. In reliquis vero expressit in omnibus seruandam esse eius Constitutionem in nostris Conuentibus.

In compendio priuilegiorum ord. minorum verbo Ingredi monasteria, duæ aliæ declarationes super hoc habentur: prima est Illustriss. Card. Alexandrini nomine congregationis regularium 1584. quam talis est.

In monasteriis, seu locis Capucinorum, quæ sunt in fieri, & fabricantur, & adhuc Conuentus ad ibi morandum non est introductus, sed solum ibi degunt aliqui fratres potius pro seruitio fabricæ, quam pro alio seruitio, clausuram nullam esse talem declaratur, vt si mulieres in eis intrant, pœnas Constitut. Pij 5. incurrant. Idemque debere dici de domibus, seu infirmariis, in ciuitate positis, cum nec Ecclesiam, nec Conuentum habeant.

Altera declaratio est. Cum quidam religiosus ord. Minorum perquisiuisset à sacra Congregatione, num per dictas literas Pij 5. derogatum sit concessioni suæ regulæ, quæ habet, vt singulæ Dominæ de regia stirpe procreatæ, ac etiam fundatrices monasteriorum dicti ordinis, quæ locorum prædictorum septa communiora videre postulauerint, cum sua comitiua honesta, intrare valeant, fuit declaratum non censeri derogatum quoad Reginas, & fundatrices dumtaxat.

De numero fratrum cuilibet Conuentui præfigendo.

CAPVT XVII.

CONuentus circa numerum duodenarium fratrum professorum, quorum decem ad minus sint clerici, & sine licentia generalis capituli, & absq; Priore, & Doctore non mittatur, nec postquã missus fuerit, dictus numerus minuatur. Et si aliquis inde subtractus fuerit, loco illius, alius assignetur. Ille vero Conuentus, qui

pro illo tempore dictum duodenarium numerum non habebit, ad ea, quæ tractāda sunt in capitulo Prouinciali, siue in electione Prouincialis, quoad Priorem & socium, & electiones Prouincialis, nullatenus admittatur, nisi forte illo anno per fratris obitum ille numerus sit diminutus. Quod si oppositum factum fuerit totum sit irritum, & inane, prouincijs Hierosolimitana, & Greciæ, dumtaxat exceptis, ex cap. de domibus construendis.

In Constitutionibus antiquæ impressionis legitur, duodenarium, vel senarium numerum &c. Et vbi legitur mittatur, & missus, dicitur admittatur, & admissus. Ex decla. eiusdem cap. Cum Ecclesiæ nostræ sint collegiales, & in ipsis debeat diuinum officium in choro, & missa Conuentualis celebrari, oportet, quod numerus fratrum, sine quo domus pro Conuentu non debet acceptari, intelligi debet de fratribus clericis tam vocalibus, quàm non vocalibus: Et debet habere Doctorem, siue lectorem, qui fratribus legat, alias non admittatur ille Conuentus ad ea, quæ sunt tractanda in capitulo Prouinciali, nisi forte propter obitum fratrum ex pestilentia, numerus ille diminutus fuerit. Et in tali casu Priores Prouinciales, & Conuentuales operam dent efficacem, vt numerus ille reparetur. Cōuentus, qui numerum saltem senarium fratrum nunquam habuerunt vocalium, pro non Conuentibus haberi debent, & ab eis subtrahitur titulus prioratus, quem ex vi præsentis decreti subtrahimus, si tamen id fieri potest sine scandalo. Qui autem aliquando numerum integrum habuerunt, & modo ad hoc redacti sunt, quod quatuor vocales fratres cum Priore non habent, permittantur gaudere titulo Prioratus, socium vero pro electione Prouincialis, vel pro capitulo Prouinciali nequaquam eligent. Et si secus factum fuerit, totum sit irritum, & inane.

Venetiis 1592. statuitur, vt possibilis adhibeatur diligentia, ne in prioratus erigantur loca, quæ postea taxatum numerum fratrum iuxta Constitut. sustentare nequeant. In posterum nulla domus in prioratum erigatur, aut erecta intelligatur, quacunque concessione factum fuisset, nisi per annum integrum ante dnodecim fratres aluerit, & pro religionis necessitatibus prouiderit. Confirmatur Valentiæ 1596. Romæ 1601. Valleoleti 1605.

Barchinonæ 1574. Mandatur Prouincialibus, vt si quæ repererint loca, vel Vicariatus, in quibus religio minus aptè foueri possit, quin potius ocij, & dissipationis religionis fomēta, & occasiones scandali sint, ea meliori modo quo poterunt consultis grauioribus patribus, relinquere omnino debeant, cum ex his malum, & nostræ religionis detrimentum sequatur.

Valentiæ 1596. habetur, loca omnia in quibus ad minus quatuor fratres clerici morari non possunt, relinquantur, sicuti præsenti decreto nos illa renunciamus, excipiendo desolatas prouincias, & existentes in Indiis ob causas nobis benè visas, & loca, quæ in itinere pro hospitio seruiunt. Et nullus Conuentus recipiatur, qui libere Superiorum iurisdictioni non relinquatur,

conformiter ad Constitutiones nostras. Et si secus factum fuerit, totum sit irritum & inane.

Est etiam cuilibet Conuentui præfigendus numerus ex sac. Concil. Trident. sess. 25. cap. 3. vbi habetur.

In prædictis monasteriis tam virorum, quam mulierum, is tantum numerus constituatur & in posterum conseruetur, qui vel ex reditibus propriis Conuentus, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari.

Valentiæ 1596. mandatur RR. Prouincialibus, & Vicariis congregationum, vt curent certam habere notitiam de reditibus, tam certis, quàm incertis Conuentuum, & locorum suorum, & conformiter ad eos, de grauiorum patrum consilio, singulis determinatũ numerum præfigant, vltra quem ad eos fratres non mittant, vt religiosis illorũ necessitatibus prouideri possit, & multa euitentur inconuenientia, & Parisiis 1611. idem confirmatur, & additur, vt quantum fieri possit, omnes Conuentus fratres in numero præfixo alant.

De possessionibus, & reditibus non habendis.

CAPVT XVIII.

POssessiones, siue reditus non recipiantur. *Ex cap. de domibus construendis.*

Anno 1228. Conuenerunt Parisiis, Prouinciales cum Magistro ordinis fratre Iordane in capitulo generalissimo, & vnanimiter ediderunt aliquas ordinationes, quas voluerunt in perpetuum inuiolabiliter obseruari, videlicet de possessionibus, & reditibus nullatenus habendis, aut recipiendis, &c. *Ex cap. de capitulo generalissimo.*

Ordo noster in sui initio possidere cœpit bona immobilia, & reditus. Et Honorius 3. confirmator ordinis in bulla suæ confirmationis hæc habet verba relata supra cap. 1.

Confirmamus ordinem tuum, cum omnibus castris, & possessionibus, habitis, & habendis, ipsumq; ordinem ac eius possessiones, & iura, sub nostra protectione suscipimus.

Verum in 1. capitulo Generali Bonon. celebrato 1220. totus ordo renũciauit possessionibus, tam præsentibus, quàm futuris, & in Cõstitutionibus positum fuit statutum, ne possessiones siuè reditus, reciperẽtur, postea verò in capitulo generalissimo 1228. prædicta Constitutio fuit confirmata.

Clemens 4. suo priuilegio 1. concedit nobis posse succedere in omnibus bonis, in quibus succederemus si in sæculo essemus, his verbis.

Ex parte vestra coram nobis fuit propositum, quod nonnulli in diuersis mundi partibus constituti, asserentes vos fore mortuos, nec valentes proprium possidere, vos quibuslibet successionibus excludere moliuntur, &c. Nos itaque vestris supplicationibus annuentes, auctoritate Apostolica declaramus, quod in temporalibus bonis, in quibus succederetis in seculo existentes, licitè potestis succedere, & bonorum ipsorum possessionem apprehendere, ac vendere liberè bona ipsa, eorumq; pretium in vtilitatem vestram

conuertere, prout vobis videbitur expedire, vniuersas autem interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententias, contra præsentium tenorem latas per quoscunque, irritas esse decernimus.

Bonifacius 9. priuilegio 1. circa possessionem bonorum decernit, vt infra.

Nos ad instar Bonifacij 8. & Clementis 6. prædecessorum &c. vestris supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, vt ea, quæ pro ornamentis, aut libris, fabrica, luminaribus, anniuersario, septimo, vigesimo, trigesimo siue aliis ad perpetuum cultum diuinum, seu pro pictantiis, aut victu ad sustentationem vestram, aut pro indumentis, necnon annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliquæ domus vestri ordinis obligatæ noscuntur; vel domibus, prædijs, & hortis, alijsque locis vobis secundum institutum vestri ordinis opportunis, aut quæ pro huiusmodi domibus, prędijs, & hortis, ac locis emendis, & perpetuas eleemosynas, quæ pro perpetuis memorijs, anniuersarijs nobis conferuntur, recipere, & ipsis gaudere, eaque, in præmissis, & alios vsus conuertere licitè valeatis. Non obstantibus, &c.

Sixtus 4. in suo priuilegio 4. hanc facit concessionem in proposito.

Nos igitur attendentes &c. supplicationibus inclinati, generali Magistro, Prioribus, & fratribus domorum dicti ordinis Prędicatorum pręsentibus, & futuris, quod possessiones, domos, census, & alia immobilia bona eis pia fidelium largitione inter viuos, vel causa mortis donata, aut testamentaria dispositione largita, vel alias relicta, & quę eis pro tempore donari, largiri, seu legari contigerit, pro subsidio studentium, & aliorum eis incumbentium onerum supportatione, in communi, & non aliter retinere, ac illa per deputandos ab eis administrare, liberè ac licitè valeant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus pariter, & indulgemus. Non obstantibus, &c. etiam regularibus institutis dicti ordinis, &c.

Rodericus in suo bullario, post bullas Innocentij 8. refert hunc summũ Pontificem, viuæ vocis oraculo concessisse Vicario generali, Prioribus, & fratribus ordinis Prædicatorum congregationis Hispaniæ reformatis præsentibus, & futuris, ad scrupulum conscientiarum auferendum, motu proprio, & certa scientia, vt possint habere possessiones, & reditus, dispensando super his, & auferendo maledictionem S. Dominici.

Iuxta regulam etiam S. P. Augustini, quam profitemur, licet nobis possidere bona in communi: Nam in ea legitur.

Et non dicatis vobis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia. Item, Qui vero aliquid habebant in seculo, quando ingressi fuerint monasterium, libẽter velint illud esse cõmune. Item, Tamen si vestra toleratur infirmitas, vt hoc recipiatis, quod posueritis, in vno tamen loco sub communibus custodibus habere, quod ponitis, ita sane, vt nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra in vnum fiant, maiori studio, & frequentiori alacritate, quam si vobis singuli propria faceretis.

Sed tandem ad omne scrupulum tollendum, S. Concil. Trident. sess. 25. ca. 3. concedit ita.

Concedit S. Synodus omnibus monasterijs, tam virorũ, quàm mulierum, etiam men-

dicantium, exceptis domibus fratrum S. Francisci, Capucinorum, & eorum, qui de obseruantia vocantur, etiam quibus, aut ex Constitutionibus erat prohibitum, aut ex priuilegio Apostolico non erat concessum, vt deinceps bona immobilia eis possidere liceat. Quod si aliqua loca ex prædictis, quibus auctoritate Apostolica similia bona habere permissum erat, eis spoliata sunt, eadem omnia illis restituenda esse decernit.

Ex declarat. super capite de domibus construendis. Hæc sunt notanda. Primum est, quod habere possessiones, siue reditus in communi, non est contra votum paupertatis religiosæ, nam omnes monachi qui vouent tria substantialia vota religionis, possident bona in communi, neque est contra regulam S. Augustini vt notatum est, & Canonici regulares qui militant sub hac pariter possident reditus in communi. Neq; est contra Constitut. quia, & si in eis habeatur, quod possessiones siue reditus non recipiamus, sensus est quod totus ordo eas habere non potest, manentibus Constitutionibus in suo robore, cum quo stat, quod non sit contra eas, si aliquis Conuentus, propter aliquam legitimam causam, & cum dispensatione Magistri ordinis, possessiones habeat, non enim vouemus seruare Constitutiones, alias equitando, & comedendo carnes, ageremus contra Constitut. Vnde non contrariatur Constitutioni, nisi quod est contra præceptum eius, vel quando transgressio fit ex contemptu, aut quando aliquod fit contra tria vota substantialia, si vero aliquis Conuentus talia possideret cõtra præceptum Prælati, vel sine licentia, & necessitate, videretur delinquere ex cõtemptu dictæ Constitutionis, & ex consequenti peccare mortaliter. Et quamuis Magister ordinis stante dicta Constitutione, non possit cum toto ordine dispensare super ea, potest tamen loco, & tempore cum aliquibus Conuentibus ex causa rationabili dispensare, causa autem rationabilis dispensationis huius est necessitas, cui non potest subueniri sine magna solicitudine, & sine maxima distractione à contemplatione diuinorum, quæ oritur propter multitudinem quæstuantium, & Zaratanorum, & propter sterilitatem locorum, & propter defectum charitatis quæ istis temporibus maximè refriguit. Vnde pro alendis fratribus oporteret multos habere quęstores, qui continuè quotidianum victum quærerent, & officium diuinũ, studium, & prædicatio, qui sunt præcipui actus vitæ contemplatiuæ, ad quos tanquam ad finem religio nostra ordinata est, destruerentur ac dissiparentur, qui tamen cõgruè foueri possunt per possessiones moderatas, pro quarum cura vnus aut duo clerici sufficiunt, aliis omnibus liberè contemplationi deditis.

Secundo sciendum est, quod perfectio Christianæ vitæ in dilectione Dei consistit, vota vero religionis. s. obedientia, castitas, & paupertas, sunt instrumenta siue media, quibus ad perfectionem tendimus. Et inter hæc tria, infimum locum tenet paupertas, medium castitas, supremũ obedientia, nam hæc voluntatem moderatur, castitas corpus, paupertas vero impedimenta exteriora. s. cupiditatem terrenorum amouet. Instrumentum autem non eo melius est quanto nobilius, sed quatenus fini intento proportionatum est, vt patet exemplo medicinæ. Et ob id vna religio non est existimanda perfectior, quæ profundiorẽ habeat paupertatẽ, sed quæ habet eam suo fini magis consonam, vnde, & religio Christi, & Apostolorum, quæ ad prædicandum ordinata

ordinata erat, profundissimam paupertatem non coluit, cum loculos haberet, & quæ mittebantur conseruabat, sed suo fini congruentem. Cui addendum est quod illa religio studio litterarum non vacabat, cum esset à Deo instructa, cui studio nos longis continuisque laboribus incumbere debemus. Et ideo paupertas tali fini proportionata, melior censenda est. Si ergo in nostro ordine sunt Conuentus, in quibus sufficiens numerus fratrum ali posset, cum moderato quæstu, sine occupatione multorum in eo, qui inde possent officio diuino, studiis, prædicationibus, audientiis confessionum attendere, illis non inesset iusta causa retinendi possessiones, & reditus. Vbi autem necessaria vitæ haberi non possunt, nisi per importunos quæstus, quibus seculo datur murmurationis, & indignationis causa, & multi à Dei cultu studio, & proximorum salute procuranda retraherentur, iusta tunc subest dispensationis causa super hac Constitutione.

Tertio etiam notandum est aliquos, contra prædicta attulisse, D. Patrem Dominicum in vltimo suo testamento maledictionem intulisse contra eos qui in ordine possessiones adducerent, & ad eius præsentiam anno 1220. in capitulo generali editam fuisse constitutionem hanc de reditibus non habendis, quam semper ipse obseruauit. Quibus satisfit dicendo. Primo quoad testamentum, nullam talem maledictionem haberi, sed solum dixisse. Hæc sunt quæ vobis hæreditario iure possidenda relinquo charitatem habete, humilitatem seruare, & paupertatem voluntariam possidete. Et B. Iordanus D.P. Dominici primus successor in Magisterio, vitam D. Dominici compilauit, quam solam in choro esse legendam statutum fuit, Argentinæ 1260. nil de hac maledictione dicit. Quod autem 2. loco dicitur D. Dominicum eam Constitut. seruasse, respondetur etiam coram ipso editas fuisse Constitutiones de non equitando, de non vtendis lineis ad carnem, de non comendendo carnes, &c. quæ omnia seruauit, tamen illorum trangressio culpam non inducit. Et dato 3. talem maledictionem induxisse, id tamen erit intelligendum, quando id fieret sine licentia Superiorum, & sine causa rationabili. Innocent. autem 8. vt supra ex Roderico notauimus, hanc maledictionem si adesset abstulit. & Concilium Tridentinum licentiam concessit, & causa dispensationis aperta est.

De non alienandis bonis.

CAP. XIX.

TAntum abest quod possessiones retinere non valeamus, quod potius nobis prohibitum est eas vendere & alienare. Circa quod primo omnium est notanda Constitutio Pauli 2. quæ huiusmodi tenoris est.

Omnium rerum, & bonorũ Ecclesiasticorũ alienationem, omneque pactum per quod ipsorũ dominium transfertur, concessionẽ, hypothecam, locationẽ & conductionẽ vltra bienniũ, fieri prohibemus, hac perpetua valitura Cõstitutione, nisi in casibus à iure expres-

sis, & tunc in Ecclesiarum euidentem vtilitatem, &c. Si quis autem contra huius prohibitionis seriem, &c. alienare præsumpserit, alienatio, concessio, hypotheca, locatio, conductio, &c. nullius sit roboris, &c. qui alienant, &c. Et qui recipiunt, &c. sententiam excommunicationis incurrant.

Et in pluribus cap. max. Barchinonensi 1574. Romano 1580. Venetiis 1592. prohibitum reperitur Præsidentibus, sub pœna absolutionis ab officio, ne bona stabilia, & fundos quos vocant alienare, & aliqua pecuniæ summa recepta, rationes, & prætensiones extinguere præsumant.

Leo tamen 10. gratiam fecit super alienatione huiusmodi, in suo priuilegio secundo.

Tenore præsentium concedimus, vt pro tempore existentes Magister ordinis, & Vicarius congregationis S. Marci, sibi subditis in Italia Conuentibus fratribus ac monialibus, & collegiis vtriusque sexus de pœnitentia B. Dominici nuncupatis, facultatem præbere possit, quod commutare, & vendere possint bona immobilia, quæ habent, & habituri sunt, &c. prouiso tamen quod pretium eorum centum ducatorum auri de Camera, secundum communem æstimationem valorem non excedat, & in emptionem vel reparationem, aut augmentum aliorum bonorum magis vtilium, & necessariorum, cum effectu conuertantur, & adhoc accedat assensus maioris partis vocalium Conuentus, &c. Non obstantibus, &c. Specialiter Constitutione Pauli 2.

Clemens 7. gratiam prædictam Leonis 10. declarat adhuc perseuerare, etiam si Congregatio S. Marci suppressa fuerit, & redacta sub cura Prouinciæ Romanæ, & eam ampliat his verbis.

Tenore præsentium, auctoritate Apostolica, concedimus, vt pro tempore existens tam Magister ordinis quam Prouincialis Prouinciæ Romanæ, sibi subditis in Italia, Conuentibus, &c. dicta facultate vti possint, videlicet, licentiam bona Conuentuum & locorum huiusmodi ad certum tempus ac in perpetuum locandi, vel in Emphiteusim ad lineam masculinam concedendi, siue commutandi, aut vendendi, vel quocumque alio titulo alienandi, bona immobilia, & pretiosa mobilia minus vtilia, quæ nunc habent, & in posterum iusto titulo habituri sunt, tam pro satisfactione debitorum aut pro vtilitate, aut necessitate Conuentuum siue locorum prædictorum contractorum, aut eadem vtilitate suggerente contrahendorum, quam alia euidenti vtilitate, prouiso tamen, quod pretium bonorum immobilium si vendantur, aut quouis modo alienentur, centum ducatorum auri de camera secundum communem æstimationem valorem annuum non excedat, & in emptionem, reparationem, aut augmentum aliorum bonorum immobilium, seu præfatorum debitorum realem solutionem, cum effectu conuertatur, & accedat assensus &c. Constitutionibus Apostolicis & specialiter Pauli 11. nõ obstantibus.

Eadem gratia concessa fuit à Sixto 4. Congregationi Lõbardiæ harũ serie.

Præsentium tenore vobis fratribus Congregationis Lombardiæ concedimus, vt de consensu Vicarij Generalis vestræ congregationis, qui pro tempore fuerit, possitis commutare aut vendere possessiones, & bona immobilia quæ nunc habetis, & in posterum iusto titulo habituri estis, pro euidente vtilitate vestrorum Conuentuum, super quo vestram, & Vicarij vestri conscientiam oneramus, prouiso tamen quod pretium ipsorum bonorum immobilium si vendantur, in emptionem aliorum bonorum immobilium magis vtilium cum effectu conuertatur, & ad hoc accedat consensus maioris partis vocalium dicti Conuentus, iuxta morem vestri ordinis. Non obstantibus, &c. etiam si di-

Ea bona haberent annexam deuolutionem ad alia loca vel personas,&c.

Et quia etiam præfata Congregatio in Prouinciam erecta fuit, propter quod forsan posset dubitari, nũ prædicta gratia perseueret. Ideo Paulus Papa 3. declarauit sua Cõstitutione, omnes gratias, facultates, exemptiones, ac priuilegia concessa congregationi, permanere in sua firmitate etiamsi in Prouinciam erecta sit, quæ Cõstitutio inter priuilegia Prouinciæ asseruatur.

Valleoleti 1605. mandatur, vt nulli Conuentui liceat petere licentiam alienandi, vel commutandi bona stabilia, nisi in visitatione Prouincialis, præhabito maturo consilio, cum expedire iudicatum fuerit.

De Ecclesiarum ædificatione, consecratione, reconciliat. & immunitate.

CAP. XX.

SVpposita licentia ædificandi loca nostra, de qua supra dictum est cap. de domibus constituendis, pro ædificanda Ecclesia notandum est priuilegium Honorij 4. quod est 4. inter sua, quod ita disponit.

Nos vestris supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica tenore præsentium indulgemus, vt si Diocesani à vobis requisiti humiliter, primum lapidem in huiusmodi Ecclesiis, siue oratoriis ponere, ac etiam altaria vestra, Ecclesias, & oratoria, ac cæmeteria, consecrare seu benedicere denegauerint, vel id facere vltra quatuor menses distulerint, vos per quoscumque malueritis Episcopos gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentes, præmissa licitè recipere valeatis.

Bonifacius 9. idem de verbo ad verbum confirmat, priuilegio 5. Leo 10. in bulla quæ incipit, Sacro approbante Conc. prædicta moderatur his verbis.

Nec ab alieno Episcopo, consecrationem Ecclesiæ, aut altaris, aut cæmeterij benedictionem petere, seu in Ecclesiis ædificandis primum lapidem ponere, per alienum Episcopum, aut pons facere possint, nisi vbi Ordinarius bis aut ter cum debitis reuerentia, & instantia requisitus, sine legitima causa recusauerit.

Est tamen nunc obseruandum decretum Conc. Tridentini sess. 6. cap. vltimo, quod etiam repetitur sess. 14. cap. 11. de reformatione, quo cauetur, ne Episcopi munia pontificalia exercere valeant in diœcesibus alienis, sine licentia proprij Episcopi. Nec non, & aliud quod habetur sess. 22. cap. de euitandis in missæ celebratione, vbi Episcopis mandatur, ne patiantur priuatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum cultum tantum dedicata oratoria ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda. Sanctum sacrificium à secularibus vel regularibus quibuscunque peragi. Vbi nota illa verba oratoria per Episcopos designanda, & visitanda.

De Ecclesiarum reconciliatione, siue benedictione, habemus hæc priuilegia. Iulius 2. in priuilegio suo concesso fratribus ordinis Minimorum, quod nostris insertum est fol. 214. indulget vt infra.

Quod ipsius ordinis Generalis, Vigiles, & Prouinciales, ac eorum Vicesgerentes, omnes, & singulas suas ecclesias, capitula, cæmeteria, & oratoria vbicunque recepta, vel recipienda, solemni benedictione benedicere, ac etiam illa sanguinis, siuè seminis effusione polluta, vel pollutas, quoties opus fuerit, (aqua tamen prius per aliquem Antistitem, vt moris est, benedicta) reconciliare valeant concedimus.

Et Leo 10. Prælatis ordinis minorum concessit vt infra, vt habetur fol. 232. nostrorum priuilegiorum.

Ac vestri ordinis Generalibus, Prouincialibus, Vicariis, Custodibus, Guardianis, pro tempore existentibus, &c. vt Ecclesias, cœmeteria, capitula, oratoria recepta, & recipienda, &c. & eorum quodlibet sanguinis, seu seminis effusione, seu alias quomodolibet polluta, quoties opus fuerit aqua per vos benedicta, præsertim in locis remotis, vbi Episcopum aquam benedicentem per duas dietas adire non potestis, reconciliare liberè licitè valeatis, auctoritate Apostolica concedimus.

Et nedum nobis concessum est Ecclesias benedicere, sed etiam multa alia pro vsu Ecclesiarum nostrarum. Nam bonifacius 9. priuilegio concessit.

Nos ipsorum Magistri ordinis, Priorum, & fratrum deuotis supplicationibus inclinati. felicis recor. Honorij 4. Clementis 4. Bonifacij 8. & aliorum prædecessorum nostrorum, &c. vestigiis inhærentes, vt de cætero, perpetuis, futuris, temporibus, huiusmodi fratres vbilibet constituti, candelas, aquam, sal, palmas, & alia ornamenta, in eorum ecclesiis seruatis solemnitatibus consuetis benedicere auctoritate Apostolica valeant concedimus.

Iulius 2. in priuilegio concesso ordini Minimorum supra relato, ita dicit.

Quod Generalis, ac Prouinciales, ac illorum Vicarij dicti ordinis Minimorum, corporalia, & alia ornamenta ecclesiastica suorum locorum, (præter calices, & patenas) benedicere valeant, concessimus, statuimus, &c.

Leo 10. in priuilegio supra notato Prælatis ordinis minorum concedit vt infra.

Ac vestri ordinis Generalibus, Prouincialibus, Vicariis, Custodibus; & Guardianis, pro tempore existentibus, &c. vt paramenta, & ornamenta; ac alia quæcunquè ad diuinum cultum, & vestrum vsum necessaria, in quibus chrisma non interuenit, pro vestro vsu tantum, solemniter benedicere valeant, auctoritate Apostolica concedimus.

Iulius 2. idem concessit Patribus ordinis eremitarum S. Augustini, vt patet folio 248.

Capucinus in additionibus ad Compendium priuilegiorum ord. minorum verbo Benedicere, refert Pium 5. anno 1566. concessisse ordini S. Hieronymi Hispaniæ, vt Priores monasteriorum existentes, non solum vestes, & alia ornamenta ecclesiastica ad cultum diuinum pertinentia, vt eis concesserat Innocen. 8. sed etiam corporalia, & alia omnia suorum monasteriorum quibus chrismatis vnctio non interuenit, liberè, & licitè benedicere possent.

Pro Ecclesiarum immunitate etiam multa fuerunt edita priuilegia, nam Nicolaus 4. priuilegio suo 2. eas exemit à visitatione Ordinariorũ his verbis.

Nos itaquè diligentius attendentes, &c. Volentes, &c. vos (scilicet fratres ordinis Prædicatorũ) & prædictum ordinẽ, ac Ecclesias, oratoria, domos, & loca vestra, in quibus habitatis, & habitabitis, dum eas habitaueritis, cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis, à cuiusuis alterius iurisdictione, & potestate omnimodè eximimus ex gratia speciali, decernentes ex nunc, eundem ordinem, personas, Ecclesias, & oratoria, ac loca præfata, soli Romano Pontifici, & Romanæ Ecclesiæ tàm in temporalibus, quàm in spiritualibus subesse.

Bonifacius 8. in suo Priuilegio 2. idem concedit hac phrasi verborum.

Decernentes vos, & ordinem prædictum nullo medio soli Romano Pontifici subiacere.

Ecclesias insuper, oratoria, domos, & loca, quæ tenetis, & in futurum tenebitis, dum, & quoties illa tenere, & habitare contigerit, exempta prorsus existere, nulloque medio sedi Apostolicæ subiacere.

Nicolaus 5. priuilegio suo 6. declarat Ordinarios non posse sententias excommunicationis, suspensionis, & interdicti, contra personas, & loca nostra promulgare, neque vllam superioritatem exercere, his verbis.

Decernentes ordinem, Magistrum, Priores, fratres qui nunc sunt, & erunt pro tempore, monasteria, loca, hospitalia, Ecclesias, &c. cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis, solum, & immediatè sedi prædictæ subiacere, ita quod Ordinarij, & Prælati, seu quæuis aliæ personæ in ea (vt pote prorsus exempta) generaliter, vel specialiter, communiter, aut diuisim, non possint quauis auctoritate excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias promulgare, aut alias ratione delicti, aut contractus vel rei de qua agitur, vbicunque committatur delictum, iniatur contractus, vel res ipsa consistat, potestatem seu iurisdictionem aliquam exercere quomodolibet possint.

Sixtus 4. in Mari magno eandem concessionem repetit, & nullitatem factis in contrarium apponit, horum verborum serie.

Decernentes quoque ex nunc quaslibet excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, & quoscunque processus, quasuis pœnas, & sententias generales vel speciales continentes, quos, vel quas, promulgari, vel haberi, & omnia quæ contra fratres, domos, & loca dicti ordinis quomodolibet fieri contigerit, etiam eorum exemptione (vt pote notoria) non aliter allegata, nullius roboris, vel momenti esse, & pro infectis haberi debere, volumus, & declaramus.

Adsunt etiam Congregationum decisiones super hoc, maxime vt nostræ Ecclesiæ ab Episcopis visitari non possint, vnde.

Congregatio Concilij censuit, Episcopos, aut alios locorum Ordinarios, vigore cuiusuis decreti Concilij Trid. nullam habere potestatem quouis tempore in monasteriis, domibus, & Ecclesiis regularium exemptorum, quibus non imminet cura animarum secularium, visitandi Ecclesias, sacristias, paramenta, vasa sacra, Altaria, & huiusmodi, nec etiam pixidem in quo asseruatur Sanctum Eucharistiæ Sacramentum.

Congregatio etiam Regularium decreuit. Curam animarum in Ecclesiis Regularium exercentes, tam regulares quam seculares, Ordinarij iurisdictioni subsunt, in concernentibus curam animarum, & administrationem Sacramentorum tantum iuxta formam Concilij.

De Ecclesiis vero quibus animarum cura annexa est agetur infra suo cap.

Qui etiam violentiam, Ecclesiis nostris inferunt, excommunicationem eo ipso incurrunt, nam præter illam excommunicationem quæ habetur in cap. Conquesti, extra, de sententia excommunicationis quam Caietanus in summula verbo excommunicationum. 21. sub his verbis refert.

Memoratos sacrilegos (qui scilicet confregerant violenter quasdam Ecclesias, & expoliauerant) *excommunicatos nũcieris, & faciatis vt excommunicatos euitari, donec passis iniuriam congruè satisfaciant, & damna data resarciant, & cum literis vestris veritatem continentibus Apostolico se conspectui repræsentent.*

Clemens 4. priuilegio 2. & Bonifacius 9. priuilegio suo 5. ita disponunt.

Perpetua, & irrefragabili constitutione constituimus, & etiam ordinamus, vt de cætero quæcunque personæ cuiuscunque status vel conditionis extiterint, quæ Ecclesias siue

quæcunque loca dicti ordinis violare, seu in eis violentiam damnabilem exercere præsumpserint, eo ipso excommunicationis sententia sint innodatæ, à qua nisi per sedem Apostolicam vel Conseruatores eisdem fratribus contra eosdem inferentes incurias, ab eadem sede deputatos, (iniuriam passis prius debite satisfactis,) nequeant absolui.

De immunitate Ecclesiarum quo ad delinquentes ad eas confugientes.

CAPVT XXI.

MAgna profectò iniuria fieret loco sacro, si confugientes ad illam possent Iudices seculares vi extrahere, & ideo non permittenda est huiusmodi violatio. Quamuis autem Sixtus V. in odium bannitorum ac latronum pro regno Neapolitano Constitutionem ediderit, incipientem. Alias felicis recordationis, &c. qua constituit vt huiusmodi facinorosi viri non possent se hac immunitate Ecclesiastica defendere, si ad Ecclesias confugissent, & Iudices seculares possent illos à locis sacris extrahere, imponendo etiam pœnas religiosis si eos impedirent. Tamen Gregorius XIV. omnibus bene pensatis Constitutionem edidit, quæ nunc seruanda est, cuius summa hæc comprehendit capita.

Hac itaque nostra perpetuo valitura Constitutione, omnia, & quæcumque priuilegia indulta, & gratias per quoscumque nostros prædecessores, aut nosmetipsos, & sedem Apostolicam, seu legatos super extrahendis ab Ecclesiis, Monasteriis, ac locis religiosis, &c. quorum tenores hic haberi pro expreßis volumus, &c. ita ad vnam tantum formam reducimus, & moderamur, vt laicis ad Ecclesias loca uè sacra ac religiosa confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, qui uè homicidia, aut mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumuè cœmeteriis committere non verentur, aut qui proditoriè proximum suum occiderint, aut assaßinij, vel hæresis, aut læsæ maiestatis in personam ipsiusmet Principis rei extiterint, immunitas Ecclesiastica non suffragetur, sed vniuersis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum, & monasteriorum Prælatis, tam secularibus, quam cuiusuis ordinis regularibus districtè præcipiendo mandamus, & præcipimus, vt laicos in casibus prædictis delinquentes ad eorum Ecclesias, domos, monasteria, & alia loca sacra, & religiosa respectiue confugientes, & in eis se recipientes ac morantes, qui prædicta delicta eorumue aliquod iudicio suo commisisse videbunt, quando à Curia seculari requisiti fuerint, & quilibet eorum fuerit requisitus, ministris, & officialibus Curiæ secularis, absque irregularitatis nota, aut alicuius censuræ Ecclesiasticæ incursu, tradi, & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & curari faciat. Ne autem Curiæ secularis ministri facultate, illos per se, & propria auctoritate extrahendi, & adducendi sibi olim vt præfertur attributa, & per præsentes reuocata, abutantur, volumus, decernimus, & declaramus, vt Curia secularis, eiusque Iudices, & Officiales ab Ecclesiis, monasteriis, locisque sacris prædictis, laicum aliquem vt præfertur delinquentem, in nullo ex casib. prædictis, sine expressa licentia Episcopi vel eius Officialis, & cum interuentu personæ ecclesiasticæ ab eo auctoritatem habentis, ad quos solos, & non ad alios Episcopis inferiores,

etiam si alias Ordinarij sint, aut nullius diœcesis, aut Conseruatores ab hac sede Apostolica specialiter, vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat. Occurrente autem casu in loco exempto, & nullius diœcesis, tunc ad Episcopum viciniorem deuoluantur hæc cognitio, & non ad alios, capere, extrahere aut incarcerare non possint, nisi eo casu quo ipse Episcopus, & dictæ personæ Ecclesiasticæ requisitæ alios in delictis superius expressis culpabiles, tradere aut capturæ, & carcerationi interuenire, & assistere recusauerint; tuncque reuerentiæ ecclesiasticæ, & loci sacri debitè memores, prædictos delinquentes minoris, quo id fieri possit scandalo, & tumultu extrahere curent. Quodq; delinquentes laici prædicti, postquam vt præfertur ab Ecclesiis locisuè sacris extracti, & capti fuerint, ad carceres Curiæ ecclesiasticæ reponi, & inibi tuto & firmo carcere, ac opportuna custodia data illis (si opus fuerit,) per Curiam secularem, detinere debeant, nec inde extrahi, Curiaq; seculari consignari, nec tradi possint, nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi verè crimina superius expressa commiserint, tuncque demum de mandato Episcopi per Iudicem ecclesiasticum Curiæ seculari, quacunque appellatione postposita consignentur. De crimine vero hæresis cognitio tota ad forum Ecclesiasticum pertineat, nec in ea Curia secularis se quoquomodo intromittat, sicut etiam prohibemus, nec contra Ecclesiasticas personas seculares, vel cuiusuis ordinis regulares, vel militiæ, etiam S. Io. Hierosolimitani, etiam vigore quoruncunq; priuilegiorum, &c. quæ omnia ad terminos iuris reducimus, procedant, aut se intromittant, illasuè à locis sacris extrahant, etiam in casib. hic expressis, &c. Quod si quis quacunque dignitate præditus, præmissorum quædam contra hanc Constitut. attentare præsumpserit, ipso facto censuras quæ contra libertatis Ecclesiasticæ violatores sunt promulgatæ, incurrant. Non obstantibus, &c.

De cœmiteriis, sepulturis, & quarta funeralium.

CAPVT XXII.

POssumus iuxta Ecclesias nostras habere cœmeteria, & in eis habere sepulchra nedum pro sepeliendis cadaueribus fratrum decedentium, sed etiam pro quibuscumque secularibus, qui eligunt apud nos sepeliri, quod patet ex infra notatis priuilegiis, Et primo Gregorius IX. in suo priuilegio 3. ita disponit.

Sepulturam Ecclesiarum vestrarum liberam esse decernimus, & illorum deuotioni, & extremæ voluntati qui illic sepeliri deliberauerint nullus obsistat, salua tamen iustitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur.

Sixtus IV. in Mari magno ita concedit.

Sepulturam quoque in locis, cœmeteriis, & Ecclesiis vestris concedimus, & eam esse liberam censemus, vt eorum deuotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri desiderauerint, (nisi excommunicati, vel interdicti, aut etiam publice vsurarij fuerint) nullus obsistat, salua tamen iustitia, vt supra. Districtius inhibentes, vt nulli religiosi, vel seculares vobis inuitis, aliquorum corpora defunctorum in vestris cœmiteriis sepelire, aut in Ecclesiis vestris missarum solemnia, vel pro animabus illorum, qui ad loca vestra tumulandi deferuntur, ibidem exequias celebrare sine vestro assensu præsumant.

Et infra in eadem Bulla subdit.

Illam vero partem literarum Gregorij prædicti qua liberam esse voluit sepulturam in Ecclesiis Prædicatorum, salua vt supra, declarantes, libertatem huiusmodi intelligi debere dicimus etiam quo ad hoc, vt fratres ipsi, nullius super hoc petita licentia Parochias in quibus corpora prædicta forent, cum Cruce processionaliter ingredi, & corpora ipsa leuare, & ad ipsorum Ecclesias sepelienda deferre possint, vbi hoc consuetum foret vel presbyteri de leuatione requisiti hoc facere recusauerint. Nec cogantur inuiti etiam prætextu consuetudinis, illa ad Parochiales Ecclesias, aut alia loca deferre, & cum illis, vel sine illis celebrari facere pro eisdem diuina officia ante, vel post sepulturam eorundem.

Leo X. in bulla, quæ incipit, Sacro approbante Concilio, prohibet fratribus vt infra.

Parochias autem cum Cruce ad leuanda corpora eorum, qui apud eorum (.i. Prædicatorum) *Ecclesias suam elegerint sepulturam intrare non possint, nisi præmonito, & requisito, ac recusante Parochiano presbytero, & tunc sine eius, & Ordinarij præiudicio, & nisi aliqua consuetudo, quæ sit in viridi obseruantia illis suffragetur. Volentes quoque sepeliri in habitu eorundem fratrum, in claustro non degentes, sed in propriis domibus manentes, in eorum vltima voluntate sepulturam sibi eligere possint.*

Benedictus XI. specialiter etiam dicit in suo priuilegio 2.

Iubemus, vt fratres (.s. Prædicatores) *corpora defunctorum, qui apud eos dum viuerent sepulturam elegerunt, processionaliter cum Cruce, thuribulo, & aqua benedicta, cantando, vel legendo officium mortuorum, vel psalmos, & alias ingrediendo Parochias, possint assumere, & ad suas Ecclesias deferre.*

Notabis tamen, quod in Clem. Cupientes extra de pœnitentiis, prohibetur sub pœna excommunicationis cum reseruatione, ne quis etiam regularis inducat aliquem ad vouendum, vel iurandum, aut alias fide interposita promittendum, vt sepulturam in suis Ecclesiis eligant, vel mutent.

Quantum autem spectat ad canonicam portionem, adnotetur decretum Concilij Tridentini, sess.25. c.13. de Reformatione, quod est.

Decreuit S. Synodus, vt quibuscunque in locis iam ante annos quadraginta, quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ solita esset persolui, ac postea fuerit ex quocunque priuilegio aliis monasteriis hospitalibus, aut quibuscunque locis piis concessa, eadem post hac integro iure, & eadem portione, quæ antea solebat Cathedrali, siue Parochiali Ecclesiæ persoluatur. Non obstantibus priuilegiis, &c.

De quibus autem quarta hæc sit soluenda declarant infrascripta priuilegia.

Alexand. IV. priuilegio 22. concedit, vt infra.

Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod nonnulli Rectores Ecclesiarum de his, quę à fidelibus in ornamentis, vel pro eis, seu fabrica, luminaribus, anniuersariis, septimo, trigesimo, siue aliis ad perpetuum cultum diuinum vobis legantur, quandoque tertiam, interdum quartam partem, & frequenter medietatem à vobis, vel ab vltimarum voluntatum executoribus, aut decedentium hæredib. exigunt, vel extorquent nomine canonicę portionis, & nisi eis pars prædicta concedatur, in vos, vel executores, & benefactores vestros excommunicationis, siue interdicti, aut suspensionis præ-

sionis præsumunt sententias fulminare. Super his igitur vobis prouidere volentes, vniuersis Prælatis, & Rectoribus Ecclesiarum, ne de præmissis à vobis, siue ab executoribus, vel hæredib. vt supra, portionem aliquam contra constitutiones canonicas exigere vel extorquere præsumant, aut in eos, vel loca sententias aliquas hac occasione proferre, auctoritate præsentium districtius inhibemus, decernentes irritas, & inanes, &c.

Benedictus 9. in dicto suo priuilegio decernit, vt infra.

De quibuscunque verò relictis dictis fratribus, & in communi, & in speciali, in vltimis decedentium voluntatibus, nulla per Parochiales morientium canonica portio, & multo minus per Episcopos quarta Episcopalis subtrahatur, cum eis, (cum sint exempti) non subsint. De funeralibus autem, medietatem si commode diuidi possunt, alias medietatis æstimationem persoluant. Funeralia vero intelliguntur hoc casu, quæ cum funere deferuntur. De candelis autem, quas fratres portant portio non petatur.

Sixtus 4. in Mari magno decernit.

De candelis autem, quæ per manus fratrum dantur, non detrahatur. In reliquis vero quibus quarta soluenda veniret, conuentiones si quæ sunt inter fratres prædictos, & locorum Ordinarios, ac Ecclesiarum Rectores initæ laudabiles in posterum seruentur. Et si forte per nos, & sedem Apostolicam de pijs legatis, & relictis decima, seu alia quota portio alicui concessa foret, aut in futurum concedi contigerit, fratres prædictos, (.i. Prædicatores) *loca, ac eis legata, vel relicta, decernimus, & volumus, non includi, nisi de præsenti decreto non per clausulas generales, &c.*

Leo 10. in priuilegio 9. idem confirmat, & monet eos ad horum manutenentiam. Idem decernit, & Pius V. in Bulla declarationis, & confirmationis priuilegiorum nostrorum, quæ non fuit reuocata, nisi in his quæ obstant decretis Conc. Tridentini.

De his qui petunt sepeliri cum habitu ordinis dicitur infra cap. de Vestibus.

Quædam decreta edita à Congregatione regularium pro resolutione controuersiarum inter Archiepiscopum Mediolanensem, & Regulares in his.

Liberum sit hæredibus defuncti vnum pluraue officia pro defuncto in Ecclesijs regularium celebrari facere, nec non tot ex regularibus eiusdem Conuentus vocare, quot eis videbitur.

Parochi à regularibus in quorum Ecclesijs Parochianum sepeliri contigerit, non plus portione sibi iure, seu consuetudine debita, quæ quarta dicitur exigatur.

Si corpora defunctorum sepelienda in Ecclesijs monialium regularibus subiectarum deferantur, Parochis nō liceat, ad dictas Ecclesias deferre, nisi de consensu Superioris, vel Confessarij, qui tunc præsens aderit, Hæredes autem non astringantur regulares quibus monasterium subest, ad funus euocare.

Eadem sacra Congregatio statuit circa quartam funeralium omnino standum esse in decreto Conc. Trident.

Congregatio Concilij censuit, quoties cadauera ad Ecclesias mendicantium deferuntur, officium mortuorum, & cætera munia, quæ in huiusmodi ministerijs adhiberi solent, non à Canonicis, & Clero, sed à fratribus peragi debent.

De processionibus, & præcedentia in eis.

CAPVT XIII.

Conc. Trid. sess. 25. de Regularibus cap. 13. ita habet de processionibus. *Exempti autem omnes tam clerici regulares, quàm seculares quicunque etiam Monachi, ad publicas processiones, vocati, accedere compellantur, ijs tamen exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo viuunt.*

Leo 10. in Bulla Sacro approbante Conc. inquit.

Ab Episcopis, & Prælatis fratres ad processiones solemnes pro tempore faciendas requisiti accedere debent, dummodo eorum loca suburbana vltra vnum miliare à ciuitatib. respectiuè non sint remota.

Congregatio Concilij censuit regulares monasterij vltra medium miliare, à ciuitate distantes, non posse ab Episcopo compelli ad processiones accedere.

Eadem Congregatio censuit Episcopos casibus prædictis, posse regulares compellere per censuras ecclesiasticas, & alias pœnas arbitrarias.

Eadem congregatio censuit processiones publicas esse, quæ fiunt in festo corporis Christi, in litanijs, & iubileis publicis, & quę iussu Episcoporum fiunt pro bono publico.

Per fratres solent fieri processiones aliquæ separatim à clero, pro quibus aliqua notanda sunt. Et quia fertur sacram Congregationem regularium decreuisse regulares in huiusmodi suis processionibus nō exeant limites suæ Parochiæ, neque alienas intrare possint, sine licentia Parochi in cuius fines intrare intendunt. Et quod in eis non permittantur puellæ portare imaginem B. Virginis vel aliam quamcumque sacram. In fauorem tamen societatis S. Rosarij promulgatum fuit ab eadem huiusmodi decretum.

Congregatio regularium censuit, seruandam esse consuetudinem ab annis decem retroseruatam, vt processio societatis S. Rosarij possit fieri per totam ciuitatem, vel terram, in quatuor festiuitatibus S. Mariæ virginis.

Hæ autem festiuitates sunt, Natiuitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Assumptionis eiusdem B. Mariæ. Propter has antē processiones, & quascunq; alias licitum est mulieribus intrare primum claustrum, ita refertur in cap. Romano 1571. Pium 5. declarasse. Habetur etiam aliud decretum Congreg. Regul. huiusmodi.

Liceat regularib. in suis Ecclesijs & infra septa suorum Monasteriorum, SS. Eucharistiæ Sacramentum processionaliter circumferre, & super altare publicè adorandum exponere, ex quauis publica siue priuata causa.

De processione vero, quæ fieri solet quibusdam in locis Dominica infra octauas Corporis Christi à fratribus, diuersas habemus decisiones. Nam Pius 5. referente Gregorio 13. & Clemente 8. vt infra, concesserat ordini nostro, vt eo die nos soli facere processionem possemus. Quam concessionem reuocauit Gregorius 13. bulla 39. apud Rodericum, per hæc verba.

Nos igitur ex mera nostra deliberatione, & certa scientia, vniuersis ecclesiasticis personis tam secularibus, quam quorūcunque ordinum regularibus concedimus, vt non obstantibus literis Pij 5. quibus concedebatur, vt soli fratres Prędicatores dicto die Dominico processionē facere possent, eis liceat ipso die Dominico ac omnibus alijs diebus in-

fra octau. Corporis Christi processionem facere, annullantes in hoc prædictas literas, &c.

Clemens vero 8. easdem literas Pij. 5. roborauit his verbis.

Dudum fel. recor. Pius 5. piis causis adductus perpetuo concessit professoribus ord. Prẹd. quod in ciuitatibus, opidis, villis, & terris, in quib. soliti erant processionẽ celebrare, in die Dominico infraoct. Corporis Christi illam singulis annis celebrare possent, & alijs presbyteris ac fratribus aliarum religionũ inhibuit, ne dicto tempore, & hora processionem facere, aut cum eis concurrere auderent, &c. Et vt Christi fideles maiori cum deuotione, & numero conuenirent, interessentibus plenariam indulgentiam est elargitus, prout in eius literis datis sub forma Breuis die 21. Iunij 1571. plenius apparet. Cum autẽ credatur, quod dictus Pontifex hanc gratiam concesserit tam fabricatis, quàm fabricãdis domibus dicti ordinis, &c. Nihilominus, &c. Nos dictarum literarum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, supplicionib. inclinati, litteras prędictas cum omnibus clausulis concessionibus, & inhibitionibus ad omnes domos fabricatas, & fabricandas in omnibus ciuitatib. oppidis, & villis terris, auctoritate Apostolica tenore præsentiũ extẽdimus, & ampliamus, ita vt Priores in quibuscunque mundi partib. processiones dicto die per vicos, plateas, & loca ab eis electa, & semel tantum eligenda, soli absq; vllo impedimento celebrare possint inhibentes omnib. presbyteris, & fratrib. aliarum religionum, ne dicto tempore, & hora similes processiones celebrare, aut cum dictis fratrib. Prædicatorib. concurrere audeant. Nec non singulis personis verè pænitentib. & confessis, aut propositum confitendi statutis temporib. habentib. quæ dictæ processioni deuotè interfuerint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam ac remissionem auctoritate præmissa elargimur, Non obstantib. quibuscumq; Constitut. & ordinat. Apostolicis, &c. Datum Romæ die 8. Martij. 1592.

Quo vero ad præcedentiam in processionibus, & alijs actionibus notandum est, quod Conc. Trid. sess. 25. de reg. cap. 13. statuit.

Controuersias omnes de præcedentia, quæ persæpe maximo cum scandalo oriuntur inter ecclesiasticas personas, tam seculares, quàm regulares, tam in processionibus publicis, quàm in his, quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & deferenda vmbella aliijsque similibus, Episcopus semota omni appellatione componat, non obstantibus quibuscunque, &c.

Congregatio regularium anno 1593. censuit.

Ad tollendas omnes lites, & controuersias, quæ inter regulares plerumque solent oriri super eorum præcedentia in processionib. cæterisque actib. tum publicis tum priuatis, illud in futurum obseruandũ censuit, quod in hac alma Vrbe omnium Magistra seruatur.

Post Concilium autem videntur Pontifices diuersa constituisse, nam Pius 5. in sua Constitutione edita 1568. quæ incipit Diuina disponente, iubet vt infra.

Et nihilominus fratres ipsos ordinis Prædicatorum, primum digniorem & honorabiliorem locum inter ordines mendicantium tenere debere, etiam si tales essent, qui non generali sermone comprehenderentur, sed speciali nota indigerent, tam in sessionibus, & congregationibus quorumcunque conciliorum generalium, siue prouincialium, quàm in processionibus ministerijs, & alijs actibus publicis, vel priuatis, in quibuscumque ciuitatibus, oppidis, & terris, & aliis locis, speciali, præeminentia, omnino gaudere iubemus, statuimus, & diffinimus, etiam si illic domos, loca, Conuentus, vel

Ecclesias non habuerint, siue habeant, & etiam si aliorum ordinum mendicantium fratres, in eisdem ciuitatibus & locis antiquiores existant, vel eorum domus, & Ecclesiæ ibi prius fundatæ fuerint. Districtè in virtute S. Obedientiæ, & sub pœna excommunicationis maioris ipso facto incurrendæ omnibus Religiosis, ne præmissorum occasione dictos fratres molestare, inquietare, aut impedire præsumant, inhibentes, &c. Non obstantibus, &c.

Gregorius vero 13. in oppositum ordinauit Const. quæ incipit De nobis, &c. Vbi dicit.

Apostolica auctoritate decernimus, quod quicumque de fratrib. mendicantibus, qui inter se de præcedentia contendunt, qui sunt in quasi pacifica possessione præcedentiæ ac iuris, in processionibus, &c. præcedere debent. Quando verò non probetur hæc quasi pacifica præcedentia, illi qui antiquiores sunt in loco controuersiæ præcedere debeant, Et ille ordo, qui in aliquo loco prius domum habuerit, alios præcedat, &c. Nolumus autẽ per præsentes aliquod præiudicium generari super præcedentia ordinum in Conciliis, & aliis actibus publicis, & priuatis, &c.

Clemens 8. Decretum edidit quo declarat in Prouinciis Hispaniarum illum ordinem seruari debere inter fratres nostros, & aliorum ordinum mendicantium, qui in Vrbe Roma seruatur. s. vt in omnibus actibus, & processionibus tam publicis, quam priuatis Prædicatores digniorem locum obtineant, etiam si illorum domus in eo loco penitus fundata non sit, & apponit excommunicat. latæ sententiæ.

De Ecclesiis, & earum cultu.

CAPVT XXIIII.

Conc. Trid. sess. 22. capite de obseruandis in celebratione missæ, ita de Ecclesijs disponit ac de earum cultu.

Ab Ecclesiis vero musicas eas, quæ siue organo, siue cantu, lasciuum, aut impurum aliquod miscetur, item seculares omnes actiones, vana atque ideo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores, arceant Episcopi, vt domus Dei verè domus orationis esse videatur, & dici possit.

Pius 5. vt executione prædicti decreti Constitut. edidit 1566. in qua de Ecclesijs dicit.

Statuimus, vt ad Ecclesias humilis sit accessus, deuotus ingressus, quieta conuersatio, deuotis orationibus insistant, omnes genuflexi Sanctiss. Sacramentum adorent, & ad nomen Iesu Christi caput inclinent, nullus in eis seditionem faciat, tumultum excitet, clamores moueat, impetumque committat. Cessent vana fœda & prophana colloquia, risus immoderati, & strepitus iudiciorum, & alia quæ diuinum officium perturbare possunt. Nullus in eis deambulare audeat dum diuina celebrantur officia, aut diuinum verbum prædicatur, nec verso tergo ad Sanctiss. Sacramentum irreuerenter sedere. Nullus cum mulieribus impudicis, siuè etiam honestis, colloquium scurrile habeat, vel actus inhonestos faciat, &c.

Idem Summus Pontifex hæc addit.

Pauperes quoque mendicantes, vel eleemosynas petentes per Ecclesias tempore missarum, prædicationum, aliorumque diuinorum officiorum ire non sinant, sed eos ad valuas Ecclesiarum stare faciant sub pœna, &c. Religiosis vero claustralibus præcipimus in virtute S. Obedientiæ, vt in Ecclesiis suis deputent aliquem qui tales eiiciat. Et si negligentes fuerint grauissimè ab Ordinario corripiantur, quod si illi parere recusauerint, grauissimas pœnas incurrant, etiam corporales arbitrio nostro, vel Superiorum, &c.

Ecclesiæ, & quælibet ad diuinum cultum facientia decenter aptentur, & mundentur, & ita accommodentur, vt nil sit, quod domum Dei dedeceat, vel aduenientium oculos quomodolibet offendere possit. Venetiis 1592.

In locis vbi ad minus tres, vel quatuor fratres clerici morantur, horæ canonicæ in choro persoluantur, & Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum super altare in decente pixide conseruetur, cum vna saltem accensa lampade. Neap. 1600.

In Ecclesiis fratres, nec inter se nec cum secularibus confabulantes deambulent, maximè in prospectu Sanctiss. Sacramenti, & Prælati super hoc diligentiam adhibeant, quod maxime obseruari debet in præsentia secularium, quos à nobis discere oportet, quanta reuerentia locus iste venerandus sit, Romæ 1571. & duobus sequentibus.

Congregatio regularium censuit, & statuit, vt liceat regularib. in eorum Ecclesiis, & infra septa Monasteriorum suorum, Sacrosanctum Eucharistia Sacramentum processionaliter circumferre; & super altari publicè adorandum exponere, ex quauis causa publica, vel priuata.

In regula autem P. Augustinus dicit.

In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, vnde & nomen accepit, vt si forte præter horas constitutas si eis vacat aliqui orare voluerint, non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agendum putauerint.

De Ecclesiis quibus animarum cura annexa est.

CAPVT XXV.

Ecclesiæ quibus animarum cura sit annexa non recipiantur.

Item nullus audeat instare, vel rogare pro beneficiis suis consanguineis obtinendis. *Cap. De domibus concedendis, &c.*

Quamuis per Constitutionem prædictam prohibeatur fratribus nostris cura animarum secularium, ex priuilegiis tamen summorum Pontificum conceditur, vt ex his patet.

Honorius III. in bulla confirmationis ordinis dicit.

In parochialibus Ecclesiis quas habetis, liceat vobis sacerdotes eligere, & diœcesano Episcopo præsentare, quibus Episcopus curam animarum committat.

Sixtus IV. in Mari magno ita concedit.

Concedimus eisdem fratribus, vt in concessis, & quas eis concedi contigerit curatis Ecclesiis, per Capellanum per eos pro eorum nutu ponendum, & amouendum, curã huiusmodi exercere valeant. Qui quamdiu capellanatus officio, fungatur, ac si dicti ordinis Prædicatorum professor existeret, dictorum fratrum Prædicatorum libertate, & exemptione vbique fruatur, Ecclesiæ vero prædictæ, & illarum bona, prærogatiua qua cætera illorum bona gaudent, lætetur.

Sed Leo X. hanc Sixti concessionem moderatur in bulla, quæ incipit.

Sacro approbante Concilio, &c. statuimus, quod Episcopi, & alij Prælati, parochiales Ecclesias ad eosdem fratres legitimè spectantes ratione locorum suorum, quo ad ea, quæ ad parochianorum curam, & sacramentorum conseruationem, & administrationem pertinent, (sine tamen visitatorum insolito grauamine, vel impensa) visitare, & iuxta illarum curam gerentes, & circa illam delinquentes, si religiosi fuerint ipsius ordinis regularia instituta intra septa regularis loci, seculares vero presbyteros, & fratres huiusmodi beneficia obtinentes liberè tanquam suæ iurisdictioni subiectos, punire valeant.

Conc. autem Trident. sess. 25. de regularibus cap. 11. ita disponit.

In monasteriis, seu domibus virorum, seu mulierum, quib. imminet animarum cura personarum secularium, præter illas, quæ sunt de illorum locorum familia, personæ tam regulares, quàm seculares huiusmodi curam exercentes subsint immediate in his, quæ ad curam, & sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi in cuius diœcesi sunt sita. Nec ibi aliqui etiam ad nutum amouibiles deputentur, nisi de eiusdem consensu ac præuio examine, per eum vel eius Vicarium faciendo, exceptis locis illis in quibus Generales, siue capita ordinum sedem ordinariam habent.

Sess. autem 24. cap. 2. de reformatione.

Ratione parochialium, aut aliarum secularium Ecclesiarum etiam annexarum, illi qui illarum curam exercent, quicumque illi sint, debent Synodo diœcesanæ interesse.

Et ex decretis Congreg. hæc habentur.

Congregatio regularium censuit. Ex fructibus parochiæ vnitæ monasteriis detrahenda est merces Vicarij, qui ei inseruiet, non autem ex fructibus monasterij.

Eadem Congregatio etiam statuit curam animarum in Ecclesiis regularium exercentes tam regulares, quàm seculares, Ordinarij iurisdictioni subsint in concernentibus curam animarum, & sacramentorum administrationem tantum, iuxtà formam Concilij.

Et Congregatio Concilij decernit Episcopos, aut alios locorum Ordinarios vigore cuiuscumque Decreti Concil. Trident. nullam habere facultatem quouis tempore in Ecclesiis regularium quibus non imminet cura animarum secularium, visitandi Ecclesias, Sacristias, paramenta, vasa sacra, altaria, & huiusmodi, aut etiam pixidem in qua asseruatur Sanctiss. Eucharistiæ Sacamentum.

De altaribus, sacristiis, & illarum sacris vtensilibus.

CAPVT XXVI.

HOnorius III. Innocentius IV. & alij concesserunt, vt possimus celebrare super altare portatile quod priuilegium confirmauit Sixtus IV. in Mari magno his verbis.

In locis in quibus degitis, liceat vobis habere oratoria, in quibus cum altari portatili missarum solemnia celebrare possitis.

In capitulo Veneto 1592. hæc statuuntur de vtensilibus sacris.

Altaris consecrati mensa sit decenter strata, & ornata, ac munda, tribusque mappis lineis & mũdis cooperta, quæ etiam habeat coopertorium coriaceum, vel ex grossiori & colorata tela, quod à puluere, & ab aliis immunditiis mappas præseruet, Neque sub ipsa mensa quicquam omnino reponatur.

Altaria portatilia ex præpolito lapide integra sint, aut non pro maiori parte fracta, longitudinis vnius palmi cum dimidio, & latitudinis vnius ad minus, non computato ornamento ligneo, crassitudinis vnciarum circiter duarum, quo circumquaque & subtus ligari firmiter debebunt. Quæ quidem mensæ altaris aptè inserantur, atque ita vt inter vtrumque cornu mensæ in medio collocata sint, ab ipsius fronte non longius distent spacio dimidij palmi. Sint vero illa inserta, vt è mensæ superficie vix paulum aliquid extet, quod sacerdotis celebrantis tactu dignosci possit.

Corporalia è tela linea pura, & candida sint, ac simplicia, nihilque elaborata, & nihil sericum intextum habeant, ab oris autem acus opere simplici punctim solum retorta sint. Eadem non notabiliter parua, aut magna erunt, sed conuenientis mensuræ, ita vt latitudo sit duorum palmorum, longitudo vero duorum cum dimidio ad minus. Nunquam tamen tam magna, vt quatuor plicas in longum, & tres in latum excedant.

De bursis (quod dicitur) illæ super Calicem ad altare deferantur, quæ Crucem, vel aliam sacram imaginem ex vna parte intextam habebunt, ex altera vero, (quæ ex eadem materia, & colore esse debet) verba consecrationis in cartula impressa. Intrinsecus vero subserico, vel tela tenui candida circumuestitæ sint.

Ampullæ non ex argento, stanno, auricalco, aliouè metalli genere, sed è cristallo, aut vitro perlucido non picto, & denique ab omni parte sordibus puræ, & suo quæque operculo stanneo argenteouè coopertæ sint.

A lateribus Ecclesiæ extra capellæ maioris ambitum loco aperto patentiq; confessionalia secundum formam à Visitatoribus Apostolicis præscriptam constituantur, & nemo Confessariorum audeat sub pœna suspensionis ad audientia Confessionum, mulierum confessiones nisi ad fenestellam, crate ferrea, vel lignea, aut alterius materiei munitam, & cum cappa semper audire.

In qualibet sacristia in loco patenti adsint decentes tabulæ quatuor. In quarum prima affixæ sint literę processus in Cœna Domini, prout quotannis à S.D.N. promulgatæ erunt. In altera tabula casuum quorum absolutionem sibi Episcopus reseruauerit, quique alio quouis iure, vel eidem, vel summo Romano Pontifici reseruati sunt. Tertia verò Anniuersaria ad quæ quilibet Conuentus tenetur, descripta continebit. Quarta proinde in secretiori sacristiæ loco asseruabitur, in qua missæ omnes quotidiè siue per aliquot dies hebdomadæ, vel simpliciter, vel ad particularia Ecclesię altaria persoluendæ, descriptæ continebuntur, quatenus cum ab aliis, tum à sacri-

sta, & Prelato pro tempore, conuentus onera circa missarum celebrationem sciantur, & eisdem satisfieri procurent. Porrò conuentuum Præsidentibus sub formali præcepto mandamus, vt infra quindecim dies quartam hanc tabulam fecisse teneantur.

De Campanis Constitutio cap. de officio Ecclesiæ, ita disponit.

Fratres nostri non habeant in domibus nostris nisi vnam campanam ad omnes horas. Solus Hebdomadarius tam in choro quàm in processionibus, cappa serica vtatur.

In principio ordinis in domib. nostris non habebamus, nisi vnam campanam ad omnes horas, vt notatur in cap. Nimis primo extra de excef. prælatorum. Et in cap. Patentibus, de priuileg. sed huic Constitutioni derogatum est per contrariam consuetudinem quasi generalem saltem in Italia, quæ quidem præscripta est, & rationabilis propter deuotionem populi. Seruatur tamen hæc Constitutio quantum ad hoc, quod in diebus non solemnib. non pulsamus nisi vnam campanam ad omnes horas. In festis verò duplicibus, & supra ad excitandam deuotionem populi pulsamus in Matutinis, Vesperis, & Missa plures campanas.

Leo X. in Bulla Sacro approbante Concilio ita disponit pro campanis pulsandis.

Et vt debitus honor matrici Ecclesiæ exhibeatur, Fratres etiam super hoc Apostolicæ sedis priuilegio muniti, die Sabbati maioris hebdomadæ antequam campana cathedralis, vel matricis Ecclesiæ pulsetur, campanas in Ecclesiis suis pulsare minime possint. Contrafacientes pœnam centum ducatorum incurrant.

Congregatio autem regularium itá censuit.

Ordinarij non impediant fratres pulsare campanas ad matutinum, horas, & missam, antequam pulsetur campana maioris ecclesiæ, præterquam in die Sabbati Sancti.

De celebratione Missarum.

CAPVT XXVII.

Conc. Trid. sessione 22. decretum edidit de obseruandis, & euitandis in celebratione missarum quod est.

Decernit. s. Synodus, vt Episcopi ea omnia prohibere atque è medio tollere sedulò procurent ac teneantur, quæ vel auaritia idolorum seruitus, vel irreuerentia, quæ ab impietate vix seiuncta esse potest, vel superstitione veræ pietatis falsa imitatrix inducit. Et vt multa paucis comprehendantur.

In primis quod ad auaritiam pertinet, cuiusuis generis mercedum conuentiones, pacta, & quidquid promissis nouis celebrandis datur, nec non importunas ac illiberales eleemosynarum exactiones, potiusquam postulationes, aliáque huiusmodi, quæ à simoniaca labe, vel certe à turpi quæstu non longe absunt prohibeant.

Deinde vt irreuerentia vitetur, singulis in suis Ecclesiis interdicant, ne cui vago, & ignoto Sacerdoti missas celebrare liceat. Neminem qui publice, & notorie criminosus sit, &c. Neuè patiantur in priuatis domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad

ad diuinũ tantum cultũ dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda, sanctum hoc sacrificium à secularibus vel regularibus quibuscumq; peragi, &c.

Postremò ne superstitioni locus aliquis detur, edicto, & pœnis propositis caueant, ne Sacerdotes alijs quã debitis horis celebrent, neuè ritus alios, aut alias cærimonias, & preces in missarum celebratione adhibeant, præter eas quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequenti, & laudabili vsu receptæ fuerint. Quarundam vero missarum, & candelarum certum numerum, qui magis à superstitioso cultu, quàm à vera religione inuentus est, omnino ab Ecclesia remoueant, &c. populum, vt frequenter ad suas parochias saltem diebus Dominicis, & maioribus accedant, &c.

Idem Conc. sess. 13. cap. 7. de Sacramento Eucharistiæ, in memoriam reducit, celebraturum si sibi conscius est peccati mortalis, quantumuis sibi videatur contritus, teneri prius illud sacramentaliter confiteri antequam celebret, modo non desit copia Confessoris.

In nostris Conuentibus in quibus fratrum est sufficiens numerus, sacri altaris ministeria etiam minima, ab ordinatis ministris quoad fieri possit exerceantur. Nullusque deinceps sacris vestibus indutus solemniter Epistolam canere permittatur, qui ad eum ordinem non fuerit promotus, & Superiores tales abusus de medio tollant, & delinquentes seueræ vindictæ subiaceant. Bonon. 1564.

Omnes cœrimoniæ quæ ad altaris ministerium, & alia diuina officia in nostris ordinariis notatæ sunt diligenter obseruentur, & in eis addiscendis, & exercendis, iuuenes instruantur. Et si in eis aliqua dubia oriantur, curet Magister ordinis, vt per fratres ab eo deputandos explicentur, quo in hoc sacro ministerio maxima vniformitas in nobis appareat. Vestium quoque sacrarum, & corporalium, quo ad fieri possit, eadem sit forma, & puritas Ibidem.

Sacerdos celebraturus antequam sacras vestes induat confiteatur, nec vlli vnquam confiteri liceat iam illas induto. Confessio autem siue reconciliatio fiat Confessore sedente, & pœnitente genuflexo, ac discooperto capite. Romæ 1569.

Vniformitas in cœrimoniis missarum seruetur, & prætermittantur quæ in missalibus nostris scripta non sunt, non celeriter valde nec morose nimis missa recitetur. Et cum non pro nobis tantum, sed etiam pro astantibus missa dicatur; sicut nec alte nimis, ita nec nimis submisse, sed voce mediocri, & deuota, vt astantes intelligere possint, dicenda est. Secreta vero silenter. Valentiæ 1596.

In sacro celebrando etiam non solemni, & maiori, accendatur cereus in consecratione, & eleuatione diuinissimi Sacramẽti, & aliquot ictibus campanulæ moneatur populus. Barchi. 1574. & sequent. Qui cereus remaneat accensus vsque dum sacerdos complete communicauerit. Romæ 1580. Omnes Sacerdotes in fine missæ dicant Euangelium, In principio. Romæ 1589.

Quilibet Religiosus quotidie, vel dicat, vel audiat missam. Ibidem, & Barch. Si qui autem sunt, qui senio, vel alio impedimento perpetuo, vel ordinario detenti sunt, vt celebrare non possint, teneantur saltem in omni

communione generali sacram sumere Eucharistiam præmissa Sacramentali confessione, Communionem vero generalem haberi volumus omni die Dominico tempore Aduentus, & Quadragesimæ, cætero vero tempore de quindena in quindenam, Barchi. 1574. & sequentibus.

Vt reuerentia debita Sacramento Sanguinis D. N. exhibeatur in missis statuitur, vt ante abstersionem oris, & ablutionem digitorum, sumant ablutionem calicis cum vino, & deinde abluant digitos. Et hoc seruetur inuiolabiliter, & contra facientes grauiter puniantur. Ex decla. cap de Visitat.

Quoad tempus celebrandi missas hæc consideranda sunt priuilegia.

Martinus V. in priuilegio 3. concedit Magistro ordinis, & successoribus vt infra.

Missam antequam dies illucescat, circa tamen diurnam lucem celebrare, aut per proprium vel alium Sacerdotem idoneum celebrari facere, ita quod id nec tibi, nec successoribus, nec Sacerdoti ad culpam valeat imputari, tibi, & successoribus de plenitudine potestatis Apostolica concedimus, & indulgemus.

Eugenius IV. Congregationi Monachorum S. Iustinæ de Padua ordinis S. Benedicti, concessit hoc priuilegium quod in nostris habetur fol. 251.

Quod huiusmodi congregationis Sacerdotes in itinere constituti, aut alia ad hoc subsistente causa, ante diem, vsque ad nonam inclusiuè celebrare valeant, tenore præsentium duximus concedendum.

In compendio priuilegiorum ordinis Minorum verbo Missa 2. notatur Innocentium VIII. concessisse fratribus ordinis nostræ Congregationis Hispaniæ reformatis, quod possint missam celebrare per horam ante diem & per horam post meridiem, præsertim quando prædicatur in Conuentibus, vel fiunt officia solemnia.

Pius V. de anno 1566. Reuocauit omnes licentias antea concessas cuilibet, celebrandi aut celebrare faciendi in sero etiam in festis Natiuitatis, & Resurrectionis Domini, & inhibet sub pœna suspensionis, ne id facere præsumant.

Honorius III. Gregorius IX. Honorius IV. concesserunt, vt etiam tempore interdicti generalis, celebrare missas valeamus in nostris Ecclesiis his seruatis.

Auctoritate præsentium vobis indulgemus, vt tempore interdicti, missas celebrare ac legere diuinum officium, ianuis clausis, non pulsatis campanis, voce submissa, excommunicatis, & interdictis ac omnibus personis quæ non sunt de vestro ordine exclusis, valeatis.

Sixtus IV. in Mari magno dicit.

Cum generale interdictum fuerit, in Ecclesiis, & oratoriis vestris & aliis quibuscumque locis clausis ianuis, &c. liceat vobis celebrare diuina, ac Ecclesiastica recipere Sacramenta, dummodo causam non dederitis interdicto, nec contingat id vobis specialiter interdici, nec prædicta Ecclesia, vel oratoria fuerint specialiter interdicta.

Alexander IV. in priuilegio 28. talem facultatem præbet.

Pro reuerentia B. Dominici Confessoris, cuius corpus Sacratiss. in vestra Ecclesia requiescit, &c. auctoritate præsentium indulgemus, vt cum fuerit interdictum generale, in vigiliis, & diebus festis dicti Confessoris, & per octo sequentes dies, apertis ia-

nuis, diuina officia solemniter celebrare possitis, exclusis dumtaxat excõmunicatis, &c.

Leo X. Priuilegio 11. Idem concedit in festis, & octauis aliorum sanctorum nostri ordinis. s. S. Petri Martyris, S. Thomæ Aquinatis, S. Vincentij, & S. Catharinæ Senensis.

Aduertatur tamen decretum Cõc. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 12. quod ita habet.

Censuræ, & interdicta nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo à regularibus in eorum Ecclesiis publicentur atque seruentur.

Parisiis 1611. ordinatur, vt in sacra missa peragẽda, facta cõsecratione tam ante eleuationem hostiæ, & calicis quam post, & quotiescunque tantum Sacramentum tractandum venit, Sacerdos ante eius acceptionem, & post depositionem singulis vicibus, (omissa venia profunda,) genua flectat.

De Missarum numero, & earum eleemosynis.
CAP. XXVIII.

FRatres vero nostri numerum missarum non admittant.
Ex cap. de suffragiis.

In primis Constitutionibus editis per Magistrum ordinis Fratrem Iordanem, clausula ista posita erat in ca. de domibus concedendis, & sic legebatur Possessiones siue reditus nullo modo recipiant fratres nostri, nec Ecclesias, quibus cura animarum est annexa, & numerum missarum non admittant. Ex quibus patet, quod intendebatur prouidere ne fratres obligarent conuentum ad dicendum quotidie certum numerum missarum in perpetuum, ne posteri ex hoc nimis grauarentur, vel ne reditus perpetuos propter huiusmodi missas recipere cogerentur. Et ideo in cap. Parisiis 1256. ordinatur, ne fratres se obligent vllo modo ad anniuersaria perpetua. Non autem intendit prohibere, quin possimus numerum missarum admittere, quæ à laicis quotidie petuntur, siuè pro viuis, siuè pro defunctis, vt missas Gregorianas, dommodo hoc discrete, & sine superstitione fiat. Acceptare autem simul mille aut duo mille missas, videtur esse indiscretum, Frater vero Raimundus prædictam clausulam reportauit ad cap. de suffragiis, hac forte ratione, vt illud verbum (admittant) legeretur sine d. & diceretur (amittant,) intendens quod numerum qui in dicto capitulo de suffragiis præcipitur, non amitterent seu omitterent fratres. Si vero verbum illud cum d. scribitur. i. admittant, tunc hac ratione posita est hæc clausula, vt intentio esset ne fratres admitterent numerum missarum perpetuum, & ob hoc cogerentur dimittere numerum earum missarum, quæ mandantur fratribus pro suffragiis in Constitutionibus.

Non est autẽ rationabile, quod Prior cum conuentu propter aliquã eleemosynã quam de præsenti recipit, obliget posteros ad dicendũ certũ numerum missarũ in perpetuum, nisi forte eleemosyna esset ita pinguis, & reditus illius annuatim ita in perpetuum duraret, quod meritò ex gratitudine numerus missarum sibi assignari posset. Et ideo prohibitum fuit, ne Præsidentes missas perpetuas recipiant, nisi etiam eleemosyna sit perpetua.

Et Romæ 1608. ſtatuitur vt nullum legatum cum onere aliquo accipiatur à conuentibus, niſi de conſenſu maioris partis capituli, & licentia Prouincia-lis, & ea conditione, ſi conſtiterit onus illud facile impleri poſſe.

Præ cæteris autem annotandum eſt Conc. Trid. decretum ſeſſ. 25. cap. 4. de reformatione.

Contingit ſæpè in quibuſdam Eccleſiis vel tam magnum eſſe celebrandarum miſſarum numerum ex relictis defunctorum, &c. vt ſatisfieri nequeat, vel eleemoſynam pro illis celebrandis adeò tenuem eſſe, vt non facile inueniatur qui velit ſe muneri ſubiacere, &c. S. Synodus cupiens hæc ad pios vſus relicta, quo plenius, & vtilius poſſit impleri, facultatem dat Epiſcopis vt in Synodo diœceſana, itemque Abbatibus, & Generalibus ordinum, vt in ſuis capitulis generalibus, re diligenter perſpecta, poſſint pro ſua conſcientia in prædictis Eccleſiis quas hac prouiſione indigere cognouerint, ſtatuere circa hæc quicquid, magis ad Dei honorem, & cultum, atque Eccleſiarum vtilitatem viderint expedire, ita tamen vt eorum defunctorum commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute legata ad pios vſus reliquerunt.

In cap. Bono. 1564. in executione præfati decreti, ita fuit ordinatum. Quæ circa miſſarum numerum à S. Synodo decreta ſunt exequi cupientes, illius auctoritate noſtro capitulo generali conceſſa in hac parte fungentes, mandamus omnibus Prioribus, & alijs Præſidentibus Conuentuum in virtute Spiritus Sancti, & ſanctæ obedientiæ, vt infra menſem à notitia præſentium maior prælatus cum tribus patribus qui à conſiliis ſolent eſſe in Conuentu, omnes miſſas quæ defunctorum teſtamentis relictæ, & à Conuentu fuerint ſuſceptæ, vt perpetuo ſingulis aut aliquibus diebus determinate dicerentur in numerum redigant, & ex alia parte ſimiliter ſummam ſtipendij ſiue eleemoſinæ, quæ pro qualibet miſſa inſtituta fuit. Deinde ratione habita ſtipendij ſuſtentationis, quod nunc iuxta morem cuiuſque patriæ pro vna miſſa dignum communi æſtimatione cenſeretur, ex illis omnibus certum aliquem miſſarum numerum in poſterum dicendarum ſtatuant, quem inuiolabiliter prædicti Conuentus fratres poſſint implere, ſuper quo eorum conſcientias oneramus, vt quoad fieri poſſit æqua ſit æſtimatio, cũ ad exprimendos fratrum noſtrorum ſcrupulos, hoc remedium maximè neceſſarium ſit. Et nihilominus in quotidianis capitulis & aliis ſuffragiis, quæ extra ea fieri ſolent, defunctis qui talia ſacrificia petierunt, corã diuina miſericordia ſubueniatur. Ac ne deinceps huiuſmodi ſuffragiorum & miſſarum grauamina noſtris Conuentibus imponantur, nulla in poſterum perpetua obligatio ad certas miſſas vel ſuffragia admittatur, niſi tale fuerit ſuſtentationis annexum ſubſidium, quod Præſidentium iudicio ſufficiens æſtimetur. Vt verò cum maiori conſideratione hæc omnia fiant, nolumus, quod huiuſmodi contractus rati habeantur, niſi Prælati & maioris partis fratrum concẽſus acceſſerit. Et Prælati oppoſitum facientes à ſuis officiis abſoluantur. Quod ſi alicubi conſuetudo eſt vt Prouincialis adhuc licentia requiratur, nolumus ei vllo pacto derogari. Præſidentibus quoque Conuentuum, & aliis qui huiuſmodi eleemoſynis recipiendis deputati fuerint, diſtrictè præcipimus, quatenus miſſarum per ſingulos dies aduenientium, eum numerum dumtaxat admittant, quem commodè poſſint implere, ne vltra modum grauati occurrenti-

bus aliis necessitatibus prouidere nequeant, & ne hac occasione sacerdotes aut non admodum dispositi aut ex consuetudine potius quàm deuotionis affectu, ad tremendum altare accedant.

In subleuationem etiam onerum missarum hæc ex priuilegiis ponderanda sunt.

Leo 10. concessit fratribus minoribus de obseruantia vt infra quod priuilegium habetur in nostris fol. 233.

Nos itaque &c. vestris supplicationibus inclinati, vobis, & alijs pro tempore existentibus fratribus ordinis minorum de obseruantia, auctoritate Apostolica decernimus, & indulgemus, quod celebrando vnam missam dumtaxat, (si eleemosyna æquiualens vnius iulij non elargitur) etiam si duas, tres vel quatuor missas ac plures celebraturi occasione diuersarum eleemosynarum essetis, & in dicta celebranda missa pro omnibus, &c. commemorationem faciendo in genere, conscientiarum vestrarum puritati satisfactum fore, & esse.

Iulius 2. Const. 27. apud Rodericum concessit Generali ordini Minimorum vt infra.

Et si in visitatione tua, vel alias in domibus tuis missarum multitudinem copiosam inueneris, quas fratres celebrare nõ possint, dispẽsare valeas concedimus, ita vt dispensatio à nobis facta censeatur, ita tamen vt pro nouem missis nouem collecta, &c. & sic adeò plenè & integre satisfiat, ac si tot singulariter missæ dicerentur.

Leo 10. de anno 1513. in Constit. quæ incipit. Exposcit dilectorum, &c. ampliat dictum priuilegium, extendens illud ad omnem alium futurum generalem qui poterit in visitationibus talem ordinare moderationem. Has duas Constitutiones Pontificias refert integre Passarellus in libro priuilegiorum ordinis Minimorũ. Et Nauarra interrogatus super his Const. respõdit libro Consiliorum tit. de Priui. reg. consilio 3. dispensationẽ prædictam, seu moderationem posse fieri nedum de missis receptis ante promulgationem illarum Constitut. sed etiam de quibuscunque receptis ante visitationẽ & moderationem, dummodo id fiat per Generalem, & non per alium deputatum, & adsit causa, & necessitas moderandi.

Compendium priuilegiorum ordinis minorum refert sacram Congregationem Concilij declarasse prædictum decretum concilij intelligendum esse de missis tantum, non autem de aliis suffragiis, nec de missis in fundatione Conuentuum impositis, sed pro alia causa à testatoribus relictis.

Et eadem Congregatio die 26. Nouemb. 1583. declarauit prædictam concessionem intelligendam esse etiam de Anniuersariis.

Et quia in dicto Conc. Trid. decreto de obseruandis, & euitandis in celebratione missæ, videtur prohiberi quicquid pro missis nouis celebrandis datur. Ideo.

Congregatio Concilij, ad instantiam Episcopi Papiensis censuit, licere sacerdotibus nouis missam celebrantibus, vertere se tantum in medio altaris ad populum, & accipere eleemosynas ac oblationes, non autem circuire Ecclesiam. Necnon, & Parochis idem conceditur vbi inoleuit consuetudo.

De officio Ecclesiæ.

CAP. XXIX.

AVdito primo signo surgant fratres,& stando dicant officium de B.Virg.pro tempore.

Matutinas autem,& missam,& omnes alias horas canonicas simul audiant fratres nostri, nisi cum aliquibus Prælatus aliter dispensare voluerit.

Totum officium tam diurnum quam nocturnum secundum ordinationem, & correctionem Ven. Patris F.Vmberti Magistri ordinis nostri confirmamus,& volumus vniformiter ab omnibus obseruari, ita vt nulli liceat de cætero innouare.

Signum campanæ quo vocantur fratres ad chorum pro officio persoluendo debet esse duplex,& primum debet esse breue, quo audito, fratres debent se præparare,& occupationes in quibus tunc versantur dimittere,nec nouas assumere.Secundum autẽ signum debet esse ita prolixum,vt ante terminationem eius possint fratres de omni remotiori loco domus, secundum existimationem pulsantis,ad Ecclesiam conuenire.Inter primum autem, & secundum signum debet esse tantũ spacij,quod fratres possint se præparare. Horæ autem suis statutis temporibus soluantur, & matutinum tam hiberno quàm æstiuo tempore de nocte dicatur.

Missam conuentualem omnes fratres clerici simul in Ecclesia audire debent,& horas canonicas dicere,quia Ecclesiæ nostræ sunt conuentuales,nisi Prælatus ob iustas,& legitimas occupationes cum aliquibus dispensare voluerit,vt priuatas missas audiant,& priuate officium dicant.Et missam nedũ audire,sed etiam videre teneantur, quia valde est religiosum religioso quotidie missæ interesse,& Prælati debent compellere fratres vt eam audiant.

Horas canonicas quilibet clericus recitare tenetur.Et sicut omnes clerici etiam sacris ordinibus non initiati,si habent beneficium tenentur illas persoluere, ita quilibet religiosus cum ex eleemosynis viuat,& ab ordine victũ, & vestitum habeat de necessitate salutis tenetur ad illas. Nec cum aliquo potest super hoc Prælatus dispensare,nisi forte sit nouitius, qui non est adhuc religioni obligatus, vel forte nescit officium dicere, qui tamen loco officij debet aliquas orationes dicere.

Et debent fratres libentius illas in Ecclesia persoluere quam extra, tũ propter deuotionem loci,tum propter præsentiam Christi in Sacramento altaris,tum propter reliquias Sanctorum,tum propter assistentiam Angelorum, tum propter societatem fratrum, tum demum propter maiorem diligentiam quæ in illis persoluendis apponi solet in choro. Et ob id pluries sancitũ fuit,vt nullus prætextu prælaturæ,aut lectoriæ præteritæ, seu alterius cuiuscunque officij,atque etiam paternitatis, prætendat exemptionem à sequela

chori, & aliis grauaminibus ordinis, Lectoribus, Prædicatoribus, ac Magistris in Theol. actu legentibus, & prædicantibus exceptis, circa quos legitimè consuetudines Prouinciarum seruentur, & sicut Priores ex causa rationabili possunt aliquando cum aliquibus dispensare à choro, ita possunt dispensare quo ad proprietatem officij inductam in ordinem, non tamen quo ad substantiam, vt puta potest dispensare quod diebus ferialibus fiat de aliquo sancto, etiam sub duplici, quo tamen casu tenebitur qui dispensatur dicere officium B. Virginis in priuato. Magister etiam ordinis non potest aliquid inouare circa officium diuinum per modum Constitutionis, vt perpetuo duret, sicut non potest tollere consuetudines diu approbatas in ordine, nec nouas inducere, potest tamen in aliquo Conuentu & Prouincia ex deuotione aut alia causa rationabili, dispensare circa proprietatem officij, vt quod de tali sancto fiat festum simplex, vel duplex, seruata tamen substantia. i. si est confessor dicatur officium de confessore, si martyr, de martyre, &c. Prouinciales autem hanc facultatem non habent, nisi forte sint festa, quæ à ciuitate obseruentur, vel inualuerit consuetudo. Imo ex Conc. Trid. sess. 25. de regul. cap. 12. mandatur vt infra.

Dies etiam festi, quos in diœcesi sua seruandos Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus etiam regularibus seruentur.

Et Romæ 1571. conceditur, vt id faciant etiam si talia non sint in nostro Kalendario: Et Romæ 1580. imponitur, vt in qualibet prouincia durante capitulo prouinciali, omnia festa etiam trium lectionum sub festo duplici celebrentur, in eo Conuentu in quo capitulum celebratur, ob populi concursum.

Circa proprietatem officij notanda est Constitut. Clementis 8. quæ habetur impressa in Breuiariis, & Missalibus nouis, cuius summa hæc est.

Cum in cap. Romano 1601. resolutum fuerit, vt libri chorales ord. Præd. quam maximè conformarentur Romanis præcipue quo ad Epistolarum, & Euangeliorum seriem, seruato tamen dicti ordinis antiquo ritu, & negotium hoc fuerit executioni mandatũ, &c. Nos vt præfati libri sic reformati in tota religione recipiantur, &c. Tenore præsentium auctoritate Apostolica præcipimus, vt libri prædicti sic reformati, &c. tam pro particulari vsu fratrum, & sororum dicti ordinis, quàm pro vsu communi chori, aliter imprimi non debeant, nec in eis aliquid addatur, minuatur, vel mutetur, &c. Et in virtute S. obedientiæ, ac sub excommunicationis maioris pœna mandamus omnibus Prælatis, & personis religiosis eiusdem ordinis, vt deinceps publicè, & priuatim in choro, & extra, precari, celebrare, & psallere teneantur iuxta formam librorum sic reformatorum. Non obstantibus, &c.

Et magister ordinis frater Hieronymus Xauierre qui huic reformationi operam dedit, & libros sic reformatos imprimi curauit, præcipit, vt apparet in literis cũ Breuiario, & Missali impressis, vt infra. Præcipimus omnibus religiosis ordinis nostri in virtute Spiritus sancti, & S. obedientiæ sub formali præcepto, vt nullus deinceps alia Breuiaria, Missalia, Martyrologia, & alios libros ad diuinum officium pertinentes emat, nisi ex hac noua editione Romana apud Alphonsum Ciacconum. Et decernimus alicui non licere aliis, vel alia editione vti, nisi istis à nobis emendatis, & reformatis.

Officium B. Mariæ Virginis ita dici debet. In matutinis audito primo signo fratres in dormitorio stantes illud persoluant, vno incipiente, & dicente vnum versum, aliis respondentibus, & dicentibus alium versum. Et post secundũ signũ, matutinum de tẽpore in choro cantari debet deuote. Aliæ vero horæ B. Virg. dici debent in choro ante horas de tẽpore, stantibus fratribus, excepto cõpletorio, quod post completorium de tempore persolui debet. Additur autem in Consti. illud verbum (pro tẽpore) quia certis diebus intermittitur dictum officium B. Virginis. Et Parisiis 1611. determinatur, vt intermittatur tantum his festiuis diebus. s. in festis B. Virginis, Apostolorum, Euangelistarum, S. Ioannis Baptistæ, sex doctorum Ecclesiæ, Sanctorum ordinis nostri, Fundatorum religionum, Patronorum cuiuscunque loci & illorum, qui à populo celebrantur. Insuper in festis S. Annę, S. Mariæ Magdalenæ, & S. Martę. Hortantes fratres à choro absentes, vt cũ in choro dicitur illud idem recitent, tum vt se communitati conforment, tum vt indulgentias à Pio 5. concessas lucrentur. Hic summus Pontifex concessit tale officium recitãtibus, indulgentiam centum dierum pro quolibet die. Et Barch. 1574. ac Valentiæ 1596. ordinatur, vt in omni domo altare in dormitorio erigatur in honorem D. N. & B. Mariæ virginis, ante quod dicantur matutinũ, & laudes, statutis temporibus, aliæ verò horæ in choro persoluantur etiam completorium, & Priores, qui alio etiam publico illud recitari fecerint, à suis officiis absoluantur.

Fuit autem declaratum Barch. 1574. vt in matutinis, & vesperis B. Virginis omitteretur memoria de S. Dominico, quando de eo fit officium in tertiis feriis, & postea etiam quando de eo sola memoria fieret. Verùm Parisiis 1611. statuitur, vt his occasionibus nunquam omittatur prædicta memoria de S. Dominico in officio Beatæ Virginis.

Officium mortuorum cum nouem lectionibus dicatur qualibet hebdomada semel ab omnibus, tam in choro, quàm extra existentibus, exceptis hebdomadibus Paschæ, & Pentecostes, & sequenti die cantetur missa pro eis de Requiem, quod si non possis, dicatur oratio, Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum, &c. cum processione per claustrum aut Ecclesiam, & responsoriis, & curent Prælati, & Cantores, vt hæc tali die, & hora fiant, quod omnes interesse possint cum omnes teneantur ad ea conuenire, etiam Magistri, & Lectores, actuales, suis exemptionibus non obstantibus, super quibus conscientiam Prælatorum, & Cantorum oneramus, si hæc inuiolabiliter obseruari non procurant. Et quando diebus Dominicis post prandium hoc defunctorum officium dicitur, non ob hoc nona ante prandium dicatur, Bonon. 1564.

Litaniæ dicantur quando fit de feria in choro, & non repetantur nomina Sanctorum à choro, sed tantùm dicatur, Ora pro nobis, neque dicantur post matutinas, sed in sero præcedenti post completorium, vbi plures conuenire possint. Qui tamen non conuenerint ad eas dicendas minimè teneantur. Et in eis non apponantur nomina, quæ in Kalendario non habentur, & apposita deleantur.

Disciplinæ iuxta ordinarium antiquum post completorium suscipiantur, quia tunc fratrum numerus frequentior est, nisi forte obstet secularium

præ-

præsentia, qui tamen à disciplina defuerint, dicere teneantur psalmum, Miserere, cum oratione consueta.

Salue Regina debet dici in fine cuiuslibet horæ, nisi quando plures horæ simul dicuntur, aut quando missa post horam, vel horas dicitur, & tunc post missam debet dici, Fidelium, &c. Pater noster, & Salue Regina. Si autem missa fuerit pro defunctis: dicto Requiescant in pace, dicatur Pater noster, & postea Salue.

De completorio ita disponit Constitutio.

Tempore quo bis reficiuntur fratres legatur ante completorium lectio in Ecclesia, Fratres sobrij estote, &c. Et facta confessione, & dicto completorio, Det qui præest benedictionem, & hebdomadarius aquam benedictam aspergat, postea dicatur Pater noster, & Credo in Deum, quod etiam dici debet ante matutinas, & primam.

Super illa verba, Det qui præest benedictionem, notandus est ordo, qui seruandus est in quibusdam actionibus. Et primo Prælatus Conuentus, & eo deficiente primus inter Prælatos, quando simul plures reperiuntur in choro, qui superiorem locum tenet debet dicere Confiteor, dare benedictionem, & post horas dicere Fidelium; illis autem absentibus dicantur hæc à Suppriore, & illo absente ab hebdomadario. Quod fidelium debet dici cum grauitate, tali tamen voce vt ab omnibus audiri possit. Cum autem hebdomadarius aquam benedictam aspergit, incipiat à choro dextro, nisi maior Prælatus esset in choro sinistro, quia eo casu aspergendus esset primo iste Prælatus maior, subinde chorus dexter, & postea sinister, ab antiquioribus in vtroque choro incipiendo, aut vbi est copia fratrum hebdomadarius dexterum, alter vero sacerdos sinistrum chorum aspergat. Idem ordo seruandus est etiam in thurificatione. s. vt post eum qui facit officium, & accolitos, & cantores, thurificetur prius Prælatus maior in choro existens, qui aliis præsidet, etiam si esset in choro sinistro, deinde chorus dexter, & postea sinister, si autem Prælatus, qui est in sinistro choro haberet Magistrum supra se, tunc aspergendus, & thurificandus est primo chorus dexter. Et si Magister ordinis fuerit in choro, qui semper debet in sua sede manere thurificato eo qui facit officium, debet prius ipse Magister thurificari, postea accoliti. Fidelium autem semper dici debet ante Salue Regina, post horas & missam, excepto completorio, in quo datur benedictio ante Salue, quod tamen dicitur in fine completorij, & excepto si præcessit missa, aut vesperę, aut officium defunctorum. In vesperis autem & matutinis festorum, quæ sunt tota duplicia, si nec Prior, nec Supprior esset in choro, non hebdomadarius, sed qui primum locum tenet choro dextro, Fidelium dicat, Ex rubricis. Quomodo autem completorium dici debeat tempore ieiuniorum indicetur infra cap. de collatione.

Salue Regina, post completorium in Ecclesia exteriori deuote cantari debet procedentibus fratribus processionaliter, vti cum ordine initium habuit & debet dici hora populo opportuna, & nullo pacto prætermittatur

diebus festiuis. Barchin. 1574. In diebus autem minus festiuis loco, Salue, dici potest Aue Regina cœlorum, &c. Et Romæ 1608. denuntiatum fuit, S. D. N. Paulum V. concessisse indulgentiam ducentorum dierum omnibus tã religiosis, quã secularibus, qui aderunt dũ cãtatur, Salue post cõpletorium in Ecclesijs nostris. Post cõpletoriũ etiam toto anni tẽpore habeatur in cõmuni oratio per spacium mediæ horæ, ita mandatur Romæ 1569. quæ oratio etiam fieri debet post nonam æstiuo tempore, & post matutinas hiberno, quod & confirmatur Parisiis 1611. & debet esse priuata, secreta; & præcipuè mentalis.

Notanda sunt quædam priuilegia Pontificia concessa religiosis circa diuinum officium recitandum, quæ ab aliis ordinibus mendicanda sunt, & per communicationem nobis facta communia. Et antequam adducantur obseruandum est prius præceptum ecclesiasticum clericis impositum, de persoluendis horis canonicis, quod habetur in cap. Dolores, de celebratione missarum. Vbi Honorius 3. commemorans defectus, qui tunc committebantur in persoluendo diuino officio, habet hæc verba.

Hæc igitur, & similia sub pœna suspensionis pœnitus inhibemus, districtè præcipientes in virtute S. obedientiæ, vt diuinum officium diurnum pariter, & nocturnum, quantum eis (s. clericis) dederit Deus, studiose celebrent pariter, & deuote.

Gratiæ igitur hæ sunt. Leo 10. vt habetur in compendio priuilegiorum ordinis minorum, verbo, Officium diuinum, hanc indulgentiam in officio illis fratribus elargitus est.

Fratres prędicti satisfaciunt præcepto Ecclesiæ, & regulæ suæ, si post fatigationem vel aliam causam dicunt officium sedendo, vel deambulando, vel non integre verba proferendo, prout scripta sunt, propter negligentiam, aut imperitiam, vel malam prolationem naturalem, siue propter defectum linguæ, seu alias qualitercumque ore imperfectè dicant, aut cum mentis distractione, & sensuum euagatione, dummodo id ex malitia non faciant. Et qui cum prædictis male proferentibus officium dicunt, satisfaciunt præcepto illi, nec tenentur repetere ea, quæ ab illis imperfectè dicta sunt. Item illa, quæ in ordinario iubentur dici secreto, tam in horis canonicis, quam in missa, non tenetur fratres proferre vocaliter, sed satisfaciunt dicendo mentaliter, aut legẽdo inter se per librũ, cũ soli dicunt officium, quia prolatio verbalis pręcipuè fit, vt ab aliis audiatur.

In declar. tamen præsentis capituli statuitur, vt cum horæ canonicæ dicuntur in priuato, taliter dici debent, vt ipse (nisi sit surdus) propriam voc̃e audire possit, & semper tam in choro, quam extra recitari debent distinctè, tractim, & cum debitis punctis.

Idem Leo 10. ex relatione dicti compendij concessit eiusdem ordinis fratribus, vt cum propter febrem aut intensum dolorem, vel aliam infirmitatem, grauati fuerint, & afflicti, satisfaciant dicendo pro horis canoninis preces, hymnos, psalmos, Pater noster, Aue Maria, vel alia iudicio Præsidentis loci designanda, & hoc quando medicus corporalis (si commode haberi possit) dixerit illas esse infirmo nociuas.

Idem etiam ibidem concessisse refertur, vt si fratres habent aliquas occupationes possint sine conscientiæ scrupulo anteponere, vel postponere officium diuinum, vtpote dicendo matutinum antę mediam noctem qua-

cumque hora voluerint, & alias horas de mane vſque ad veſperas excluſiue, etiam ſi occupatio non eſſet multum neceſſaria, ſed ſatis eſt, quod cogitent deuotius, & quietius dicere.

Eugenius 4. vt habetur in eodem compendio verbo, infirmi, monachis S. Benedicti conceſſit vt infra.

Monachi qui ſine tædio non poſſunt dicere horas canonicas infirmitatis tempore, & etiam dum conualuerint, loco horarum dicant aliquid etiam ad arbitrium Superiorum. Et ſi ipſi Superiores fuerint infirmi, aut conualeſcentes, ſimili modo per monachum ab eis eligendum diſpenſari poſſint.

Martinus 4. ex eodem loco refertur conceſſiſſe fratribus S. Hieronymi, vt cum fuerint infirmi, ſenes, aut valetudinarij pro horis canonicis dicere poſſint pſalmos, vel id quod ſuis Confeſſoribus viſum fuit. Quorum omnium priuilegiornm, ſiue gratiarum & nos per communicationem participes facti ſumus.

Quantum vero ſpectat ad modum perſoluendi officium, obſeruanda ſunt, quæ in Conſtitutionibus, & declar. traduntur. Conſtitutio autem ſic diſponit.

Horæ omnes tam diei, quam noctis in Eccleſia breuiter, & ſuccinctè taliter dicantur, ne fratres deuotionem amittant & ſtudium eorum minimè impediatur. Quod ita dicimus eſſe faciendum, vt in medio verſus metrum cum pauſa, ſeruetur, non protrahendo vocem in pauſa, vel in fine verſus, ſed ſicut dictum eſt breuiter, & ſuccinctè terminetur.. Hoc autem magis, & minus pro tempore ſeruetur. Fratres noſtri in domibus noſtris, non habeant niſi vnam campanam ad omnes horas. Et ſolus hebdomadarius cappa ſerica vtatur.

Pro quanto ſpectat ad attentionem orationis vocalis, recolenda eſt doctrina S. Thomæ 22. q. 83. ar. 13. quæ conſiſtit in tribus diſtinctionibus. Quarum prima eſt, quod duplex eſt neceſſarium ad finem, vnum ſine quo abſolute finis haberi non poteſt, alterum ſine quo commode; & melius haberi non poteſt. Hoc ſecundo modo attentio orationi neceſſaria eſt. Quo vero ad primum modum ſubdiſtinguendum eſt, & dicendum, triplicem eſſe finem orationis, primus eſt meritum apud Deum, ſi hic actus informatus ſit charitate. Et ad hunc effectum aſſequendum neceſſaria eſt intentio actualis in principio orationis, non autem per totam, ſicut in aliis actibus meritoriis accidit. Secundus effectus orationis proprius eſt impetrare quod petitur, & ad hunc etiam habendum ſufficit prima intentio actualis, ſine qua oratio nec meritoria eſt, nec impetratoria. Tertius autem effectus, quem præſentialiter efficit oratio, eſt ſpiritualis refectio mentis, adhuc neceſſaria eſt attentio actualis, iuxta illud 1. Cor. 14. Si orem lingua, mens mea ſine fructu eſt. Poſtrema diſtinctio eſt, triplex eſt attentio, quæ orationi vocali adhiberi poteſt, quædã circa verba, quædã circa ſenſum verborũ, quædã circa finem orationis, qui Deus eſt, vel id quod in oratione petitur, & hæc eſt maxime neceſſa-

ria, quam etiam idiotæ habere possunt, & quandoque tanta est, vt mens omnium aliorum obliuiscatur. Et in responsione ad 3. subdit, qnod si quis in oratione ex proposito mente euagatur, hoc peccatum est, & orationis effectus omnis impeditur. Euagatio vero mentis post primam actualem attentionem si non sit ex proposito, sed ex infirmitate, effectum orationis non impedit. Et in decl. dicitur, haberi tunc actualis attentio in principio, quando quis incipit officium cum intentione attendēdi ad illud, vel saltem soluendi debitum suum, & non debet interponi contraria intentio, nec occupare se debet orator in aliquo exercitio distractiuo mentis, aliter præcepto non satisfacit.

Diuinum officium debet cantari deuote cum quadam dulcedine, & suauitate vocis, non rigiditate, & asperitate, nec nimis alte, sed voce mediocri, breuiter, hoc est distinctè, expedite, & non nimis morosè. Debet etiam dici succincte, hoc est sine caudis, & protractione vocis in pausis, & in fine versus. Et hoc ne fratres deuotionem amittant, si festinanter, & confuse, & sine pausis, & non tractim & distincte dicatur; & ne etiam studium eorum minime impediatur, si nimis morosè, & cum caudis & protractione vocis in medio vel in fine versus decantetur. Et quando versus est longus, debet fieri duplex pausa inter principium, & finem versus, vna breuis siue minor, alia maior in medio versus, & huiusmodi pausæ fiunt propter decentiam, & decorē psalmodiæ. In fine autem versuum nō debet fieri pausa inter versum, & versum, quamuis non debeat incipi versus sequens ante terminationem versus præcedentis. Pulchritudo enim officij consistit in pausis, & deturpatio eius consistit in festinantia, & confusione, quæ causatur per remotionem pausæ. Prolixitas autem officij causatur ex protractione vocis in medio vel in fine versus. Et ideo vt officium tractim, distincte, & deuote dicatur, pausæ sunt faciendæ, & caudæ amputandæ.

Pro varietate tamen dierum maior vel minor solemnitas in officio diuino obseruanda est. In diebus enim festiuis officium cum maioribus pausis celebrandum est, quia tunc fratres sunt minus in studio, & lectionibus occupati, & etiam sæculares in pręfatis diebus solent magis ad Ecclesiam conuenire, & etiam illis diebus magis tenemur vacare Deo, quia ad hoc tales festiuitates sunt institutæ, & ob hoc illis diebus deuotè, alacriter, & solēniter, officium decantandum est. Aliis vero diebus poterit minus solemniter, & cum minori pausa, tractim tamen, & distincte, ac deuote celebrari.

Feria quinta in Cœna Domini de nocte cum asseruatur Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum, semper fratres adsint per vigilias distincti, & ea deuotione quam tempus, & locus requirunt, psalterium persoluant. Barch. 174.

De inclinationibus.

CAP. XXX.

Finitis matutinis de Beata Virgine, cùm fratres in chorum venerint, inclinent ante altare, profundè. Et cum ad sedes suas venerint facto signo à Prælato, flexis genibus, & prostrati super formas, vel inclinati profundè pro tempore dicant.

Pater noster, & Credo in Deum. Iterum facto signo à Prælato surgant. Hora itaque deuotè incepta versi ad altare muniant se signo crucis, & ad Gloria patri, inclinet chorus contra chorum profunde, vel prosternat se pro tempore, vsque ad Sicut erat. Hoc etiam faciẽdum est quoties Pater noster, & Credo in Deum dicitur, nisi in missa, ante lectiones, & in gratiarum actione, in quibus inclinamus solum ad Pater noster, & ad orationem Retribuere. Idem etiam faciendum est ad primam collectam in missa, & ad postcommunionem, & similiter ad orationem pro Ecclesia, & in singulis horis ad collectam, & ad Gloria Patri, quoties in inchoatione horæ dicitur. Ad omnia autem alia Gloria Patri, & ad extremos versus hymnorum, & ad penultimum versum cantici Benedicite, inclinamus vsque ad genua. Similiter quando cantatur, Gloria in excelsis, ad Suscipe deprecationem nostram. Et quandocumque nomen Iesu in præfatione, in collecta, in antiphona, & Gloria in excelsis nominatur. Quando vero nomen Iesu alias in choro nominatur eidem fratres reuerentiam faciant capite deuotius inclinato. Item inclinamus vsque ad genua in benedictione lectionis, & in capitulo ad orationem Sancta Maria, & in omni oratione, quando nomen beatæ Mariæ, & beati Dominici nominatur, & etiam quando nomen Beatę Virginis ad antiphonam Salue, & in Præfatione nominatur. Idem fiat in qualibet missa conuentuali, dum dicitur in præfatione Gratias agamus Domino Deo nostro. Et similiter ad versũ, O crux Aue, fratres in choro reuerenter inclinent, sicut fieri debet quando nomen Iesu aut Mariæ virginis matris eius in collecta nominatur. Hora itaque prædicto modo incepta postquã ad Gloria Patri, post Venite, inclinauerint, stet chorus contra chorum. Deinde ad primum psalmum sedeat vnus chorus, & ad secundum similiter stet, & alius sedeat. Et sic alternent vsque ad Laudate Dominum de cœlis. Et sic faciant ad omnes horas. Finita autem lectione in matutino, nisi fiat officium de mortuis, ille qui legit inter pulpitum, quod est in medio chori & gradus, inclinationem faciat, vel prosternat se pro tempore. In inclinationibus conformemur moribus eorum ad quos declinamus. Porro ad Salue sancta parens, & ad Salue, post completorium, & ad Veni sancte Spiritus, & ad Veni Creator Spiritus, in die Pentecostes, & per totam hebdomadam, & ad Credo in missa ad Ex Maria virgine, & homo fa-

ctus est, flectimus genua. In ferialibus quoque diebus iacemus prostrati à Sanctus vsque ad Agnus. In festis vero trium lectionum, & nouem, iacemus prostrati ab eleuatione Calicis vsque ad Pater noster. In prostrationibus idem seruemus in festo trium lectionum, & nouem. Quando Prælatus iniunxerit aliquam communem orationem inclinent omnes, similiter omnes faciant quando aliquid facere, vel dicere iniunxerit. Si autem aliquam obedientiam, vel officium, vel ministerium aliquod cuius iniunxerit, humiliter prosternens se, suscipiat quod iniunctum ei fuit. Quando etiam fratribus quippiam vestimenti tribuitur, inclinantes Benedictus Deus dicant.

Vt distinctè noscantur, quæ circa stationes, & inclinationes obseruanda sunt, præcipuè in choro dum officium persoluitur, sciendum est, quod isti actus nominantur in nostris Constitutionibus. s. statio, sessio, inclinatio, genuflexio, & prostratio, de singulis autem hæc collegimus.

Statio duplex est, altera quando fratres stant in sedibus suis versis vultibus ad altare, altera quando stant ita vt fratres vnius chori habeant vultus versus fratres alterius chori. Stare autem debent fratres versis vultibus ad altare, quando chorum intrant & in suis sedibus se collocant, quousque fiat signum à Prælato pro inceptione officij, & quãdo incipitur hora, quo tempore etiam se munire debent signo Crucis, vsque ad Gloria Patri, & dum dicitur Inuitatorium, siue ab vno, siue à pluribus. In missa autem solemni stare debent fratres versa facie ad altare semper, nisi quando à choro aliquid cantatur, vel quando inclinationes fiunt, de quibus infra. Non tamen diuertimus faciem ab altari, etiam si à choro respondeatur sacerdoti dicendo, Et cum spiritu tuo, vel Amen, vel Dignum, & iustũ est, vel Deo gratias. Quando autem cantatur, Euangelium semper vertimus vultum ad diaconum, vel Sacerdotem cantantem, quod etiam fit in processione quæ fit in commemoratione omnium defunctorum. Alio autem tempore stamus versis vultibus ab inuicem.

Sessio autem fit in sedibus, quando dicũtur psalmi, ita vt dum dicitur primus psalmus sedeat vnus chorus, & alter stet. Et dum dicitur secundus, chorus qui stetit sedeat, & qui sedit stet, & sic successiue ad omnes horas, excepto psalmo, Laudate Dominum de cœlis, quia tunc semper omnes stare debent: sedent etiam fratres dum cantatur versus responsorij in primis vesperis duplicium, & supra, vsque ad Gloria, vel reassumptionem responsorij, quando non dicitur Gloria. Idem dicitur de responsoriis matutini, quando cantantur. Sedent etiam fratres quando in matutinis dicuntur lectiones post datam benedictionem, & dum dicuntur responsoria sine cantu, excepto Gloria, & dum pulsantur organa loco antiphonarum. In missa solemni sedemus tantum, quando cantantur Epistola, & versiculus responsorij, & versiculus Alleluia, & quando loco illorum pulsantur organa. In vigiliis defunctorum, quæ singula hebdomada dicuntur, sedemus omnes in vesperis à

principio vſque ad Magnificat excluſiuè, Et in matutinis à principio vſque ad Laudate Dominum de cœlis, excluſiuè, excepto eo tempore in quo dicitur Pater noſter ante lectiones, & dum dicitur in vltimo reſponſorio, Et mirabiliter proprio ſanguine redemiſti.

Inclinationum autem tres ſunt differentiæ, prima vocatur inclinatio capitis deuota, & ea eſt, quando caput cum corpore aliqualiter inclinatur, & fieri debet. Quando nomen Ieſu profertur, extra tamen collectas, præfationem, Gloria in excelſis, & Salue Regina, Quando nomen B. Virginis extra prædicta nominatur, & vtrumque horum intelligitur de prolatione tam in choro, quàm extra chorum, Quando aliquid veſtimenti, vel quodcũq; aliud datur, Quando dicitur Sit nomen Domini benedictum, Quando Prælatus aliquam communem orationem iniunxerit, vel quicquid aliud faciendum, aut dicendum impoſuerit. Quando Cantor, vel alius frater pſalmum, vel antiphonam inchoauerit. Quando quis tranſit iuxta Prælatum ſuum, vel Superiorem, Quando quis aſpergitur aqua benedicta, & diebus Dominicis, & ad Salue Regina. Quando in miſſa dicitur, Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, vt habetur in cap Romano 1580. Et quando fit mentio effuſi ſanguinis Domini noſtri, vt cum dicitur, Quos ſanguine mercatus es. Valentiæ 1596. Inclinationis ſecunda ſpecies eſt inclinatio vſque ad genua, & hæc fit quando caput taliter inclinatur, quod fit per directum ad genua oppoſitum. Et hæc facienda eſt ad omnia Gloria Patri in omnibus horis, præter primum. Ad extremos verſus hymnorum, Ad penultimum verſum Cantici Benedicite, Ad Suſcipe deprecationem noſtram in Gloria in excelſis. Ad Gratias agamus Domino Deo noſtro, in præfatione. Ad benedictionem lectionum ſiue in choro ſiue in refectorio. Ad orationem Sancta Maria in Kalendis ſiue in choro, ſiue in capitulo dicantur. Quando nomen Ieſu, & Mariæ in collectis, Præfatione, Gloria in excelſis, vel Salue Regina, nominatur. Quando nomen S.P. Dominici in orationibus profertur. Ad benedictionem, quæ datur poſt completorium. Ad inceptionem, Aue maris ſtella. Inclinationis tertia ſpecies vocatur inclinatio profunda, quæ fit quando corpus, & caput tantum inclinantur, quantum cubitus poteſt ſe ſuper genua appodiare. Et hæc facienda eſt, Quando fratres chorũ intrant, vel exeũt. Cui inclinationi addenda eſt genuflectio ſi fiat ante Sanctiſſ. Chriſti corpus. Romæ 1596. & ſequentibus, Quando dicitur Pater noſter ante lectiones, & gratiarum actiones, Et quotieſcunque dicitur Pater noſter, & Credo in Deum in principio, in medio, & in fine horarũ, & poſt gratiarum actiones, & veſperis, & matutinis defunctorum. Ad primam collectam poſt Dominus vobiſcum, tam in miſſa, quàm in omnibus horis, Ad orationem pro Eccleſia. Ad primum Gloria Patri, omnium horarum, quod dicitur in inchoatione horæ in feſtis trium lectionum, & ſupra, & etiam in ferialibus diebus tempore Paſchali, Ab eo qui legit lectiones in matutinis poſt finitam lectionem inter pulpitum, & gradum preſbyterij, tempore nunc prædicto. Ad orationem, Retribuere, tam in choro, quàm in capitulo.

Genuflexio autem duplex eſt, quædam recta, quando. ſ. curuantur genua cum toto corpore erecto, & hæc fit, Ad, Salue Regina poſt horas, Ad, Veni

creator Spiritus in die Pentecoſtes,& per octauam,in receptione ad habitū, & quando fiunt electiones canonicæ. Ad, Salue ſancta parens. Ad,Ex Maria virgine,& homo factus eſt:in Credo. Ad,Et verbum caro factum eſt,in fine miſſæ, Ad,Et procidētes adorauerunt eum, in Euāgelio Epiphaniæ,Ad,Te ergo quæſumus famulis ſubueni quos pretioſo ſanguine redemiſti,in Cātico, Te Deum, Ad,Tantū ergo Sacramētum veneremur cernui,Ad,O crux Aue ſpes vnica,&c. Ad, Aue Rex,in proceſſione palmarum, Ad Sanctus Deus,in die Paraſceues,Ad,Domine miſerere ſuper ſeruo tuo,in officio ſepulturæ:Genuflexio autem alia eſt,quæ vocatur procliuis,quando flexis genibus cum cubitis, & corpore appodiamur, & proſternimur ſuper formas, vel ſuper genua,quando non adſunt formæ, quæ etiam vocatur proſtratio. Et de hac loquitur Conſtitutio cum dicit, facto ſigno à Prælato flexis genibus & proſtrati ſuper formas, vel inclinati profunde pro tempore, &c. Et quia coincidit cum proſtratione dicemus, quando fieri debet ſub titulo proſtrationis.

Proſtratio ergo etiam duplex eſt, vna ſuper formas, quæ quandoque etiam vocatur genuflexio procliuis, vt diximus, & hæc facienda eſt quandocumque fit de feria extra tempus Paſchale, ad Pater noſter, quod dicitur ante inchoationē cuiuſlibet horæ, & ad primum Gloria Patri, poſt inchoationem horæ, & ad primam collectam, & ad preces, quæ dicuntur ante ipſam,& quotieſcumque extra miſſam,Pater noſter,Credo, & Confiteor dicuntur, ſiue coniunctim,ſiue diuiſim,ſiue in principio,ſiue in medio,ſiue in fine officij,niſi ad Pater noſter,quod dicitur ante lectiones,& inter precioſa,& gratiarum actiones,in quibus ſolum inclinamus profunde.Item genua flectendo proſtrationem facimus,Ad,Pater noſter,quod dicitur poſt Fidelium in gratiis, quādo extra tempus Paſchale fit de feria,ſi ad horam immediate præcedentem proſtrationes factæ ſunt. Ab eo, qui legit lectionem in matutinis poſt finitam lectionem inter pulpitum & gradum preſbyterij,excepto die animarum in quo lector inclinat profunde:Eodem modo fit Proſtratio in miſſa de feria extra tempus Paſchale, & pro defunctis ad primam collectam,quæ dicitur poſt Dominus vobiſcum,Ad orationem pro Eccleſia, & Ad poſtcommunionem & per totam quadrageſimam in feſto cuiuſlibet ſancti in miſſa de feria, Ad, Mortem autem Crucis, quod dicitur feria quinta Cœna Domini,Paraſceue,& Sabbato Sācto poſt matutinas, & dum dicitur Pater noſter, Miſerere: & Reſpice quæſumus Domine, &c. Et ad Pater noſter, & Miſerere, quæ dicuntur in horis, veſperis, & completorio die veneris ſancti,& ad horas Sabbati Sancti, quotieſcumque etiam dicitur officium mortuorum,& fit de feria,fiunt huiuſmodi proſtrationes ad Pater noſter, quod dicitur poſt Magnificat, & ad totum pſalmum Lauda anima mea, Ad primam orationem, & Ad Pater noſter, quod dicitur poſt orationes. Item ad Pater noſter,quod dicitur poſt Benedictus, Ad pſalmum, De profundis,& ad primam orationem,& Pater noſter,poſt omnes orationes. Item quotieſcunque dicuntur Litaniæ in choro poſt completorium, ſiue matutinas à principio pſalmi Deus in adiutorium vſque ad vltimam orationem. Et cum fit diſciplina à Confiteor vſque ad finem orationis. Et dum

dicuntur

dicuntur psalmi Pœnitentiales in die Cinerum, & feria quinta Cœnæ Domini ante missam. Item quotiescumque Prælatus facit absolutionem generalem, & dicitur Confiteor ante illam. Item dum defertur pixis cum Sanctiss. Sacramento, siue à diacono, siue ab aliis, & fratres sunt in choro. Et dum fit communio fratrum, qui in choro sunt prostrati maneant super formas. In die parasceues quando sacerdos detegens Crucem dicit, Ecce lignum, & post adorationem Crucis dicit, Super omnia ligna, quousque cantor prosecutionem antiphonæ incipiat. Cum, qui cantat Euangelium passionis, pronuntiauerit, Emisit spiritum, vel Tradidit spiritũ, vel Exspirauit, quousque sacerdos signum fecerit. Item in ferialibus diebus omni tempore in missa prosternimur à fine Sanctus vsque ad Agnus exclusiue. In festis verò trium siue nouem lectionum fit prostratio ab eleuatione Calicis vsque ad Pater noster exclusiue.

Intermittuntur autem huiusmodi prostrationes, in nona, quando dicitur post missam in Sabbato, vel vigiliis sanctorum excepta quadragesima. Item in omnibus festis sanctorum dum illorum officium dicitur. Item in vesperis feriatis dum cantantur Antiphonæ. O. per septem dies ante vigiliam Natiuitatis Domini. In toto officio Cœnæ Domini excepto vt supra. In vigilia Natiuitatis Domini. In omnibus feriis à festo Paschatis vsque ad octauas Corporis Christi. In die animarum. In missa de feria, quæ dicitur in ieiuniis quatuor temporum, si in ipsis fit officium de aliquo sancto, excepto tempore quadragesimali. In missis de Dominica, de Cruce, de spiritu sancto, de B. Virgine, etiam si illis diebus fiat officium de feria. Loco autem harum prostrationum prædictis diebus debent fieri inclinationes profundę. Prostratio altera vocatur etiam venia, quæ est extensio totius corporis super terram, non super ventrem, sed super latus, tibiam vnam super alteram tenendo. Hæc autem facienda est in vigilia Annuntiationis, quando in Kalendis legitur, Annuntiatio Dominica, & in vigilia Natiuitatis Domini dum legitur, Iesus Christus in Betleem Iudæ nascitur, quousque Prior signum fecerit. Item quando Prælatus in capitulo dicit, Qui se reos existimant faciant veniam. Quando fratres dicunt culpas suas in capitulo, & quando reprehenduntur à Prælato, vel eis imponitur aliquod officium, vel ministerium. Quando sunt domum exituri, & plusquam vna nocte moraturi, & quando reuertuntur, & benedictionem à Prælato recipiunt. Quando quis veniam petit ab alio quem scandalizauit, aut offendit, & prostratus iaceat quousque offensus placatus eum erexerit. Quando aliquis comedendo, vel seruiendo, vel legendo, vel aliud faciendo in aliquo offenderit surgentibus fratribus de mensa, & maneat prostratus quousque signum factum fuerit ab eo qui præest. Similiter etiam qui in choro legendo vel cantando offenderit post officium se prosternat quousque signum fiat, fieri etiam debet talis prostratio ante gradus presbyterij à Prælato, & eius ministris feria quarta Cinerum, & feria quinta Cœnæ Domini, dum dicuntur Psalmi pœnitentiales in choro.

Quæ autem dicta sunt de genuflexionibus, & prostrationibus, obseruanda sunt à fratribus dicentibus officium in choro, non autem quando di-

cunt priuatim officium extra chorum. Vbicunque tamen Conuentus est congregatus in capitulo, vel in refectorio & in gratiis, & huiusmodi, debent fratres loco prostrationum inclinationes vsque ad genua facere.

De suffragiis mortuorum.

CAPVT XXXI.

A Festo S. Dionysij vsque ad Aduentum pro anniuersario fratrum, sororum & familiarium receptorum per literas ad beneficia ordinis, quilibet Sacerdos dicat tres missas, clericus psalterium, laicus quingenta Pater noster. Idem etiam fiat à quolibet fratre pro defuncto fratri sui Conuentus. Idem etiam fiat per totum ordinem pro Magistro ordinis ab omnibus fratribus, & pro Definitore Capituli generalis, vel socio eius & pro electoribus Magistri ordinis, & socio Prouincialis euntis ad Capitulum generale, si aliquem eorum in via, vel in ipso capitulo mori contigerit, & pro Procuratore ordinis si in curia Romana in procurationis officio decedat.

Idem etiam fiat ab omnibus fratribus Prouinciæ pro suo Prouinciali defuncto, & pro Visitatore à fratribus Conuentuum quos visitare debet, si tamen in visitatione moriatur.

Quilibet Sacerdos celebret triginta missas in anno pro fratribus, & sororibus nostris defunctis, & quilibet clericus triginta vicibus septem Psalmos, & conuersus triginta vicibus centum Pater noster. Et quilibet Conuentus viginti missæ in communi.

Anniuersarium patrum, & matrum celebretur, tertia die post Purificationem B. Virg.

Anniuersarium familiarium, & benefactorum, die sequenti post octauas S. Augustini.

Anniuersarium fratrum & sororum, sequenti die post festum Sancti Dionysij.

Anniuersarium omnium sepultorum in cæmiteriis nostris, die duodecima Iulij.

Fratres nostri numerum missarum non omittant.

Fratres nouis Conuentibus deputati, Conuentib. de quibus assumuntur, & ipsi Conuentus eisdem quantum ad suffragia mutuo tenentur, sicut suis fratribus Conuentualibus, quousque Conuentus ibi fuerit assignatus.

Quantum autem ad omnia alia ad domos prædictas simpliciter pertinebunt. *Cap. de domibus con.*

Cum aliquis frater est assignatus in aliquo Conuentu, siue simpliciter, siue ad tempus, ille Conuentus tenetur ad eius suffragia, & ipse Conuentui. Si autem extra Prouinciam sit assignatus, & contingat ipsum mori antequam Conuentui aliquo deputetur, Prouincialis illi prouideat de Conuentu qui sibi ad suffragia teneatur. *Cap. de studentibus.*

Cum dicitur suffragia fieri debere per totum ordinem pro Diffinitore capituli generalis, intelligitur ea fieri debere ab omnibus fratribus Prouinciæ suæ. Et cum dicitur si in via mori contigerit intelligitur tum eundo, tum etiam redeundo. Triginta illæ missæ de quib. in Constitutionibus, debent esse de Requiem si commode dici possunt. Vbi autem ob dierum festiuorum multitudinem, vel ob alias obligationes id fieri nequit commode, sufficit quod quomodocunque dicatur, & fratres numerum missarum non omittant. Cum imponitur conuersis vt pro suffragiis dicant tot Pater, debent etiam toties dicere, Aue Maria. Missæ viginti à Conuentu quolibet celebrandæ intelliguntur præter eas missas, quæ qualibet hebdomada celebrantur, cum dicitur officium mortuorum, & etiam istæ debent esse de Requiem si commode dici possunt, alias sufficit quod quomodocunque dicantur. Quo vero ad numerum missarum de quo dicit Constitutio fratres numerum missarum non admittant dictum est supra cap. De missarum numero. Cum Prior moritur in aliquo Cōuentu cuius non est filius adhuc fratres illius Conuentus in quo erat Prior tenentur ad suffragia pro anima illius, etiam si bona omnia illius ad Conuentum cuius est filius perueniant. Romæ 1580. Fratres qui sunt in Vicariis, aut Conuentibus monialium, assignati, censeantur assignari in Conuentibus quorum sunt filij quantum ad suffragia, vt inuicem sibi teneantur. Et idem censendum est de fratribus qui de licentia Prælatorum cum Episcopis vel alibi extra ordinem morantur. Barchinonen. 1574. Cum celebrandum est Anniuersarium ordinis seruetur ordinarium, vt. s. eo die fiat de feria, & post missam fiat processio per claustrum pro defunctis semel in hebdomada, cui omnes intersint, Ibidem. Quoties contingit aliquem fratrem mori in quocunque Conuentu, Prior illius Conuentus infra sex dies teneatur omnes Præsidentes suæ prouinciæ admonere de morte fratris. Romæ 1601. & sequent.

Et eo in casu quilibet Sacerdos illius prouinciæ dicat vnam missam, iuuenis septem psalmos, & conuersi Rosarium B. Virg. Vallisoleti 1605.

Pro subleuandis conuersis ab onere orationum, cum recepti sint pro aliorum seruitiis ordinatum fuit in cap. Salmaticensi 1551. vt pro suffragiis mortuorum loco quingentorum Pater noster, dicant centum quinquaginta quinque. Et sic corrigenda est Constitutio De qua fusius capite de conuersis parte 2. dicetur.

De Ieiuniis.

CAP. XXXII.

A Pascha vsque ad festum S. Crucis, reficiãtur bis fratres exceptis diebus Rogationum, vigilia Pentecostes, & ieiuniis quatuor temporum, & vigiliis S. Ioan. Baptistæ, Petri & Pauli, Iacobi, Dominici patris nostri, Laurentij, Assumptionis B. Viginis, Bartolomei, ac Natiuitatis S. Mariæ A. festo autem S. Crucis vsq; ad Paschа, continuum tenebimus ieiunium, & nona dicta comedemus, exceptis Dominicis diebus.

In toto autem aduentu, & quadragesima, & ieiuniis quatuor temporum, & vigiliis de præcepto S. Ecclesiæ, nec no n Ascensionis domini, Pentecostes, B. Dominici, & sextis feriis, quadragesimali vtimur cibo, nisi in prædictis sextis feriis tantum cum aliquo propter labores dispensetur, vel in locis, in quibus in eisdem sextis feriis, aliter comederetur, vel etiam nisi festum præcipuum fuerit.

Itinerantes tamen bis refici possunt, nisi in aduentu, & vigiliis Natiuitatis, & Purificationis B. Virginis, & ieiuniis principalibus ab Ecclesia institutis & sextis feriis intus, & extra. Quando autem festum habens vigiliam in qua secundum ordinem est ieiunandum veniet in secunda feria; eius vigilia in præcedenti Sabbato ieiunetur, contraria consuetudine non obstante. Feria secunda, & tertia post quinquagesimam, tam intus quàm extra, quadragesimali vtimur cibo & ieiunamus. In parasceue verò per totum diem, in pane, & aqua abstinemus.

Præsidentes Conuentuum, & locorum ac eorum Vicarij in ieiunio S. Crucis non debent quotidiè, nec cum omnibus fratribus generaliter, & ordinariè dispensare, possunt tamen aliquando, aut semel aut bis in hebdomada, non cum toto Conuentu, sed cum aliquibus ex causa rationabili dispensare. Et ideo Præsidentes qui faciles sunt ad dispensandum regulariter in ieiunio dicto S. Crucis, & sextis feriis & duobus diebus immediate ante cineres cum toto Conuentu, abutuntur potestate sibi tradita, & debent grauiter puniri, & à suis officiis absolui. Fratres vero qui sunt sani, & possunt ieiunare, si non quotidie, saltem aliquoties in hebdomada, & propter gulositatem solum, nec sextis feriis volunt à carna abstinere, quin potius nulla petita, aut obtenta licentia constitutionem de ieiuniis transgrediuntur, & in huiusmodi transgressione perseuerare intendunt, non possunt à damnabili contemptu excusari.

Ieiunium aduentus in nostro ordine strictissimum est, sicut & ieiunium

quadragesimæ, ita vt nullus Præsidens potest in eo cum toto Conuentu dispensare, nec etiam cum aliquo particulari fratre, nisi propter infirmitatem, aut debilitatem, sicut posset in quadragesima.

In ieiunio sextæ feriæ non potest Prælatus cum toto Conuentu dispensare, & est tale ieiunium magis strictum quam ieiunium vigiliæ S. Dominici, vnde de ieiunio, huius vigiliæ dicitur in declarationibus, Prælatos non debere se difficiles exhibere ad dispensandum in dicta vigilia cū fratribus debilibus, vel alias indigentib. quando in Sabbato euenerit. Venetiis 1592. dicitur Ieiunium sextæ feriæ, quod tanti fit in nostris Constitut. inuiolabiliter obseruetur, & abusus à Superioribus tollantur.

Festum præcipuum in hac Constitutione nominatum, in quo potest Prælatus dispensare, vt fratres in feriis sextis comedere possint oua, & lacticinia, est festum duplex, & supra, extra tamen aduentum, & quadragesimam, & dum tamen ieiunent.

Itinerantes autem non solum in aduentu, & vigiliis de præcepto, & sextis feriis ieiunare tenētur, sed etiam seruare debent ieiunia, quæ seruantur communiter in patria vbi sunt.

Annotandæ autem sunt quædam Constitutiones Apostolicæ circa ieiunium.

Martinus 5. in quadam sua Constitutione quæ incipit, Ineffabile Sacramentum, concedit indulgentiam centum dierum ieiunantibus in vigilia corporis Christi vel aliud opus pium facientibus, de consilio sui Confessarij.

Eugenius 4. in bulla quæ incipit Excellentissimum, confirmat concessionem Martini, & auget indulgentiam in duplum.

Bonifacius 9. instituendo festum Visitationis B. Mariæ, monet, consulit, & suadet, vt in vigilia huius festi Christi fideles ieiunent, sicut ieiunant in vigiliis Natiuitatis, & Assumptionis eiusdem Beatæ Virginis. Bulla eius incipit, Supremi benignitas.

Sixtus 4. oraculo viuæ vocis relato à Roderico post bullas eius indulsit fratribus minoribus, vt non potentes bono modo ieiunare pro infirmitate, aut debilitate, non teneantur ieiunare.

Leo 10. etiam viuæ vocis oraculo citato vt supra, concessit eisdem fratribus, vt possint (maximè prædicatores actu prædicantes,) sine stimulo & seruato ieiunio, anticipare, & retardare horam comestionis serotinæ collationis, iuxta suam consolationem.

Idem Leo 10. vt habetur in compendio priuilegiorum ordinis minorum, concessit dictis fratribus itinerantibus, vt possint transferre ieiunium diei itineris in alium diem.

Ex regula autem S. Augustini quam profitemur habetur solum ieiunium voluntarium cum dicat:

Carnem vestram domate ieiunijs, & abstinentia escæ, & potus quantum valetudo permittit. Quando autem aliquis non potest ieiunare, non tamen extra horam prandij, aliquod alimentorum sumat, nisi cum egrotat.

De tempore, & loco refectionis.

CAP. XXXIII.

HOra competenti ante prandium à Sacrista paucis ictibus campana pulsetur, vt fratres ad refectorium venire non tardent. Postmodum pulsetur cimbalum, si cibus est præparatus, alioquin non pulsetur donec paratus sit. Ablutis verò manibus, Prior nolam refectorij pulset, & tunc fratres ingrediantur. Quibus ingressis dicat (Benedicite) qui dicit versiculos, & Conuentus prosequatur benedictionem. Nullus fratrum præsentium remaneat à prima mensa præter seruitores, & custodes, nisi de licentia. Quotquot autem remanserint, comedant in secunda mensa, ita quod tertiam facere non opporteat. Priores comedant in refectorio, & cibariis Conuentus sint contenti. Similiter infirmarij, seruitores hospitum, & alij fratres, nisi Prior cum aliquibus dispensauerit propter aliquam causam, vt extra Conuentum aliquando comedant. Fratres nostri tam Priores, quam alij in locis vbi Conuentum habemus, nisi cum Episcopo, vel in domib. religiosorum, & hoc rarò, extra claustrum comedere non præsumant. Seruitores autem incipiant ab inferioribus vsque ad mensam Prioris ascendentes.

Pulsato cymbalo pro refectorio debent fratres cum silentio, & matura festinatione venire ad locum vbi debent manus abluere, quibus ablutis, debent sedere secundum ordinem suum extra ianuam refectorij. Et cum Prior nolam refectorij pulsare inceperit, debent bini & bini incipiendo à iunioribus ingredi refectorium. Et cum fuerint in medio, inclinent ante Crucem, vel figuram, quæ est super sedem Prioris, & eant ad loca sua ordinate. Et facta benedictione sedeant, & cum silentio, & lectione sumant cibum de lectione mensæ dicit S. Pater Augustinus in regula.

Cùm acceditis ad mensam donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu, & contentionibus audite, ne solæ vobis fauces sumant cibum, sed, & aures esuriant verbum Dei.

Nullus frater etiam Prior debet in cella tenere mensam, sed omnes ad commune refectorium venire debent, nisi forte Prior aliquando causa rationabili cum aliquo dispensauerit, quod extra Conuentum .i. refectorium in domo hospitum, vel debilium, aut infirmorum comedere possit. Cum enim fratres à sequela communitatis se retrahunt, religio multum relaxatur; & multi Conuentus in spiritualibus, & corporalibus dissipantur, & destruun-

tur. Et ob id Priores nullatenus à choro & refectorio se absentent, nisi ex causa vrgenti,& idem faciant à subditis seruari alias ab officiis absoluantur. Idem statutum etiam fuit de Magistris quascunque licentias eis concessas ac aliis irritantes. Et si qui sunt Conuentus in quibus nulla seruetur communitas præcipuè comedendi in communi refectorio, inhabiles sint ad recipiendum nouitios ad habitum ordinis. Et ideo in capitulo de infirmis, dicit Constitutio:

Nec Priores Prouinciales, nec Magistri in Theologia, etiam actu legentes, comedant in cameris, nec alij fratres, sed in communi refectorio, vel domo hospitum, vel infirmorum, aut debilium.

In portandis autem scutellis, & pictantiis, seruitores debent incipere ab inferioribus & vsque ad mensam Prioris ascendere, nisi forte in mensa Prioris essent personæ magnæ, vt Episcopi, Comites, vel maiores his, quia tunc ab his honorabilioribus personis esset incipiendum In leuandis autem scutellis vel incisorijs, à mensa Prioris incipiant, & ad inferiores descendant.

De ciborum qualitate.

CAP. XXXIIII.

PVlmenta nostra sint vbique sine carnibus in Conuentibus nostris, præterquam in infirmariis. Fratribus autem nostris, ne sint hospitibus onerosi, pulmenta cocta cum carnibus comedere liceat extra claustrum. Singulis diebus duo cocta pulmenta si fieri potest habeant. Poterit autem Prior superaddere prout opus esse iudicauerit, & facultas domus permiserit. Nulla fiat seruitoribus vel ministris pictantia, quæ non fit Conuentui, nisi sint infirmi vel minuti. Frater non mittat fratri pictantiam, excepto Priore, sed sibi datam dare possit à dextris, & à sinistris: Si quis iuxta se sedenti viderit aliquid deesse de communi, requirat à seruitore. Si quis de seruitoribus vel comedentibus, seruiendo, vel comedendo, in aliquo offenderit, surgentibus fratribus veniam petat, & facto signo à Prælato redeat ad locum suum.

In Locis vbi Conuentum habemus, extra domum fratres carnes non comedant. *Cap. de infirmis.*

Præsidentes Conuentuum non possunt dispensare cum fratrib. vt in refectorio carnes comedant, nec extra refectorium cum toto Conuentu regulariter, nec cum aliquo fratre in Aduentu, & contrarium facientes ab officiis absoluantur, & grauissimè puniatur. Ex decl. cap. de infirmis. In Constitutione de carnib. non comedendis, non debent Prælati dispensare, nisi cum

infirmis, & euidenter indigentibus, quamuis etiam extra casum infirmitatis, possint eum aliquibus ex causa rationabili dispensare, vt cum notabiliter antiquis, & lectorib, & debilibus, non tamen debet hoc facere regulariter, sed aliquibus diebus, & cum discretione.

Ex decl. cap. de graui culpa. Fratres alibi quam in infirmariis carnes non comedant, nec pulmenta cum carnibus, aut cum sagimine, etiam itinerantes nec cibos in quibus euidenter apparent carnes concisæ comedere præsumant. Et pariter extra Conuentum fratres carnes non comedant, nec etiam cum Principibus, & Prælatis, etiam si super hoc asserant priuilegium habere. Nec etiam fratres infirmi.

Ex decl. cap. de infirmis. Quamuis in domibus Episcoporum, & religiosorum possint fratres quandoque sed raro de licentia Prælati comedere, non tamen licebit comedere carnes extra claustrum, etiam si sint infirmi. Quotidie autem teneatur refectorium, & in secunda, & quarta feria minime cum aliquo dispensetur, nisi propter infirmitatem.

Præsidentes Conuentuum de eleemosynis ex missis, & officiis collectis, reditibus ac prouentibus Conuentuum, taliter disponere quod singulis diebus fratres habeant vnam pictanctiam cum vno ferculo, & tempore ieiunij vltra pictantiam habeant duo fercula; vt possint ieiunare.

Finito prandio fiat signum à Prælato cum nola, & tunc terminetur lectio per Tu autem domine, &c. & Prælatus stans nolam pulset quousque fratres à mensa surrexerint, terminata pulsatione illi qui seruiendo vel legendo, aut comedendo in aliquo offenderint, faciant veniam posternendo se, toto corpore non super ventrē, sed super vnum latus in longum, tibiam vnam super aliam tenendo. Et facto signo à Prælato surgāt, & ad locū suum vadant.

Forsan in hoc proposito licebit scire concessionem quandam factam ab Eugenio 4. Fratribus Carmelitis, nam cum in eorum regula cautum esset, vt ieiunarent singulis diebus à festo S. Crucis vsq; ad Pascha, & abstinerent à carnibus nisi infirmitatis vel debilitatis remedio, petierunt super huiusmodi dispensationem à sede Apostolica, adducentes propter talem arctitudinem multos retrahi ab ingressu in illā religionē, & multos religiosos debilitari, & hic Pontifex talem gratiam indulsit prout refert, & confirmat Sixtus 4. in Mari magno Carmelitarum, & est bulla eiusdem Sixti 4. Apud Rodericum 37.

Auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & concedimus, vt dicti ordinis professores qui nunc sunt, & pro tempore erunt tribus dumtaxat diebus singularum septimanarum, quibus ieiunio vt præfertur astricti sunt, præterquam in aduentu, & quadragesima, & alijs diebus generaliter prohibitis, vesci carnibus licite, & libere valeant, decernentes ad arctiorem obseruantiam occasione emissæ professionis, & emittendæ minimè eos teneri.

Adrianus 6. bulla sua apud Rodericum 4. idem concedit ordini Redemptoris captiuorum S. Trinitatis his verbis.

Prouincialibus & ministris monasteriorum ord. prædicti, quibus per regularia instituta vsus carnium in refectorio interdictus est, non autem extra refectorium, si qualitas temporis, vel monasterij necessitas id exegerit, vesci carnib. licentiam dari posse concedimus,

cedimus Aduentus, & alijs iure prohibitis temporibus, exceptis.

Eugenius 4. vt refert compendium priuilegiorum ordinis minorum verbo Ieiunium, concessit Fratribus S. Hieronymi, vt Prælati possint dispensare cũ suis subditis causa infirmitatis super esu carnium temporibus interdictis, absque alia licentia diœcesani.

De collatione tempore Ieiunij.

CAP. XXXV.

TEmpore ieiunij hora competenti sacrista ad collationem signum faciat, postea refectorarius cimbalum pulset, deinde fratribus venientibus in refectorium præmisso, Iube domne benedicere, & secuta benedictione, Noctem quietam, &c. legat lector. Infra verò lectionem bibere poterunt, facto signo à Prælato, & dicto Benedicite, à lectore, dataque benedictione ab hebdomadario, Largitor omnium bonorum benedicat potum seruorum suorum: Finita lectione, dicat qui præest. Adiutorium nostrum in nomine Domini. Et tunc cum silentio intrent fratres Ecclesiam, Quicunque bibere voluerit extra horam, licentiam petat, & vnum socium accipiat.

Fratres duabus manibns bibant, & sedendo. *Cap. de Nouitijs.*

Contra hanc constitutionem inualuit vsus, nam in multis locis propter concursum secularium ad Ecclesias nostras, completorium more aliarum Ecclesiarum incipitur in choro, & non in refectorio per Iube domne benedicere. Qui mos cum non possit absque admiratione secularium reuocari, & sit rationabilis, vt aliis conformemur Ecclesiis, seruari debet, idcirco Salamanticæ 1551. statutum fuit interueniente etiam auctoritate Apostolica, vt completorium etiam diebus ieiuniorum semper in choro, per Iube domne, &c. inchoaretur, & cum dicitur Noctem quietem, & finem, &c. fratres inclinent vt fit in aliis benedictionibus. Idem confirmatum fuit Barchin. 1574.

In refectorio danda est benedictio ab Hebdomadario non sedente, sed eleuato, & stante, qui etiam post collationem debet dicere, Adiutorium absente Priore & Superiore ac Vicario Conuentus; quia & si eo casu non præsideat aliis loco, præsidet tamen auctoritate. Cum autem dicitur, Adiutorium, vel Fidelium debet dici cum magna grauitate, ita sonore quod clare ab omnibus auditur. Et quando sunt simul plures Prælati, ille qui aliis præest dicat, Adiutorium, & Fidelium, & benedictionem in completorio.

Quamuis videatur irreligiosum bibere post completorium, & propterea ordinatum fuerit, vt qui post completorium bibebat teneretur iterato dicere completorium, quia tamen Constitutio dicit de licentia Prælati posse fratres extra horam bibere, poterit etiam Prælatus quando dies breues sunt, collationem vsque post completorium finita oratione differre. Debet autem volens bibere socium assumere ac licentiam petere causa honestatis, ne forte ob præsentiam socij excedat in bibendo.

De Infirmis, & illorum cura.

CHAP. XXXVI.

CIrca infirmos caueat ne ſit negligẽs Prælatus, ſic enim procurandi ſunt infirmi, vt citius releuentur, ſicut dicit Pater noſter Auguſtinus. Poterunt autem quidam veſci carnibus, prout eorum grauior exigit infirmitas, ſecundum quod Prælato viſum fuerit. In locis vero vbi Conuentum habemus, extra domum carnes non comedant. Si quis autem talem habuerit infirmitatem, quæ nec multum eum debilitet, aut comedendi turbet appetitum, talis nec ſupra culcitrã iaceat, nec ieiunia conſuetudinaria frangat, nec cibos refectorij mutet. In domibus noſtris non ſint niſi duo loca in quibus comedant debiles vel infirmi, vnus carnium, alter aliorum ciborum, niſi ſit euidens neceſſitas & vrgens infirmitas. Similiter omnes alij fratres, etiam Prouinciales, & Magiſtri actu legentes comedant tantùm in refectorio, vel hoſpitio, aut domo infirmorũ ſiue debilium, nunquam autem in cameris. Si autem Priores infirmari contigerit, in infirmaria cum aliis procurentur. Fratres verò leproſi infra ſepta ſui Conuentus ſeorſum ab aliis procurentur. Conuentum autem ſuum dicimus cuius eſt filius. Quod ſi arctitudo loci illius, vel alia legitima cauſa non permiſerit, ad alium Conuentum ordinis per Prouincialem tranſmittantur.

De Infirmis etiam curandis agit S. Auguſtinus in regula, & dicit.

Sanè quemadmodum ægrotantes neceſſe habent minus accipere ne grauentur, ita & poſt ægritudinem ſic tractandi ſunt vt citius recreentur, etiam ſi de humillima ſeculi paupertate venerint, tanquam hoc illis contulerit, recentior ægritudo, quod diuitibus anterior conſuetudo. Sed cum vires priſtinas reparauerint, redeant ad feliciorem conſuetudinem ſuam, quæ famulos Dei tanto amplius decet, quanto minus indigent, ne cibi eos teneat voluptas iam vegetatos, quos neceſſitas leuarat infirmos. Illos ſanè exiſtiment ditiores, qui in ſuſtinenda parcitate fuerint fortiores, melius eſt enim minus egere, quam plus habere.

Item, Lauacrum etiam corpori, cum infirmitatis neceſſitas cogit minimè denegetur, fiat tamen ſine murmure de conſilio medicinæ, ita vt etiam ſi nolit, iubente Præpoſito faciat, quod faciendum eſt pro ſalute, ſi autem velit, & fortè non expedit, ſuæ cupi-

ditati non obediatur. Aliquando enim etiam si noceat, prodesse creditur, quod delectat. Denique si latens est dolor in corpore, famulo Dei dicenti, quid sibi doleat, sine dubitatione credatur, sed tamen vtrum sanando illi dolori, quod delectat, expediat, si nõ est certum medicus consulatur. Nec eant ad balnea, siue quocumque ire necesse fuerit, minus quam duo, vel tres.

Item, Ægrotantium cura, siuè post ægritudinem reficiendorum, siue aliqua imbecillitate, etiam sine febribus laborantium, vni alicui debet iniungi, vt ipse de cellario petat quod cuique opus esse prospexerit.

Item, Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine si aliter tractantur in victu, non debet aliis molestum esse, nec iniustum videri eis quos fecit aliqua consuetudo fortiores. Nec illos fæliciores putent, quia sumunt, quod non sumunt ipsi, sed sibi potius gratulentur, quia valent, quod non valent illi.

In singulis Conuentibus debent esse aliquæ deputatæ cameræ pro infirmis, benè fulcitæ de linteaminib. & lectis, & aliis necessariis pro infirmaria, & debet institui vnus infirmarius principalis discretus, qui prouideat infirmis de lignis, cibariis, medicinis, & de aliis necessariis ad eorum releuationem. Cui statuto additum fuit post illius cõfirmationem. Romę 1608. vt huic infirmario addatur socius, quãdo opus fuerit pro seruitio infirmorum. Debet etiam Prælatus huic infirmario deputare aliquam partem pecuniæ Conuentus ex eleemosynis prouenientem, iuxta ordinationem Ioan. Papæ 22. & possunt isti infirmi de licentia Prælatorum vesci carnibus attenta illorum graui infirmitate. Et si fuerit talis infirmitas, quæ nec multum debilitet, nec turbet appetitum cibos refectorij non mutent tales infirmi. Quando autem & cum quibus Prælatus possit dispensare super esu carnium, dictum est cap. de cibis & illorum qualitate, & cap. sequenti dicitur. Propter minutionem fratres carnes non comedant. Qualem etiam dispensationem habeant infirmi super officio dicendo. vide cap. de officio Ecclesiæ.

De minutione.

CAP. XXXVII.

Minutio quater in anno fieri potest, prima in mense Septembri, secunda post Natale, tertia post Pascha, quarta post festum S. Io. Baptistæ. Præter has minutiones, nullus audeat sibi minuere, nisi discretio Prioris propter aliquam causam iudicauerit aliter alicui esse faciendum. Minuti extra refectorium cum silentio comedant, vbi commodè poterit obseruari, & secundum

quod facultas domus permiserit commodius procurentur. Causa verò minutionis carnes non comedant.

Fratres non tenentur se facere minui, nisi de consilio medicinæ, si quis autem sine consilio huiusmodi voluerit minutionem facere, teneatur illam facere temporibus statutis prædictis. Quod autem religiosi possint se minuere licitè, habetur textus in cap. Cum ad monast. §. porrò. Vbi dicit Io. Andreas post Vincentium fuisse ab Angelo reuelatum eos qui sanguine minuunt die 13. Februarij, illo anno ex febrili distemperantia non mori. Et quia minuti ob extractionem sanguinis, in quo vita consistit, solent debilitari, si Priori videbitur, & non aliter, secundum complexionem, & debilitatem illorum poterunt vesci carnibus, aut alias commode, & frugaliter extra refectorium procurari.

De lectis.

CAP. XXXVIII.

SVper culcitram non dormiant fratres nostri, nisi fortè stramen vel aliquid tale super quod dormiant, habere non possint, Super stramina, & saccones laneos dormire licebit, extra domum vero dormire poterunt, sicut fuerit eis stratum, ne hospites molestentur. Qui autem culcitram petierit ieiunet vna die in pane & aqua. Cum tunica, & caligis cincti dormiant. Nullus, Magistro ordinis excepto qui in communi tolerari possit, habeat specialem locum ad iacendum, nisi propter rerum custodiam: Lectorib. autem secundum discretionem Prioris prouideatur.

Quamuis sanis interdictum sit dormire super culcitras (i. lectos plumeos) infirmis tamen licebit de licentia Superiorum, ideo in infirmariis nostris solemus habere culcitras pro infirmis, quæ consuetudo videtur rationabilis. Et cum Constitutio non præcipiat nos dormire cum scapulari, quod tamen est protestatiuum nostræ professionis, & tenemur illud semper deferre quando in publicum procedimus, non peccant fratres si sine scapulari dormiant, peccarent autem si sine tunicella, & cingulo, & sine caligis dormirent, quia tunicella videtur pertinere ad habitum nostrum de nocte, quæ semper debet ossibus nostris adhærere, & ideo qui nulla subsistente causa, sed ex sola sensualitate, sine tunicella, & caligis dormiunt maximè quando hoc habent in consuetudine, non excusantur à peccato. Omnes autem (excepto Magistro ordinis, infirmis, & hospitibus) in communi dormitorio dormire debent, quod ita debet esse dispositum, vt in sero claudatur, & clauis apud Priorem, vel aliam securam personam seruari debet, & dormientes extra dormitorium grauiter puniantur.

De vestitu.

CAPVT XXXIX.

VEstes laneas non attonsas, vbi seruari poterit, deferant fratres nostri, vbi vero seruari non poterit, vtantur vilib. & potius vilitas seruetur in cappis. Lineis non vtantur ad carnē, nec etiam infirmi, Linteamina in infirmariis nostris concedimus quòd haberi possint, & similiter in cameris hospitum. Nullus habeat plures tunicas quàm tres cum pelliceo in hieme, & quatuor sine pelliceo, quod semper tunica coopertum deferatur. Pelliceis siluestrib. aut etiam coopertoriis quarumcunque pellium, fratres nostri non vtantur, nisi in infirmaria, nec tamen vtantur ibidem coopertoriis pellium siluestrium. Tunicæ circa cauillam pedum inclusiuè, & non plus descendant, Scapularia circa coopertura genuum. Cappa vero sit breuior tunica, & etiam pelliceum, Caligas, & soccos habebimus, vt necesse fuerit, & facultas permiserit. Ocreas non habebimus, nec chirothecas, Bottæ extra septa monasterij non portentur.

S. Augustinus in regula.

Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestib. placere, sed moribus. In incessu, statu, habitu, & in omnib. motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. Vestes vestras in vnum habeatis sub vno custode, vel duobus, vel quot sufficere possunt ad eas excutiendas, nè à tinea lædantur. Et sicut pascimini ex vno cellario, sic induamini ex vno vestiario. Si fieri potest ad vos non pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur, vtrum hoc recipiat vnusquisque quod deposuerat, an aliud, quod alter habuerat, dum tamen vnicuiq; prout cuique opus est non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones, & murmura oriuntur, & conqueritur aliquis se deterius accepisse, quam prius habuerat, & indignum se esse quod non ita vestiatur, sicut alius frater vestiebatur, hinc vos probate, quantum vobis desit in illo interiori sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen si vestra toleratur infirmitas, vt hoc recipiatis, quod posueritis, in vno tamen loco sub communibus custodibus habere quod ponitis, &c. Indumenta vestra secundum arbitrium.

Præpositi lauentur, siue à vobis, siue à fullonibus, ne interiores animæ sordes, contrahat mundæ vestis nimius appetitus, &c. Qui verò vestibus præponuntur, sine murmure seruiant fratribus suis, &c. Vestimenta vero, & calceamenta, quando fuerint indigentibus necessaria, dare non differant sub quorum custodia sunt quæ poscuntur.

Ex chronica ordinis colligitur B. Patrē Dominicum, & alios primitiuos patres ordinis habitum quem modo portamus, non statim deferre cœpisse, sed superpelliceis ad modum habitus Canonicorum regularium vsos fuisse, cuius ordinis erat ipse S. P. Dominicus. Ingressus est autem ordinem nostrum quidam doctor insignis Magister Reginaldus Decanus Aurelianens. eo anno confirmationis ordinis. Et cum in grauem morbum incidisset, ita vt de eius salute desperarent medici, illi decumbenti, nocte apparuerit B. Virgo, quæ eum salutari vnctione perunxit, propter quam sanatus est. Et deinde habitum religionis quo nunc vtimur ostendens dixit. En habitus tui ordinis. Propter quam visionem omnes fratres hoc habitu à Deipara ostenso vti cœperunt. Hunc eundem habitum. Ven. Abbas Ioachim præuidit propheticè, cum D. Dominicū hoc habitu indutum per multos annos ante eius vitam effigiauerit, & Venetiis in templo S. Marci, & Calabriæ in quodam sui ordinis monasterio.

Ex S. Thom. 2. 2. q. 188. art. 6. habetur viles vestes maximè congruere religiosis duplici ratione, tum quia religionis status, est status pœnitentiæ, quæ tristitiam secum habet, pœnitentes autem ciliciis, & saccis vtuntur, & tristitia affecti in vestibus etiam eam ostendunt, tum quia religiosi mundana contemnere debent, inter quæ connumerantur vestes preciosæ. Et ob id in sui humiliationem, & aliorum exemplum religiosus vilibus vestibus secundum suæ regulæ instituta incedere debet, quod si id faceret ob vanam gloriam, aut auaritiam, aut hypocrisim, vitiosum esset.

In declarat. Habitus igitur nostri ordinis est tunica alba, & scapulare album quoad clericos, & cappa nigri coloris. Infra verò tunicam non debemus caligas, vel alias vestes alterius coloris, quam albi portare, & hunc debemus patenter deferre, cum sit protestatiuum, nostræ professionis. Et quia breuitas vestium leuitatem quandam designare videtur, longitudo verò honestatem, & grauitatem, tunicæ nostræ non debent esse notabiliter breues, sed vsque ad cauillam pedum inclusiuè descendere, & ante, & retro consutæ esse, cappa autem debet esse quatuor digitis breuior tunica, scapulare verò propter honestatem, nec nimis strictum, nec nimis latum, nec notabiliter breue, sufficit autem quod cooperiat in latitudine commissuram manicarum, & tunicæ, & in longitudine sit breuius cappa, & asta debet esse consuta cum caputio, & caputium cappæ cum cappa. Et quando in publicum procedimus, vel in choro sumus, debemus semper habere caput coopertum caputio. Et in missa, & extra Conuentum cappam ferre debemus propter honestatem. Item quandocūmque fratres ad officium missæ, vel ad alia officia vtuntur superpelliceis, debent deferre scapulare sub ipsis, ita tamen quod

Caputium sit extra scapulas ordinatum, similiter sacerdotes diaconi, & subdiaconi cum induant sacras vestes, portent scapularia sub ipsis, nec vllo modo ea deponant. Et hoc idem in missis priuatis seruetur. Quando autem habitus dimitti possit, siue pro ioco, siue quacumque alia causa, dicetur infra cap. de apostatis parte 4. Interim tamen notetur Bononiæ 1564. statutum fuisse, ne Superiores permittant fratres mutato habitu comedias, vel repręsentationes facere sub pœna absolutionis ab officio. Et Barchinonæ 1574. prohibetur Præsidentibus ne permittãt fratres per iocum representare personam Episcopi, etiam in festis S. Vincentij, & similibus. Cappæ autem in Conuentu portari non debent à festo Paschatis vsque ad festum omnium sanctorum nisi in communione, & à seruitoribus missarum, ita traditur Salamanticæ 1551. Et Venetiis 1592. statuitur, vt Confessarij dum audiunt confessiones secularium in Ecclesia cappas habeant.

Præsidentes autem Conuentuum studium, & diligẽtiam adhibere debẽt, vt ex eleemosynis, vel reditibus Cõuẽtus prouideatur fratribus indigẽtibus de vestibus, & si alicui fratri à parẽtibus, & amicis dẽtur pecuniæ pro vestibus, dentur pæcuniæ procuratori, qui pannum emat pro fratre, vt sicut pascimini ex vno cellario, sic induamini ex vno vestiario. Et in declarationib. cap. de Nouitiis, mandatur Superioribus, vt cuilibet fratri indigenti singulo anno de vna veste prouideatur, studentibus autem extra suas prouincias ad studendum missis, dentur duo floreni pro vestibus. Et Bononiæ 1564. dicitur. Si in aliquibus Prouinciis, aut Conuentibus consueuit assignari fratribus certa pecuniarum summa pro vestibus, huiusmodi abusus pœnitus aboleantur, & prouideatur vnicuique iuxta fratris necessitatem, & Conuentus facultatem, quod & Valleoleti 1605. confirmatum fuit. Et Romæ 1580. statuitur, vt omnes fratres cuiuscunque status, & conditionis sint, nullo modo tunicas deferre audeant, nisi ex panno communi, vt vniformitas appareat, & non potius vanitati seruire videantur. Et Romæ 1601. ita ordinatum reperitur. Vt vniformitas in exteriori habitu seruetur, caputium neque plicas habeat neque angulos, & non sit neque admodum magnum, neque breue nimium, sed in quadam mediocritate, tunicæ vero sint de panno communi, non pretioso nec subtili, scapularia etiam neque de subtili materia, neque plicas habentia. Similiter, nec cappæ sint de subtili, & pretiosa materia. Idemque obseruetur in vestibus interioribus, vt sint omnem humilitatem, & modestiam monasticam præseferentes, omnique curiositate carentes.

In decl. etiam huius capitis circa preciositatem vestium, dicitur. Cum fratres nostri sint mendicantes, non debent vti pretiosis, sed vilibus vestibus, nec habere corrigias, cultellos, vel sotulares curiosos, nec bursas, vel scarcellas ac corrigias deferre, & qui habent tunicas, & cappas quasi regales, & non solum vnam, sed plures, triplicatas, & quadruplicatas, & in huiusmodi pomposo habitu perseuerant, & perseuerare intendunt, non excusantur à damnabili contemptu, & ideo Prælati delinquentes in his grauiter punire debent Romæ 1580. additur, vt nullus vti debeat coclearibus, & aliis instrumentis aureis, vel argenteis, vel etiam ex lapidibus pretiosis, siue in mensa, siue in cingulis, cultris, vaginis, siue alias quomodolibet.

Constitutio autem de lineis non vtendis ad carnem, cum negatiuè ponatur nulla adhibita pœna taxata, vel taxanda, videtur transgressores obligare ad culpam. Et ideo illi qui nulla subsistente causa lineis vtuntur ad carnem, & in huiusmodi transgressione intendunt perseuerare, à damnabili contemptu non excusantur, & idem intelligitur de canapo, & bombice. Consuetudo etiam in talibus, & si non sit contemptus, est tamen illi propinqua, & ad illum disponens. Quæ consuetudo cum sit irrationabilis, potius dicenda est corruptela, & non potest talem cōstitutionem abrogare. Et Romæ 1569. Admonentur Prælati, vt tunicellas interiores laneas deferant, suosque subditos tam in personis, quàm in lectis laneis straminibus vti faciant.

Ocreas verò, & chirothecas fratres deferre non debent, quando pedestres ambulant, cum verò cum licentia, & necessitate opus est equitare, poterunt propter honestatem, vt à frigore, & pluuia, & à nimio calore se conseruēt, ocreas, & chirothecas habere. At Venetiis statuitur, vt nemo ocreas, & penulam quam vulgo vocant (feltro) portet, maximè conuersi, sed religiosè incedant omnes, ita vt habitus patenter feratur, & pro religiosis, vel ex ipso dignosci possint. Et etiam cum per ciuitatem incedunt & bini sint, & cum toto habitu, & etiam idem seruetur cum de vna ciuitate ad aliam procedunt.

Ex Constitutionibus Apostolicis notanda etiam sunt hæc. In particulari Innoc. III. vt habetur in cap. Cum ad monasterium. De statu monachorum firmiter inhibuit, ne quiuis monachus, siue religiosus camisiis lineis vtatur. Sixtus etiam IV. in Mari magno ita de habitu nostri ordinis disponit.

Inhibemus etiam vt nulli, siue sit in religionis ordine siue extra ordinem constitutus, habitum vestrum, aut ei consimilem, quod propter eum frater Prædicator credi possit, deferre liceat, absque mandato sedis Apostolicæ speciali. Et vt dicta inhibitio maiorem consequatur effectum statuimus, vt hic qui habitum vestrum, vel ei similem prædicto modo deferre, præsumpserit, ad deponendum ipsum per Diœcesanos locorum cum à vobis fuerint requisiti, monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellantur, &c.

Ante Sixtum IV. Cum patres Heremitani S. Augustini sepè cum nostro simili habitu incederent interiori, ideo diploma edidit Alex. IV. in quo illum illis prohibuit, vt habetur in eius priuilegio 35. his verbis.

Alexander seruus seruorum, &c. Dilectis filiis Generali, Prouincialibus, & Prioribus ord. Hæremitarum, &c. Meminimus, &c. Sed vos prout accepimus prædictum fratrum Prædicatorum habitum, vel ei consimilem defertis, quòd quando tunicam superiorem deponatis, fratres Prædicatores credimini, & ab iis in huiusmodi habitu non videmini discrepare, &c. Volentes igitur confusionem habitus euitare, &c. Vobis omnibus, & singulis ac aliis fratribus vestræ curæ commissis in virtute S. obedientiæ districtè committimus, quatenus omni dilatione, & difficultate remotis, habitum huiusmodi deponatis pœnitus eum nullo vnquam tempore reassumendum, &c. de alio vobis, & religionis vestræ habitu prouidentes, &c.

Denuo in partibus Hispaniarum insurrexit disceptatio inter eosdem, & Patres nostros super huiusmodi habitu, & Clemens VIII. talem protulit senten-

sententiam, quam refert Compendium bullarum in fine.

Clemens VIII. &c. Mandauit, & mandat, vt perpetuis futuris temporib. fratres Prædicatores cum cappa nigra, fratres verò Heremitanos cum tunica nigra ad instar propriarum Constitutionũ, non solum in regnis Hispaniarum, sed vbique locorũ, etiamsi in propriis Ecclesiis, & Conuentibus eos actus exerceant in quib. habitum nigrũ Constitutiones iubent adhiberi, præcipuè verò in Ecclesiis dum confessiones audiunt, conciones seu lectiones ad populos habent, quam extra claustra in quibuscumque actionib. & functionibus, etiam in itinere, & ad prædia, licet vrbibus, oppidis, & monasteriis vicina animi gratia accedentes, semper incedere debeant, & teneantur præterquam in ædibus, & viridariis prædiorum suorum, & hæc in virtute S. obedientiæ mandat districtius obseruari. Et superioribus vtriusque religionis præcipit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, nè litem, vel molestiam aliquam vicissim inferre audeant non obstantibus.

Refert compendium priuilegiorum ordinis minorum verbo Indulgentia quo ad seculares. §. 6. Io. 23. relaxasse omnibus Christi fidelibus osculantibus habitum S. Dominici, quinque annos, & totidem quadragenas de iniunctis sibi pœnitentiis.

Sunt etiam multi seculares vtriusque sexus ordini nostro bene affecti, qui in sua morte disponunt indui ac sepeliri cum habitu nostro, de quibus habentur priuilegia infrascripta. Nam Sixtus IV. in Mari magno statuit, vt infra.

Insuper cum nonnulli, ad ordinem fratrum Prædicatorum specialem gerentes deuotionis affectum, ordinent eorum cadauera, cum habitu fratrum dicti ordinis, aut sororum de pœnitentia sepeliri, ne ex illorum corporum delatione ad alia loca, ordini, & fratribus prædictis irrogetur, decernimus tales apud fratres prædictos esse sepeliendos, etiam si alibi suam elegissent sepulturam, nec posse etiam in loco per eos electo, cum habitu prædicto quomodolibet sepeliri, absque fratrum licentia, & assensu domus loci in quo tales decesserunt.

Idem Sixtus IV. in bulla Aurea huic concessioni addit.

Et quia persæpè tales antequam moriantur habitum huiusmodi eis dari postulant, decernimus habitum prædictum per Priorem domus ordinis Prædicatorum, &c. loci in quo tales decedere contingit, vel per Supperiorem eius vel cui illi duxerint committendum, & non per alium, quauis prælatione fulgentem exhiberi deberi, qui prædictum habitum recipientibus, declarare teneatur eos sepeliri debere in Ecclesia illius ordinis cuius habitum receperunt, & illorum sic indutorum cadauera discooperta nullo superposito pallio ad sepulturam deferri.

Leo X. etiam in suo priuilegio priuilegiorũ nobis concessorũ 3. sic habet.

Volentes quoque sepeliri in habitu eorumdem fratrum, in claustro non degentes, & in propriis domibus habitantes, in eorum vltima voluntate sepulturam sibi eligere possint libere.

Postremo omnium seruandum est in habitu, & vestitu religiosorum id quod de habitu clericorum statuit Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. de reform. in hunc modum.

Et si habitus non faciat monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, vt per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrin-

secam ostendant, tanta autem hodie inoleuit aliquorum temeritas, & religionis contemptus, vt dignitatem clericalem paruipendentes, vestes deferant laicales, pedes in diuersis ponentes, vnum in diuinis, alterum in carnalibus, propterea si moniti, & correpti denuo deliquerint, etiam per priuationem beneficiorum, & officiorum coerceri possint, & debeant.

De Rasura.

CAPVT XL.

RAsura sit superius non modica, vt religiosos decet, sic vt inter ipsam, & aures, non sint plusquam tres digiti. Tonsura quoque fiat desuper aures. Rasura vero fiat à Pascha vsque ad festum omnium Sanctorum de quindena in quindenam, deinde autem semel in tribus septimanis, ita tamen, quod propter festa solemnia, possit per dies aliquot præueniri, vel retardari.

Præsidentes Conuentuum diligentem adhibeant solicitudinem, vt fratres sint vniformes in capillorum rasura, & vt decentem, & religiosam habeant coronam, nec vllo modo patiātur, vt comas nutriant, aut more secularium capillos longos habeant. Debet autem tonsura capillorum, solum vsque ad summitatem aurium descendere, & inter ipsam, & rasuram capitis desuper, non debent esse plusquam tres digiti. Poterit autem in regionib. calidis rasura fieri etiam in hieme de quindena in quindenam, vt Prælatus iudicauerit. Qualis autem debeat esse conuersorum rasura dicetur cap. de Conuersis.

Scitu dignum est, quod tradit S. Thom. 4. sen. dist. 24. quęst. 3. art. 1. quęst. c. 1. de religiosorum rasura. s. Eis qui ad diuina misteria applicantur competit tonsura, vel rasura ad modum coronæ, tum ratione figuræ, quia corona est signum regiæ potestatis, quia datur regibus, & perfectionis, quia circularis est. Religiosi autem diuinis mysteriis mancipati regale sacerdotium obtinent, & perfecti esse debent, tum ratione substractionis capillorum, quę fit, & in parte superiori, vt mens à temporalibus occupationibus libera, ad contemplationem diuinorum ascendat, & in parte inferiori ne sensus terrenis inuoluantur. Et in responsione ad 2. subdit. Similiter etiam conuersi tondentur in parte inferiori, propter renuntiationem temporalium, non autem in parte superiori, quia non occupantur in diuinis obsequiis in quibus oporteat diuina contemplari.

Non est quid nouum à Patribus nostris inuentum, vt fratres rasuram capitis seruent. De vita, & honestate cleric. cap. Clericus habetur. Clericus neque comas nutriat neque barbam. Et ibidem cap. Clericis subditur: Clerici, qui comam, & barbam nutriunt, etiam inuiti à suis Archidiaconis tondeantur.

De Silentio.

CAPVT XLI.

Silentium fratres nostri teneant in claustro dormitorio cellis, in refectorio, & in oratorio fratrum, nisi forte silenter aliquid loquantur, non tamen oratione perfecta. Alibi tamen loqui poterunt de licentia speciali. Omnes fratres vbique intus, & extra silentium teneant in mensa, tam priores, quàm alij excepto, qui maior fuerit inter eos, vel alio cui pro se loqui commiserit, & tunc ipse taceat, Magistris in Theologia exceptis. Prior tamen conuentualis possit licentiare vnum de secum comedentibus ad loquendum. Si vero plures Priores conuentuales simul comedere contigerit, Prior antiquioris Conuentus loquatur, & vni loquendi licentiam dare possit. Nullus autem aliorum ibidem loquatur, nisi de necessariis mensæ, & hoc per vnicam orationem breuiter, & submissè nisi de licentia Episcoporum, siue Electorum, aut etiam maiorum his, seu etiam Regum, ac etiam Magistri ordinis, & Ministri ordinis minorum, cum contigerit nos cum eis comedere. Prior autem prouincialis absente Magistro ordinis, fratribus secum comedentibus in sua dumtaxat prouincia, possit dare licentiam loquendi, in alia autem prouincia tantum vni. Si quis hoc silentium fregerit ex proposito, vel licentiam loquendi dederit, in vno prandio aquam bibat, & in capitulo coram omnibus vnam disciplinam accipiat, exceptis infirmis decumbentibus. Et in hoc non dispensetur nisi per Magistrum ordinis, aut Priorem Prouincialem, & hoc raro, & ex rationabili causa. Infirmi verò non decumbentes à prandio vsque ad vesperas silentium teneant, similiter post signum, quod fit post completorium. A minutis vero post diem suæ minutionis primam, idem obseruetur. Fratres in capitulo de silentio se accusent, sicut de aliis culpis, & arbitrio Priorum puniantur. Si quis tamen inter duo capitula septies silentium fregerit, in vno prandio sedeat in terra.

In claustro, dormitorio, cellis, refectorio, & oratorio fratres continuum tenere debent silentium, nec debet Prælatus cum fratribus in his dispensare vt loquantur, & quidem cum fratres per claustrum transeunt debent psalmum, De profundis, &c. cum aliis orationibus dicere. In cellis vero dormitorij possunt scribere, legere, orare, & dormire. In refectorio vero dum sunt in mensa debent continuam lectionem habere. In oratorio autem debent orare, & nihil aliud quam id ad quod factum est agere. In aliis autem

locis à prædictis, poterunt fratres loqui de licentia speciali quam licentiam dicuntur petere vel habere, quando post Salue regina, quod dicitur in fine cuiuslibet horæ ponunt digitum super os, voluentes se versus Prælatum. A signo autem quod fit cum parua cāpana post completoriū vsque post primam. Et similiter à signo quod fit in æstate post prandium vsq; post nonam dictam, nulli loqui licebit, sed omnes silentium seruabunt. Et omnes fratres dum simul comedunt siue in terra, siue in mari, silentium seruare tenentur, excepto vno qui fuerit maior inter eos, & Magistris in Theologia.

Qui autem, aut quando loqui possunt hi sunt. Magister ordinis omnibus fratribus secum comedentibus extra refectorium, i. siue in hospitio, vel infirmaria, vel in camera sua, potest dare licentiam loquendi in mensa, in refectorio autem talem licentiam dare non potest, quia ibi est continuum silentium. Idem possunt Prouinciales in sua prouincia tántum, & absente Magistro. Prior conuentualis in mensa extra refectorium loqui poterit, & etiam vni comedentium loquendi dare poterit facultatem. Et si contigerit plures Priores simul comedere, solus ille qui antiquiori Conuentui præsidet loqui poterit, ac vni alteri licentiam loquendi dare. Magistri in Theologia loqui possunt non autem aliis loquendi facultatem concedere, intellige in mensa, & extra refectorium. Vicarij ordinis generales mortuo vel amoto Generali, necnon & Vicarij generales prouinciarum per quemcunque modum legitime instituti, & loqui, & loquendi licentiam dare possunt secum comedentibus. Vicarij vero particulares tum Magistri ordinis, tum Prouincialium talem licentiam præstare non possunt, habent tamen facultatem fratres sibi commissos absoluendi à pœna quæ debetur eis propter fractionem silentij, vel talem pœnam commutare si eis fuerit concessum à Magistro ordinis vel à Prouinciali. Qui Magister ordinis, & Prouinciales possunt etiam aliis facultatem dictam concedere, auctoritatem autem loquendi in mensa aliis delegare non possunt. Apparet etiam ex Constitutionibus Episcopos, Electores, Reges ac his maiores, nec non & ministrū ordinis minorum prædictam licentiam dare posse.


In capitulo Romano 1558. proposita fuit hæc declaratio per modum inchoationis. Inchoamus hāc in capitulo de silentio, deletis verbis illis, (omnes fratres vbiq; intus, & extra silentium teneant in mensa) vsq; ad illud (si quis autem hoc silentium fregerit) exclusiuè, legatur sic. Omnes fratres in refectorio vel vbicumque totum Conuentum, vel maiorem eius partem simul comedere contigerit quomodolibet, semper silētium teneant in mensa, nec ibidem loquantur nisi de necessariis ad mensam, & vnica oratione breuiter, & submisse, excepto Prælato, siue eo quem mensæ præesse contigerit, qui de necessariis pro seruitio mensæ, vel pro admonendis fratribus loqui possit. Alibi autem de licentia Prælati loqui poterunt, deinde sequatur. Si quis autem, &c. Quæ declaratio non fuit confirmata in capitulis sequentibus, & ideo nullius est roboris. Et quia irreligiosum fuit semper iudicatum in religione loqui post completorium, debent fratres post signum, quod fit post completorium tenere silentium vsque post primam. Quando verò fratres cœnant post completorium sicut fit dominicis diebus in hie-

me, non est opus quod tale signum fiat post completorium, sed poterit differri vsque post secundam mensam completam, post quod tenebuntur fratres silentium seruare.

Cum dicitur fratres debere se accusare in capitulo de silentio, idem est intelligendum de omnibus aliis trangressionibus constitutionum, & cum subditur, transgressores silentij debere sedere in terra, non ob id sic sedentes tenentur stare in pane, & aqua, sed solum sedere sic, & comedere quę alij comedunt, & hanc pœnam debent subire fratres in prandio, & non in cœna. Pro quib. sic sedẽtibus debet haberi asser, super quẽ sedeant, & aliqua mensa vel forma lignea super quam comedant. Et si sedẽt pro pœna grauioris culpę, debet poni asser immediate super terram, super quo ponantur cibaria, vt & ipsi pœnitentes super nudam terram sedere debent. Romæ 1608. ordinatur sanctissima silentij lex tantopere à patribus nostris cõmendata, ex cuius obseruantia tot tantaque bona in ordine nascuntur, omni studio, & diligentia seruetur. Et Prælati negligentes in punitione seuerius ipsi puniantur.

Tanto autem silentium religiosis commendatum esse debet, quanto lingua plures inuoluit iniquitates, de qua disserens S. Antoninus par. 1. tit. 2. ca. 4. dicit, quod sicut omnis nostra locutio ex literis alphabeti resultat, ita ex lingua tot peccata oriuntur, quot & quales sunt ipsius alphabeti literæ, quæ sunt, Adulatio, Blasphemia, Contentio, Detractio, Excusatio peccati, Falsitas, Gloriatio, Hæresis, Irrisio, Cantatio amatoria, Lasciua locutio; Maledictio, Nugatio, Oratio sine attentione, Periurium, Querela iniusta, Reuelatio secretorum, Susurratio, Temeraria assertio, Verbum ociosum.

Dicamus igitur, cum Propheta in psalmo, Pone domine custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labiis meis. Quod Deus concedat, qui est benedictus in sæcula. Amen.



SVMMARII

Pars Secunda.

N QV A DE DIVERSIS RELIGIOSORVM STATIBVS, GRADIBVS, & officiis diſponitur.

De Examinatoribus recipiendorum.

CAP. I.



N quolibet Conuentu tres idonei fratres eligantur, de communi conſilio capitali, qui recipiendos in moribus,& ſcientia diligenter examinent,& examinationem Priori,& capitulo referant, eorum iudicio an recipi debeant reliquentes. *Cap. de Recipiendis.*

Iſti tres fratres examinatores eligendi, debent eſſe prudentes, & diſcreti, ac de conſilio patrum. Et examen poteſt fieri ab eis ſimul ac diuiſim, ſemper tamen caute, & vrbane, & non acerbe. Debent autem leniter inquirere de impedimentis in Conſtitutio. expreſſis, de quibus infra per ſingula dicetur, & de omnibus quæ inuenerint, debent fideliter referre. Summopere autem cauendum eſt, ne recipiantur ignari & inepti ad literas, vel qui habent quædã vitia quaſi inſeparabilia, & naturalia, vt ſunt innata iracundia, ebrietas, debilitas naturæ ex vitioſa conſuetudine, & diſpoſitio ad furioſitatem, & huiuſmodi, de quorum correctione vix ſpes poteſt haberi.

Clemens 8. edidit quandam inſtitutionem de recipiendis, & educandis nouitiis, in qua quædam notantur inquirenda ab examinatoribus. ℒ

Superiores diligenter inquirant, quo ſpiritu, qua mente, & voluntate, id regularis vitæ genus elegerint, quem ſibi finem propoſuerint, num zelo perfectioris vitæ, & vt Deo liberius famulari poßint, vel leuitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi motu ducantur. Prouideant quoque vt omnes etiam conuerſi, priuſquam ad habitum admittantur, per eos quibus incumbit, de regula quam profeſſuri ſunt, de tribus eſſentialibus votis, & aliis cuiuſque ordinis inſtitutis peculiaribus inſtruantur.

Idem Pontifex in alio decreto de forma recipiendi nouitios, ita ſtatuit.

Nouitij ad habitum vel profeßionem nullatenus recipi poſſunt, niſi prius ab ipſa Cõgregatione reformationis, vel ab eorum Ordinariis, in quorum diœceſi nouitiatus exiſtũt,

expresse, & nominatim approbati fuerint, & licentiam in scriptis (gratis tamen etiam quoad scripturam) obtinuerint. Qui Ordinarij omnem adhibeant diligentiam, vt circa ætatem, conditionem, educationem scientiam, vitam, & mores, cæterasque qualitates in nouitiis requisitas, obseruentur instituta eiusdem Congregationis, &c. Neque aliter aliqui recipi permittant.

Veruntamen Frater Hieronymus Xauiere Magister ordinis, viuæ vocis oraculo à dicto S. D. Papa obtinuit suspensionem dicti decreti pro nostra religione, prout ipse per literas notificauit.

Sixtus 5. in sua Constit. de illegitimis non recipiendis ad habitum quorumcunque regularium præcipit nullos maiores sexdecim annis recipi posse, nisi prius de eorum patria, parentibus, & moribus diligenter inquiratur, & ex accurata informatione, & fide digna relatione compertum sit, in eis non esse, quædam impedimenta quæ infra proponentur, & subdit hæc verba.

De his omnibus in generali aut Prouinciali capitulo plena, & indubitata fide facta, tam Generalis, seu Prouincialis, quàm Diffinitorum consensu approbati, & admissi fuerint. Et infra.

Quare volumus vt recipiendorum admissio, approbatio, & receptio in capitulo generali, aut prouinciali fiat pro tempore, necnon religiosi sic recepti nomen, cognomen, & patria, in actis capituli notentur.

In alia vero Constit. declaratoria præcedentis sic statuit.

Quia vero in quibusdam religionibus capitula prouincialia, aut nunquam, aut quotannis non celebrantur, &c. Concedimus, vt in qualibet prouincia duo aut si possibile fuerit tria, aut plura monasteria deputentur, quorum Superiores infra annum ad inquisitionem de nouitiis faciendam secundum formam prædictam congregentur.

Pro cuius mandati executione in cap. Romano 1589. in qualibet prouincia designati fuerunt Conuentus, quorum Superiores conuenire debent quando hac approbatione opus sit. Et postea auctoritate Apostolica interueniente in prouincia Lombardiæ ad hoc munus deputati fuerunt R R. Patres Prior, Regens, Inquisitor, & Baccalaureus, Bononienses, ita vt saltem tres illorum admissioni subscriberent, quando extra capitulum ea fieri oporteat. Videas infra cap. de qualitate informationum, &c.

Necessarium autẽ est recipiendos examinari diligẽter ex D. Tho. 2. 2. q. vlt. art. 9. nã inquit tria sunt cõsiderãda in ingressu relig. Primo ipsemet ingressus secundũ se, & quia hic bonus est, nõ est opus cõsilio aut examine. Secundo ipsemet ingressus per cõparationem ad vires animi, & neque in hoc casu requiritur consilium, siue examen, aut diutina deliberatio, quia non debet confidere in propria virtute, sed diuina, nisi forte sit inquirendum de viribus corporis quæ necessariæ sunt. Tertio qualitas religionis ingrediendæ, & circa hanc laudabile est consulere, inquirere particularia statuta illius, & per examen perquirere eius voluntatem. Et quamuis inducere hominem ad suscipiendum habitum religionis laudabile sit, cauere tamen debent tria inducentes ex eodem S. Doctore ibidem. s. violentiam, minis terrendo aut comminando; simoniam aliquid recipiendo pro ingressu, mendacium, proponendo ea quæ falsa sunt de statu religionis. Illud etiam quod aduertit D. Caietanus in dicto articulo non omnino prætermittendũ est s. inducere aliquẽ

ad intrandam religionem, in qua non seruantur Constitut. & instituta illius, est ex genere suo malum, quia talis vita reprehensibilis est. Quod si verum est, nedum inducens, sed, & recipiens ad habitum in idem malũ incidit, ac etiam ille qui talem religionem ingreditur, si scit mores religiosorum dissentire notabiliter ab instituto regulæ. Cuius doctrinæ alij sint iudices. Satis enim mihi est in hoc opere tradere quæ nostri Patres sanxerunt.

De his qui possunt ad habitum recipere.

CAP. II.

NVllus recipiatur in fratrem clericum ad probationem, vel professionem, nisi à Prouinciali, vel ab eo cui super hoc specialem licentiam dederit, vel à Priore conuentuali cum assensu totius aut maioris partis capituli. Conuersum autem non recipiat Prouincialis, nec alius de eius licentia, nisi de consensu Prioris, & duarum partium qui sunt de Conuentu. *Cap. de Recipiendis.*

Honorius 3. in priori bulla confirmationis ordinis, multa concedit priuilegia, & inter alia indulget, vt Prælati possint aduenientes ad habitum recipere, his verbis.

Liceat quoque vobis, clericos, vel laicos, liberos, & absolutos à seculo fugientes ad conuersionem recipere, & absque contradictione retinere.

Ampliorem gratiam in proposito concessit Eugenius 4. monachis S. Iustinę cuius Constitut. inserta repetitur inter nostra priuilegia fol. 251. Cuius tenor in substantia est.

Liceat insuper Abbatibus, Visitatoribus, Prioribus, & Rectoribus dictæ congregationis præsentibus, & futuris, personas eorum congregationi volentes associari, etiam quæ religionem, & ordinem alium quemcunque etiam arctiorem ingredi vouissent, tali voto non obstante ad probationem professionemque recipere, easque auctoritate Apostolica ab ipso voto absoluere, & cum eis dispensare. Dummodo in tali religione vel ordine de qua vouissent, professionem non emiserint. Quod si tamen ante emissam professionem à vestra congregatione, recesserint, huiusmodi dispensatio nullius sit valoris.

Hoc autem priuilegium intelligendum esse puto conformiter ad ea quæ tradit S. Thom. loco citato 2.2. q. 189. artic. 9. ad 3. s. Ille qui astrinxit se voto vel iuramento ad maiorem religionem. i. arctiorem, non potest induci ad minorem, nisi ex causa speciali, & euidenti, & hoc cum dispensatione Superioris, & ob id non debet cum aliquo fieri dispensatio, nisi aliqua adsit causa dispensandi.

In capitulo Valentino 1596. statuitur, Priores neque per se neque per alios posse in cellis vel quomodo libet secreto fratres ad habitum recipere, sed in capitulo publice id facere tenētur. Et ibidem etiam ordinatum fuerat, vt admissio recipiendorum ad habitum, tam fratrum quam monialium, fieret per vota secreta. Quæ ordinatio reuocata fuit Romæ 1601. Et Valleoleti 1605. interdicitur Prioribus committere suis Supprioribus, & Vicariis, vt ad habitum,

habitum, seu professionem recipiant fratres sine licentia Prouincialis. Ex decl. etiam cap. de elec. Prioris habetur, Suppriores, & Vicarios Conuentuum non posse propria auctoritate hoc facere, nisi quando Suppriores sunt in capite vti sunt quando mortuus est, vel amotus Prior.

De Recipiendorum ætate.

CAP. III.

PVeri, intra quartum decimum annum, non recipiantur, aut si in aliquibus Conuentibus oportet eos communiter recipere, recipiantur de consensu capituli Conuentus, à Priore, & non alias.

Nullus Conuersus recipiatur, infra decem, & octo annos.

Scire oportet, quod ante Concilium Tridentinum, profitebantur regulares, completo quintodecimo anno, propter quod pueri poterant ad habitum recipi, completo quartodecimo, iuxta quem morem loquitur hic Constitutio. Per illud autem Concilium, sancitum fuit, vt professio non fiat nisi post annum sextumdecimum, vt infra sua loco dicetur. Et ob id Bononiæ 1564. Denuntiatum fuit omnibus Præsidentibus, vt quoad fieri possit, ad habitum pueros non recipiant, ante quintumdecimum annum, & cuicunque nouitio, cum ad habitum recipitur, coram omnibus explicetur, professionem in posterum, ad dictum tempus esse faciendam. Quod si pueri aliquando ante quartumdecimum annum fuerint recepti, ad huc nostra Constitutio in cap. de Nouitiis obseruetur, vt vltra sextumdecimum annum tres alij menses superaddantur, in quibus de assumendo religionis statu commodius deliberare valeant.

Hæc intellige de anno quartodecimo completo, & quintodecimo incepto. Huius autem Constitutionis series est.

Ne pueri recepti ad habitum, inueniant se potius natos sub iugo religionis, quam illud elegisse, euitenturque inconuenientia multa, statuimus, vt ei cui ante quintumdecimum annum religionis habitus datus est, nunquam elabatur annus probationis, quantocunque decurrente temporis spacio, nisi vocatus post annum sextum decimum, à Prælato in capitulo, coram Conuentu, terminum trium mensium ad minus accipiat, ad deliberandum, &c. *cap. de nouitiis.*

In cap. Veneto 1592. constituitur, vt nullus recipiatur ad habitum, ante annum quartum decimum expletum, quod & fuit confirmatum Romæ 1608.

Et Clemens 8. in decreto edito de institutione Nouitiorum, & illorum educatione dicit.

Quisque recipiendus in aliquo ordine regulari, etiam mendicantium, in ea sit ætate constitutus, quam eius ordinis in quo recipiendus est regularia instituta, & ordinationes requirunt.

De recipiendis vero ad habitum Conuersorum subdit.

Conuersi autem non recipiantur ante vigesimum ætatis suæ annum.

Per quod decretum moderata fuit Constitutio qua in illis ætas tantum decem & octo annorum, vt ad labores habiles sint, requirebatur.

Notat S. Thomas, opusc. 17. & 2.2. q. 189. art. 1. aliquos impugnasse religiosos, quod recipiant, pueros nondum in præceptorum Dei obseruantia assuetos, cum Christus primo dixerit adolescenti petenti perfectionis statum. Si vis ad vitam ingredi serua mandata, quibus respondens dicit, quod obseruatio statutorum religionum puta ieiuniorum, vigiliarum, orationum, &c. tollit impedimenta, vt facilius seruentur Dei præcepta, & ideo congruit ingressus religionis etiam pueris, nondum exercitatis in diuina lege.

De recipiendorum sufficientia in litteris.

CAP. IV.

EXaminatores, recipiendum diligenter examinent in moribus, & scientia. *Cap. de Recipiendis.*

Item nullus recipiatur ad professionem vt clericus, nisi sciat plenè, & expedite dicere, & legere diuinũ officium, diurnum pariter, & nocturnum, & sciat, vel sit habilis in proxima dispositione, vt sciat grammaticam. *Cap. de Nouitijs.*

Auctoritate Apostolica, in cap. Romano, 1589. statutum fuit ita, vt statutum hoc habeat vim, & robur perpetuæ Constitutionis. Vt nullus ad habitum nostræ religionis recipiatur, siue ad professionem admittatur, nisi sciat distincte legere, & clare, beneque intelligat, & declaret, ea quæ legit, & latinam calleat linguam. Præcipiturque in virtute spiritus S. & S. obedientiæ, sub formali præcepto, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, hac vna, pro trina canonica admonitione præmissa, omnibus, & singulis Prælatis, & examinatoribus recipiendorum, vel ad professionem admittendorum, vt neminẽ penitus admittant, vel capitulo proponant, nisi sit sufficienter instructus vt supra. In cap. Veneto 1592. Hæc ordinatio eadem auctoritate Apostolica sic fuit declarata. Vbi dicitur in ordinatione recipiendorum (Et latinam calleant linguam,) declaramus, per hęc verba intelligi, quod in grammaticalibus sint sufficienter instructi, & hoc specialiter obseruetur in Prouinciis Hispaniarum, & Italiæ. In reliquis vero curent Prælati sufficientiores recipere, prout illarum deploranda calamitas patietur. In eodem Capitulo Veneto, dicitur. Vt nullus recipiatur qui in grammaticalibus non sit sufficienter instructus, illis exceptis Prouinciis, in quibus Magistri ordinarie habentur, qui grammaticam doceant. Idem confirmatum fuit, Romæ 1608.

Clemens 8. in sua Institutione nouitiorum habet hæc verba.

Tantam vero literarum sufficientiam, calleat recipiendus in clericum, vt illius addiscendæ spem indubitatam præseferat, quod minores, & suo tempore maiores ordines, iuxta decreta Concilij Tridentini, suscipere valeat. Sed si quis annum vigesimũ quintum excedens ad habitum regularem, admitti postulauerit, & talis eruditionis expers inuentus fuerit, in Conuersorum tantum numerum, quibus litterarum sufficientia necessaria non est, referatur.

Ex Conc. aut. Trid. talis requiritur literarum notitia his qui ordines minores petunt vt habetur sess. 23. cap. 11.

Minores ordines his qui saltem latinam linguam intelligunt, conferantur. Et nemo his initietur quem non scientiæ spes, maioribus ordinibus dignum ostendat.

Ex decl. cap. de Conuersis. Si esset aliquis laicus nobilis ignarus literarum, qui propter eius nobilitatem, reciperetur ad habitum clericorum, non teneretur ad horas canonicas, sed tantum ad Pater noster; nec posset eligere, aut eligi, nec vti aliis gratiis clericorum.

De aliis requirendis à recipiendis.

CAP. V.

NVllus recipiatur ad habitũ, nisi requisitus, an sit coniugatus, an seruus, an ratiociniis obligatus, & an habeat occultam infirmitatem.

Seruus non potest recipi in religione, nisi de licentia domini sui, vel nisi à domino suo factus sit liber, & si receptus fuerit ad professionem, & Conuentus fuerit in culpa, vt puta, quia sciebat ipsum esse seruum, vel fuit negligens ad hoc inuestigandum, tenebitur Conuentus satisfacere domino suo. Vnde in rubrica de modo recipiendi nouitios ad habitum, & ad professionem, habetur, Prælatum per hæc verba debere interrogare recipiendum in capitulo antequam eum recipiat, Si esses seruus emptitius, non possemus te recipere, quia esses sub potestate domini tui. Et S. Tho. 2. 2. q. 189. art. 6. dicit Seruitus est indicta in pœnam peccati. Ideo per seruitutem aliquid adimitur homini, quod alias ei competeret, ne scilicet de sua persona libere possit disponere, seruus enim id quod est domini est, & ob id, seruus non potest prætermittere, obsequium domini sui, vt religionem ingrediatur, ita habetur dist. 54. cap. Gene.

Obligatus ratiociniis non debet recipi, nisi prius de ratiociniis se expediat, quod si ad ea sit obligatus propter administrationem bonorum reipublicæ, nullo modo recipi debet. Si autẽ sit obnoxius ratiociniis, propter bona particularium hominum, honestum est, vt primo se expediat, & debita persoluat; Si tamen ex feruore charitatis, & non ex leuitate, nec ex intentione subtrahendi se à debitis, religionem petat, poterit recipi, non obstante tali obligatione, quia hoc facit auctoritate Spiritus Sancti, cui nemo resistere debet. Et in tali casu, tenebitur Conuentus satisfacere creditoribus, de his quæ contulit monasterio. Quod si nihil contulit, quia forte nihil habebat, ad ni-

hil tenetur,quia inanis est actio, quam excludit inopia debitoris, Si tamen post eius ingressum monasterium aliquid acquireret occasione illius puta per successionem hæreditatis, aut donationem, vel ex testamento, tenebitur quantum ad illud satisfacere creditori. Et S. Tho. loco nunc superius citato affert doctrinam hanc in proposito. Ille qui est obligatus ad aliquod certum, non potest illud prætermittere facultate existente. Et ideo si aliquis sit obligatus alicui rationem ponat, vel vt certum debitum reddat, non potest hoc licite prætermittere, vt religionem ingrediatur; Si tamen aliquam pecuniam debeat, & non habeat vnde reddat, tenetur facere quod potest vt scilicet cedat bonis suis creditori. Propter pecuniam autem persona liberi nominis secundũ iura ciuilia, non obligatur, sed solum res, quia persona superat omnem æstimationem pecuniæ, vnde potest rebus suis expositis religionem intrare, nec tenetur manere in seculo, vt debitum soluat.

Sixtus 5. in Constit. sua contra illegitimos lata, circa hoc, ita disponit.

Cæterum, quia sæpè se vitia ingerunt & se esse virtutes mentiuntur, ac multi decoctores, post dilapidationem rerum familiarium, & contractam ingentem vim æris alieni, aut interuersam alienam pecuniam eorum fidei creditam, vt ratiocinia effugiant, &c. perpetuo statuimus, & ordinamus, iuuenes maiores sexdecim annis non aliter in aliquam religionem recipi posse, nec debere, nisi prius de eorum ante acta vita, diligenter inquiratur, & ex accurata informatione & fide digna relatione, compertum sit eos, &c. neque ingenti ære alieno supra vires facultatum suarum grauatos, reddendis ratiociniis ita obnoxios, vt ex huiusmodi causalis aut molestia inferatur, aut inferri timeatur, &c. omnes enim ære alieno, & reddendis rationibus obnoxios, perpetuo inhabiles esse declaramus.

Coniugatus pariter recipi non potest, si ita coniugatus est, quod nedum matrimonium contraxerit per verba de præsenti, sed etiam illud consumauerit, vnde in rubrica de modo recipiendi nouitium ad habitum, habetur, Prælatum debere his verbis interrogare eum, Si esses coniugatus, & matrimonium consummasses cum vxore tua non possemus te recipere, quia esses illi obligatus.

S. Thom. 4. sentent. distin. 27. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 2. determinat in hac materia, vt infra, Sicut matrimonium post carnalem copulam soluitur per mortem carnalem, ita ante carnalem copulam, soluitur per ingressum religionis, quia religio est quædam mors spiritualis.

Item matrimonium ante carnalem copulam significat coniunctionem Christi cum Ecclesia per gratiam, quæ coniunctio solui potest. Post vero carnalem copulam, significat eandem vnionem per assumptionem naturæ humanæ, quæ indissolubilis est. Et ex hoc sequitur, primum solui posse per religionis ingressum, non autem secundum.

Item ibidem. Ante carnalem copulam non statim tenetur alter coniugum reddere debitum, sed datur eis tempus duorum mensium ad deliberandum de transeundo ad religionem.

Coniugatus etiam post copulam, potest religionem intrare cum consensu

alterius, sed cauendum est, ne præbeatur occasio peccati.

Infirmitatem occultam patientes, recipi non debent, si talis sit infirmitas, quę eum reddat impotentem ad labores religionis. Vnde Prælati solent eos interpellare publice in capitulo his verbis. Si haberes aliquam occultam, aut etiam, manifestam infirmitatem, non possemus te recipere, quia religio propter labores suos corpora consumit, non autem restaurat, & fratres multa debent agere, ob quæ, infirmis seruire non possunt. S. Tho. 2. 2. q. 189. art. 10. dicit. Potest considerari religionis ingressus, per comparationem ad vires illius, qui ingreditur, & sic non est locus dubitationis an recipi debeat, quia religiosi, non confidunt in virtute sua, sed in auxilio diuinæ gratiæ, si tamen sit aliquod impedimentum speciale, puta infirmitas, & huiusmodi, adhibeatur consilium cum his, qui prodesse possunt. Et quia inter infirmitates graues, cōnumeratur senectus, qua redduntur inhabiles senes ad austeritates religionis. Ideo ipsi recipi non debent. In decl. cap. de Nouitiis habetur, si nouitij prouectæ ætatis fuerunt recepti, & ad monasterium aliqua detulerint, in deposito seruanda reponantur, &c.

De professis alterius religionis non recipiendis.

CAPVT VI.

NVllus recipiatur nisi requisitus, an sit alterius professionis. Nullus religiosus professus cuiuscumque ordinis mendicantium recipiatur ad ordinem nostrum, sine licentia Magistri ordinis. *Ex cap. de recipiendis.*

Bonifacius IX. vt habetur dist. 2. cap. 17. circa transitum vnius religionis ad aliam decernit.

Item statuimus, quod quorumcumque ordinum mendicantium fratres, huiusmodi Prædicatorum ordinis fratres, aut sorores, subiectas eisdem, in ipsorum, aut dictorum aliorum ordinum fratres, aut sorores, recipere non possint, aut debeant, etiam vigore quarumcumque literarum Apostolicarum, super hoc hactenus concessarum, vel in posterum concedendarum, etiam quod ad parem, vel arctiorem ordinem transire possint continentium, nisi in eisdem, de ordinibus ex quibus recedunt, & ad quos accedunt, & ad quos transferendi se licentiam obtinuerint, nec non de præsentibus, & earum toto tenore specialis, & expressa mentio habeatur.

Ex diuersis declarationibus, multa hic colligenda sunt, quæ vt clariora reddantur, ad hæc capita reducenda sunt.

Primo vtrum liceat transire de vna religione ad aliam.

Secundo in speciali, an alij religiosi possint ad nostram transire, & cum qua facultate.

Tertio, An nostri possint ad alias transire.

Quarto, Quid dicendum est de illis, qui vel voto, vel iuramento, vel aliqua intentionis determinatione, se vni religioni astrinxerunt, & cupiunt aliam intrare.

Quantum ad primum S. Tho. 2. 2. q. 189. art. 8. cuius doctrina affertur inter declarationes cap. de Apostatis, ita docet Transire ab vna religione ad aliam, non est laudabile nisi propter vtilitatem, aut necessitatem, tum quia plerumque scandalizantur, qui relinquuntur, tum etiam quia facilius aliquis proficit in illa religione, quam consueuit, quam in illa, quam non consueuit, cæteris paribus. Potest tamen aliquis transire de vna ad aliam triplici ratione. Primo ex zelo perfectioris religionis, quæ perfectio non attenditur secundum arctitudinem solam vitæ, sed principaliter, secundum id ad quod religio ordinatur, & consequenter secundum discretionem obseruãtiarum fini proportionatarum. Et in hoc casu, transiturus propter humilitatem debet petere licentiam, quæ ei negari non potest, dummodo constet illam esse arctiorem. Si verò de hoc probabiliter dubitetur, erit iudicium Superioris requirendum, vt habetur cap. licet extra de Regularibus. Quod si non petita licentia transiuit, non potest repeti, maxime si professionem in secunda emisit. Si verò ex suo transitu incurreret religio quam deserit grauem iacturam, vel infamiam, non liceret ad aliam transire, etiam si certum esset illam esse arctiorem. Nullus enim ex suo opere debet esse causa scandali, nec priuatum bonum debet præferri communi vtilitati vnius monasterij. Secũdo potest fieri transitus de vna religione ad aliam propter declinationem religionis, in qua est, à sua perfectione debita, puta si in reliqua religione arctiori, incipiant religiosi remissius viuere, & hoc casu poterit etiam ad minorem transire, si ibi melius regularia instituta seruentur. Et in hoc casu, etiam requiritur Superioris iudicium. Tertio potest fieri hic transitus propter infirmitatem, vel debilitatem, ex qua interdum prouenit, quod non potest aliquis arctioris religionis statuta seruare, qui seruabit statuta laxioris. In quo casu etiam Superioris dispensatio necessaria est. Si quis autem, post professionem in vna religione factam, ad aliam transit sine legitima licentia, res & bona sua remanent priori monasterio, & qui eum recepit sibi imputet, si vero cum licentia, vel inuitus transit, vsus fructus tantum rerum quas contulit priori monasterio, debetur secundo quandiu vixerit, nisi ei sit onerosus. Et sic intelligitur id quod habetur 16. q. 6. capitulo, Cognouimus, & 27. q. 1. cap. Si quis requieuit.

Pro 2. & 3. dicto, notandum est, vt habetur in declarationibus cap. de modo profitendi, de iure communi possunt alij religiosi cum monachi, tum mendicantes, venire ad nostram religionem, quia est aliis omnibus perfectior, quod potest colligi ex doctrina S. Thom. 2. 2. q. 188. art. 6. quo in loco ita philosophatur. Differentia vnius religionis ab alia, potest attendi penes duo primo quidem, & principaliter ex parte finis, secundo & consequenter ex parte exercitij, Comparatio secundum finem est absoluta, Comparatio vero secundum exercitium est respectiua, quia exercitium non quæritur propter se, sed propter finem. Primo ergo in comparatione religio-

num attendendus est finis. Et si duæ religiones coincidunt in fine, attendendum erit exercitium, non secundum quantitatem exercitij, sed secundum proportionem ad finem. Primum gradum autem continent inter cæteras religiones, illæ quæ contemplatiuæ, & actiuæ vitæ attendunt, vt sunt illæ, quæ contemplata aliis tradunt docendo, & prædicando, sicut illuminare perfectius est, quam lucere tantum. Secundum autem gradum tenent, quæ puræ contemplationi vacant. Postremum vero locum tenent, quæ occupantur circa exteriores operationes, puta redimere captiuos, hospites colligere, militare, &c. Ex his patere potest, quod cum nostra religio nominaliter, & essentialiter, sit ordinata ad contemplata aliis tradendum, est præstantior illis, quæ vel ad puram contemplationem, vel ad puram actiuam vitam ordinatæ sunt. Et ideo de iure communi, possunt alij huiusmodi religiosi ad nostram transire. Inter eas autem, quæ ad hunc eundem finem ordinantur; præstantior est, quæ habet, non maiora exercitia secundum quantitatem, sed quæ habet ea magis proportionata fini, & in eis habet maiorem discretionem, qualis est religio nostra, per ea, quæ tradita sunt supra 1. parte, de præstantia ordinis nostri. Ideo etiam ob hoc licebit ab aliis ad nostram transire, & non è conuerso. Et antiquitus sufficiebat licentia Magistri ordinis, ex Constit. sed consideranda sunt decreta Pontificia.

Martinus V. in Constitutione sua, quæ incipit, Viam ambitiose, &c. relata primo loco à Confectio, prohibet mendicantes posse transire ad quamcumque religionem monachalem (Carthusianorum excepta) his verbis.

Statuimus quod de cætero, nullus religiosus quorumcumque ordinum mendicantium, cuiuscumque status, conditionis, &c. virtute quarumcumque facultatum concessarum, etiam auctoritate Apostolica, &c. admitti, vel recipi possit per quoscumque Superiores monasticos in monachum cuiuscumque ordinis monastici, Carthusiēsi dumtaxat excepto, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quam incurrunt ipso facto receptores, & recepti, à qua absolui non possunt, extra articulum mortis, nisi à Romano Pontifice.

Conc. Trid. sess.25. de regul. cap.19. circa hoc diffiniuit modo vt infra.

Nemo regularis, cuiuscumque facultatis vigore, transferatur ad laxiorem ordinem.

Pius V. Constitutione, quæ incipit. Quæcumque sacrarum religionum, edita 1569. reuocat, & annullat omnes facultates concessas etiam ab ipsomet de transferendis religiosis ab vno ordine, etiam laxiori, ad alium. Etiam translatos redire iubet ad priorem ordinem, non obstante quocumque priuilegio concesso. Paulus III. vt habetur in libro priuilegiorum nostrorum fol.2.14. refert Pium II. Paulum II. Sixtum IV. & Innocentium VIII. inter alia statuisse, & ordinasse, quod ex tunc de cætero quicumque recepisset aliquem ex ordinis minorum fratribus, à suorum Prælatorum obedientia se subtrahentem, tam recipientes, quam receptus, eo ipso excommunicationis censuras per dictos Superiores promulgatas, incurrere.

Illud tamen quod soluit difficultatem in materia hæc est, priuilegium Bonifacij IX. quod inter alia est quintum, in quo prohibet fratres aliorum ordinum mendicantium, posse ad nostrum transire, & fratres nostros ad alios, sine licentia sedis Apostolicæ, quæ mentionem faciat de priuilegio

hoc, & explicet specialiter ordinem à quo recedunt, & ad quos accedunt. Et in hoc omnino standum est. Quod si casus occurrerit, seruandum erit, id quod tradit Sixtus IV. in Mari magno 5.

Si vero aliqui de fratribus vestri ordinis, post obtentam licentiam à sede prædicta aut à vobis, ad aliam religionẽ transeundi, infra duos menses, vel tres, ad illam suæ saluti congruam, se non contulerint, & ipsius non susceperint habitum licitum sit vobis singulis, Magistro, Prioribus, ac vices vestras gerentibus contra ipsos, tanquam contra vestri ordinis apostatas procedere, secundum quod honestati dicti ordinis videritis expedire. Idemque intelligi volumus de illis qui post susceptum alterius ordinis habitum, infra tempus probationis nulla facta professione, inde præsumpserint resilire, aut etiam si post professionem huiusmodi, ad latiorem, seu mitiorem ordinem transierint, vel (quod absit) ad seculum redierint.

Notetur etiam illud decretum Concil. Trid. quod habetur sess. 14. cap. 1. quod sic habet.

Quia vero regulares de vno ad alium ordinem translati, facilè à suo Superiore licentiam standi extra monasterium obtinere solent, ex quo vagandi, & apostatandi occasio tribuitur, nemo cuiuscumque ordinis Prælatus, vel superior, vigore cuiusuis facultatis aliquem ad habitum, & professionem recipiat, nisi vt in ordine ipso ad quem transfertur, sub sui Superioris obedientia in claustro perpetuò maneat, ac taliter translatus, etiam si canonicorum Regularium fuerit, ad beneficia secularia, etiam curata incapax existat.

In capitulo Valentino 1596. Ordinatur, neminem à quacumque religione expulsum ad habitum nostrum recipi posse. Quod si receptus fuerit, prę-terquam quod grauiter punientur recipientes, receptio pro nulla habeatur, sicuti, & professio si fuerit secuta, & certior factus Superior de expulsione, talem habitu nostræ religionis exutum, ad seculum dimittat. Idem confirmatur Romæ 1601. & Valleoleti 1605. Vbi additur, Declarantes hoc esse intelligendum de expulsis professis in alia religione.

In declarationibus cap. de Grauissima culpa, hæc ordinatio habetur. Cum facultas transeundi ad alium ordinem vergat in nostri ordinis, & regularis obseruantiæ detrimentum, omnibus Prouincialibus & eorum Vicariis prohibemus, ne huiusmodi licentias sine causa euidenti, & necessaria, & cum maturo consilio concedant. Ad monachos autem nigros transeundi, nullatenus licentiam concedant, sine consilio, & assensu Definitorum capituli prouincialis. Quod si contrarium fecerint, per Magistrum ordinis puniantur, taliter quod sint aliis in exemplum. Prioribus autem Conuentualibus subtrahimus potestatem concedendi cuicumque talem licentiam, quod si secus fecerint sint ipso facto à suis officiis absoluti, & nihilominus omnibus gratiis ordinis sint priuati, ad quas non restituantur, nisi per Magistrum ordinis, vel capitulum generale. Quæ declaratio, fuit promulgata, anno 1316. Cum autem prohibetur transitus de vno ordine ad alium mendicantium, per mendicantes intelliguntur nedum illi religiosi, qui reditus non habent, in communi, & in particulari, sed etiam illi, qui & si reditus, & possessiones habent, tamen propter exiguitatem illarum communiter mendicare consueuerunt, & sine mendicitate victum, & vestitum sufficientem non

tem non habent. Pius V. per suas Constitutiones comprehendit sub nomine mendicantium, nedum quatuor principales ordines. s. Prædicatorum, Minorum, Heremitarum S. Augustini, Carmelitarum, sed etiam ordinem Seruorum, & Minorum, & postremo Iesuitarum. Sciendum est etiam, quod si quis ob demerita expelleretur ab vno ordine, teneretur perquirere aliom ordinem quantum poterit, etiam latiorem, in quo tamen teneretur obseruare statuta prioris ordinis, prout facultas submi nistrauerit n quo casu supra notatum est prohibitum fuisse in nostro ordine, taliter expulsos recipere.

Quantum spectat ad 4. Sunt qui in seculo existentes, se astringunt voto simplici, vel iuramento, aut animi deliberatione, ad ingressum religionis, de quibus hæc tradit declaratio capitis de Recipiendis. Qui vouit, vel iurauit, intrare religionem minorem potest intrare maiorem, & etiam ab aliis induci, vt eam introeat, quia in maiori includitur minor. Qui vouit, seu iurauit, intrare maiorem, non potest induci ad minorem, nec illam introire, nisi ex causa euidenti, & cum dispensatione. Vouens intrare aliquam religionem determinatam, & intendens perpetuo manere in illa tenetur, & intrare, & manere perpetuo in illa. Si autem intendit tantum se obligare ad ingressum causa experiendi, manifestum est non teneri ad manendum in ea. Si vero vouens, vel iurans ingredi, non cogitauit de permanentia in ea, vel exitu, videtur obligari ad ingressum secundum formam iuris communis, quæ est, vt ei annus probationis assignetur ad experiendum an possit remanere, non tamen tenebitur perpetuò in ea remanere. Qui autem absque voto, & iuramento, habitum alicuius religionis suscipit, cum intentione, & firmo proposito remanendi in ea, tenetur perseuerare, nec potest retrocedere. Ita enim habetur, cap. statuimus, de Regul. lib. 3. per hæc verba. Statuimus nouitios in probatione positos ante professionem emissam posse redire ad priorem statum, nisi euidenter appareat, quod tales absolute voluerint vitam mutare, & in religione perpetuo manere.

De illegitimis.

CAPVT VII.

NVllus illegitimè natus, recipiatur ad ordinem, nisi de Prouincialis licentia, si autem talis illegitimè natus ad ordinem receptus fuerit, & dispensatum fuerit cum eo, vt possit fieri Prior, non propter hoc diffinitor fiat capituli generalis, vel prouincialis, nec Prædicator generalis, nec elector Magistri ordinis, absque Magistri ordinis speciali licentia.

Duo hic sunt animaduertenda, vnum quod spectat ad receptionem illegitimorum ad habitum, aliud quod pertinet ad graduum, honorum, & officiorum admissionem. In primis autem sciendum est, Magistrum ordinis facultatem habere dispensandi cum eis, quod primo patet ex priuilegio 3. Martini V. quod ita habet. N

Quodque tu & successores tui Magistri huiusmodi cum quibuscumque fratribus dicti ordinis cuiuscumque status existant, ex quocumque illicito coitu progenitis, vel procreandis, vt ad quoscumque gradus, dignitates, honores, & officia, quacumque in ordine, & locis prædictis, dumtaxat, promoueri liberè & licitè possint (generali prædicti ordinis Magistratus excepto) auctoritate Apostolica dispensare valeas; concedimus.

Sixtus IV. in Mari magno ampliando facultatem hanc ita disponit.

Et vt dicti ordinis professoribus, omnis vagandi tollatur occasio, &c. Magistro, Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus, & eorum Vicariis defectum natalium ex adulterio, sacrilegio, incestu, & quouis alio nefario, & illicito coitu, prouenientem patientibus, dispensandi cum dicti ordinis Prædicatorum fratribus, facultatem concedimus, motu proprio, & scientia, ac auctoritate Apostolica, ita vt possint ad quascumque administrationes, & officia assumi.

Veruntamen Sixtus V. rigorosam edidit Constitutionem contra illegitimos, circa ingressum religionis, & assumptionem ad honores, Cuius summa hæc est.

Hac nostra in perpetuum valitura Constitutione, districtè prohibemus, ne illegitimi procreati ex incestu, vel sacrilegio, quorum. s. parentes infra tertium gradum consanguinitatis seu affinitatis coniuncti sunt, vel quorum alteruter parens, castitatem Deo vouerit, etiam si Apostolica, vel imperiali, aut regali auctoritate legitimati fuerint, ad aliquam religionem, etiam mendicantium, &c. admitti, ac recipi possint quoquomodo. Quod si quispiam horum post huius publicationem habitum receperit, vel professionem emiserit, receptionem, & professionem nullam, & inualidam esse declaramus, &c. Permittimus tamen, vt tales illegitimi, recipi possint ad habitum Conuersorum, siue famulorum ad vilia obsequia, ea conditione, vt ad habitum religiosorum, vel professionem emittendam, necnon ad ordines sacros, ac etiam minores, & clericalem caracterem, fores perpetuo clausa sint. Illegitimos vero ex alio minus licito thoro, natos, etiam legitimatos, statuimus ad religionem admitti non posse, nec debere, nisi prius illorum vita, & moribus diligenter cognitis, adeo bonam indolem, & virtutis specimen præseferant, & tot merita eis suffragentur, vt defectum natalium suppleant, & in generali, vel prouinciali capitulo, matura præhabita deliberatione, vnanimi consensu Diffinitorum approbati existant. Qui tamen perpetuo, ad gradus, honores, & dignitates, in ordine obtinendos, inhabiles sint.

Idem Sixtus V. declarans prædictam Constitutionem, adiecit hæc verba.

Quoniam à multis quæsitum est, quod nomine graduum, honorum, & dignitatum, sit intelligendum, declaramus horum nominum appellatione in hac re, Prioratus, Guardianatus, Prouincialium, ac Generalium, Superiorumuè officia, & alia his similia cum onere, & superioritate coniuncta, intelligi debere.

Gregor. XIV. moderatus est prædictas Sixti V. sanctiones his verbis.

Nos igitur, &c. prædictas Constitutiones Sixti V. &c. auctoritate Apostolica, tenore præsentium, ad terminos iuris reducimus, & moderamur, & omnes dispensationes, & habilitationes illegitimorum, virtute priuilegiorum Apostolicorum, cuilibet ordini concessorum, &c. in pristinum statum restituimus, & reualidamus, &c. Ita tamen vt cum de recipiendis illegitimis ad ordinem agitur, hi ad quos spectat huiusmodi receptio, præter alia, quæ disquirere debent, diligenter vitam, & mores inquirant, &c.

illos recipiant, si tamen bonam indolem, & virtutis specimen praeseferant, vt merita suppleant natalium defectum, & illorum receptio ordini profutura esse videatur. Dummodo tamen, in eadem religione, filius in qua pater professus fuerit, viuente patre, non admitatur, &c. Volumus etiam licere Generali, aut Prouinciali, ad quos dicta dispensatio iuxta priuilegia illis concessa, &c. cum illegitimis suffragantibus meritis, &c. dispensare posse ad gradus, honores, & dignitates, obtinendas, &c.

Declaratur autem illegitimum receptum ad ordinem, cum licentia Magistri ordinis, vel Prouincialis, non posse esse Suppriorem, Vicarium Conuentus, etiam mortuo, vel amoto Priore, nisi cum eo fuerit dispensatum. Item neque posse fieri Visitatorem sine dispensatione. Et dispensatus, qui possit esse Prior, non propterea poterit esse Vicarius Prouincialis, aut Prouinciæ, nisi in dispensatione de prædictis facta fuerit expressa mentio. Notat autem Siluester verbo, Illegitimus, in fine, illegitimum ob ingressum religionis reddi aptum ad ordines, quia ingressus religionis irregularitatem tollit, non tamen redditur aptus ad prælaturas, vel curam animarum, sine dispensatione, & ob id puto, Constitutionem nullam mentionem fecisse de dispensatione ad ordines suscipiendos. In omnem casum tamen, cum Prælati religionis possint dispensare cum fratribus suis, super quacumque irregularitate, excepta contracta per homicidium voluntarium, mutilationem membrorum, & bigamiæ, iuxta bullam quæ Mare magnum dicitur, poterunt etiam super hac.

De quibusdam aliis impedimentis suscipiendi habitum.

CAPVT VIII.

PAulus IV. Constitutione secunda apud Rodericum, pro ordine minorum prohibuit, vt infra.

Proprio motu, & scientia, tenore præsentium, perpetuo statuimus, quod de cætero, nullus secularis, qui fuerit Iudæus, seu hæreticus, aut ex Iudæis, vel hæreticis ortus, & quorum parentes, siue paterni siue materni, vsque ad quartam generationem inclusiuè, vel hæretici condemnati sint, vel eorum corpora, aut ossa, siue etiam statua combusta sint, ad ordinis minorum habitum, per totum ipsum ordinem, recipi possit. Et si qui vsque nunc recepti sunt, dignitatem aut prælaturam obtinere non possint, annullantes, &c.

Sixtus V. in eadem bulla contra Illegitimos, colligit quædam impedimenta, vt infra.

Auctoritate Apostolica, tenore præsentium, perpetuo statuimus, iuuenes, aut viros adultos maiores sexdecim annis, non aliter in quamcumque religionem recipi posse nec debere, nisi prius de eorum parentibus, patria, deque eius ante acta vita, & moribus, diligenter inquiratur, & exaccurata informatione, & fide digna relatione, compertum sit eos, neque aliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia, aut grauiora reos, vel suspectos existere, vt propterea damnati sint, aut ne damnentur formident. Neque ingenti ære alieno supra vires facultatum suarum grauatos, vel reddendis ratiociniis, ita obnoxios, vt ex huiusmodi causa, lis, vel

molestia, eis iam illata, vel timendum sit, ne inferatur. Nisi denique constet, ipsos non humana aliqua ratione, sed tantum deuotionis feruore, vitam religiosam sponte, & ex animo elegisse. Deque his omnibus; in generali, vel prouinciali capitulo, indubitata fide facta tam Superiorum, quam Diffinitorum assensu approbati, & admissi fuerint.

Declarauit postea idem Pontifex, quando quotannis capitula non celebrantur, posse id decerni circa recipiendos, à duobus, vel tribus Prioribus simul conuenientibus, vt notatum est supra cap. De his qui possunt ad habitum recipere. Et deinde in eadem Constit. subdit.

Omnes autem, & quoscumque criminosos, suspectos, are alieno grauatos, vel rationibus reddendis obligatos, vt dictum est, ad religionem inhabiles declaramus. Et si qui contra præsentem hanc nostram Constitutionem, temere admittentur, tam susceptionem habitus, quã professionem, & inde secuta, ex nunc prout ex tunc, pari modo, irritamus, & annullamus, &c. Et insuper quoscumque religiosos eorumque Superiores, qui aliquas personas inhabiles, vt supra receperint, voce actiua, passiua, nec non officiis, gradibus, honoribus, & dignitatibus quibuscumque, eos in perpetuum priuamus, & ad illa, & alia quæcumque perpetuo inhabiles reddimus.

Clemens VIII. aliam Constitutionem edidit anno 1602. quæ incipit, In suprema Ecclesia, relatam à Quaranta verbo Monasteria, & Conuentus Regularium, in qua moderatur illam Sixti V. quo ad nullitatem professionis, his verbis.

Nos, &c. opportuna ratione prouidere volentes, matura habita consultatione, &c. Constitutiones prædictas Sixti V. quo ad eam partem, & casus, in quibus receptorum contra formam præscriptam, professio nulla declaratur, ad terminos iuris reducimus, perindè ac si præfatæ Constitutiones in illa parte editæ non fuissent, auctoritate Apostolica, tenore præsentium reducimus. Cæterum pœnas contra Superiores, qui in admittendis ad habitum, prædictam formam non seruauerint saluas esse volumus, & statuimus, sicque per quoscumque Iudices diffinire debere, declaramus, Irritum, & inane, &c.

Idem Clemens VIII. in decreto de nouitiorum institutione, habet hæc verba.

Quod attinet ad recipiendorum nouitiorum formam, vltra diligentem perquisitionem, quæ habenda erit de natalibus vniuscuiusque, corporis valetudine, moribus, & ante acta vita, & præcipuè eorum qui annum sextumdecimum excesserint, ac criminosi, aut are alieno grauati, vel reddendæ rationi obnoxij sint, iuxta formam Constit. Sixti V. &c. Illud etiam Superiores perquirant, vt nullus admittatur, qui ex honestis parentibus natus non sit, &c. Et infra. Et ne eorum parentes, ope & subsidio ipsorum indigentes deserant.

Dē criminosis habetur in cap. Romano 1583. tenor infrascriptus, Facinorosi, & homicidæ, non recipiantur ad habitum, nisi maximam suorum errorum pœnitentiam ostenderint, aut feruentissimo spiritu ducti, ad religionem venerint. Idque non absque licentia Magistri ordinis.

De his vero, qui parentes inopia oppressos deserunt, D. Thom. 2.2.q.189. art.6. hæc tradit. Quia parentes vt sic, habent rationem principij, per se conuenit eis, habere curam filiorum suorum. Et propter hoc non licet alicu

filios habenti religionem ingredi prætermissa omnino cura filiorum. Dicitur 1. Tim. 5. Si quis suorum maxime domesticorum curam non habet, fidē negauit, & est infideli deterior. Per accidens tamen parentibus conuenit, vt à filiis adiuuentur. s. inquantum sunt in necessitate constituti. Et ideo parentibus in necessitate existentibus, ita quod illis commode aliter quam per obsequium filiorum subueniri non potest, non licet filiis, prætermisso obsequio parentum, religionem ingredi. Si verò non sunt in tali necessitate quod filiorum obsequio indigeant, possunt filij intrare religionem, etiam contra præceptum parentum, quia liberi sunt quantum ad ea quæ pertinent ad dispositionem sui status post annos pubertatis, præsertim in his quæ sunt diuini obsequij. Vnde Dominus Lucæ 9. reprehendit eum qui nolebat statim eum sequi intuitu paternæ sepulturæ. Et filij in religione, possunt obseruare præceptum de honore parentum, orando pro ipsis, & eis reuerentiam, & auxilium præbere, vt religiosos decet.

Quid autem dicendum sit filiis, quorum parentes post illorum professionem, inopes facti sunt, dicetur infra cap. de Apostatis.

De qualitate informationum suscipiendarum pro recipiendis.

CAP. IX.

PRo informatione impedimentorum, quæ habentur in nostris Constitut. an recipiendus sit seruus, vel coniugatus, aut aliquam habens occultam infirmitatem, sufficit simplex responsio illius qui recipiendus est data examinatoribus, & dicendo Prælato publicè confessionem, neque alia accurata perquisitio fieri debet, nisi forte aliqua suspitio de his haberetur. Pro aliis verò impedimentis quæ, & si in Constitut. habeantur, tamen afferuntur etiam in præfatis Constitutionibus Sixti 5. & Clementis 8. seruanda est forma in ipsis præscripta, & supra relata.

Gregorius insuper 14. qui temperauit in multis rigorem Constitut. Sixti 4. circa inquisitionem morum recipiendorum, decreuit, in hunc modum.

Cùm acceperimus nonnullorum ordinum præsertim monachalium, monasteria ita instituta esse, vt in his perpetua quadam filiatio cōstituatur. Ideoq; receptio nouitiorum in vnoquoque monasterio, ad Prælatum, & Capitulum eiusdem monasterij tantum pertineat. Quæ etiam Monasteria, maximè inter se distant, nec capitula generalia, aut prouincialia, nisi raro celebrari solent. Ideò statuimus, vt superiores illorum, de consensu sui capituli, præhabita simul cum his à quibus in vnaquaque religione vel Conuentu iuxta Constitut. recipiendus interrogari solet, aliqua informatione super his quæ in dictis Constitutionib. continentur, ad recipiendum nouitium procedere valeant, dum tamen antequam ad professionem admittantur plenaria, & eo modo prout in dictis Constitutionibus habetur, inquisitio fiat, quæ postea ab his à quibus in prædictis monasterijs examinari solent diligenter examinetur, & approbetur, & demū omnia in dicto capitulo coram Superiore referantur. Volentes quod Superiores prædicti, cum eorum capitulo, aut si consuetudo fuerit non celebrandi capitula, cum tribus, aut quatuor, in generali capitulo per vota secreta deputatis, seruatis regularibus institutis, recipiendi ad-

habitum nouitios potestatem habeant.

Hæc moderatio videtur fauere nostro ordini, in quo ex Constitutionibus constituta est quædam filiatio perpetua fratrum, illorum Conuentuum pro quibus professionem emiserunt.

In exequutione autem harum moderationum, in cap. Romano 1589. In qualibet Prouincia, instituti sunt, quidam Priores, ad approbandas istas informationes de quibus supra dictum est.

Rodericus to. 3. Regul. q. quæst. 10. art. 1. refert quandam Constit. Clementis 8. in qua concedit Conuentui Salmaticensi ordinis nostri infra.

Nos igitur, &c. Supplicationibus inclinati, Ven. fratris nostri F. Michaelis Alexandrini Protectoris ordinis Prædicatorum, Priori, & Conuentui Salmaticensi, &c. nunc, & pro tempore existentibus, auctoritate Apostolica concedimus, vt quoscunque iuuenes, etiam excedentes sextum decimum annum ad habitum in eodem Conuentu admitti petentes, recepto ab eis iuramento quod criminosi, ratiociniis obligati, furto, latrocinio, & homicidio, notati, aut aliis impedimentis bulla Sixti 5. detenti non sint, recipere possint, ac postea per aliquem eiusdem Conuentus religiosum deputatum ad inuestigationem anteactæ vitæ illorum, & morum, & reliquorum absque strepitu iudiciario, sed per scrutinium secretum, procedi facere, qui ad hoc deputatus, processum, & informationem ceptã, Priori seu Præsidenti, ac Suppriori, & Magistro nouitiorum, & studentium, à quibus approbari possit referre, fideliter debeat, decernentes præsentes litteras, de nullitatis vitio, &c. notari non posse, &c. sed perpetuo in dicto Conuentu obseruari debere, &c. sicque per quoscunque iudices, &c.

Huic priuilegio, addamus illud, quod à Iulio 2. fuit concessum ordini minimorum, quod habetur in nostris fol. 220. in quo hæc gratia conceditur.

Ac omnia, & singula priuilegia indulta gratiæ, facultates, & indulgentiæ, vni vel pluribus domibus dicti ordinis Minimorum in genere, per eundem Sixtum concessa & in posterum concedendæ omnibus, & singulis aliis domibus, & fratribus, essent & intelligerentur concessa.

Et aliud concessum ordini nostro à Leone 10. & est in ordine, primum in quo nobis communicat. omnia priuilegia aliis ordinib. concessa, etiam ordini Minimorum. Ex quibus satis apperte colligi potest, quod omnes Conuentus religionis nostræ possunt vti hoc priuilegio, si tamen sint Conuentus in quibus, & studium vigeat, & nouitios nutriant. Et sciendum quod Clemens 8. in prædicta concessione facta Conuentui Salmanticensi dicit se motum fuisse, hac ratione, quia si ante receptionem habitus sumi debent informationes iuridice, publicatur recipiendorum voluntas ingrediendi religionem, & multi eos retrahunt, aut offendicula ponunt, & numerus religiosorum diminuitur. Quæ ratio cum vbique vrgeat, vbique etiam seruari debere videtur.

Hæc autem inquisitio sumenda non est quando recipiendi sunt minores sexdecim annis, vt clarè patet ex diplomate. Neque etiam fieri debet super his, qui ab vna ad aliam religionem transeunt, aut quando de vno statu ad alium ascendunt, puta, quando conuersus fit clericus, quia idem Sixtus in bulla prima contra illegitimos habet hæc verba.

Ceterùm, quoniam sepè vitia ingerunt, &c. & multi post dilapidatam rem familia-

rem,&c. Alij post furta, latrocinia, & homicidia, &c. ad euitandam legem, & iudiciorum seueritatem, quia tuto in seculo viuere non possunt, tunc quærunt à religione auxilium, &c.

Quæ verba translatis prædictis adaptari non possunt.

Notanda etiam sunt verba, quæ habentur in 2. Constitutione Sixti V. circa eos, qui remotissimis partibus aduenientes, habitum petunt, quæ sunt.

In illis autem qui in locis à sua patria remotissimis degentes, vel quorum patria ab hæreticis, seu ab infidelibus miserè oppressa detinetur, voluerint sub habitu regulari se Deo dicare, Sancimus, huiusmodi exteros, quamuis non liquido constet de his omnibus quæ supradicta sunt, tamen si diligentia adhibita nihil appareat quod eos impedit, habiles reputandos esse.

De Conuentibus,& domibus nouitiorum.

CAP. X.

PVeri recepti ad habitum, non possuntretineri in aliquo Conuentu vbi non est nouitiorum similium congregatio, cum proprio dormitorio, & Magistro, itaq uod, alibi non recipiantur, nisi statim mittantur ad huiusmodi Conuentus, in quibus profitebuntur, pro Conuentibus tamen, in quibushabitum receperunt, & quibusConuentibus de vestimẽtis prouideri eis debet, *Ca. de Recip.*

Nouitij non intersint capitulo, nec in dormitorio cum aliis fratribus iaceant, sed Magister illorum extra capitulum, culpas illorum audiat, & charitatiuè corripiat. *Cap. de Nouitijs.*

Congregatio nouitiorum debet esse ad minus in numero senario, & hæc. ordinatio quia habuit quatuor capitula, & est valde necessaria, est inuiolabiliter sub præcepto obseruanda.

In capitulo etiam Romano 1589. editum fuit oraculum viuæ vocis, Sixti 5. per Illustrissimum Cardinalem Alexandrinum, ordinis nostri Protectorem, tenoris huiusmodi.

De cætero Nouitij qui in minoribus Conuentibus habitum religionis assumpserint, ad Conuentus maiores, & religiosos mittantur, vbi in dormitorio communi, cum debita clausura, & saltẽ in numero senario, educari possint, sub Magistro discreto, & religioso. Quod si aliquis Prælatus in posterum professionem alicuius nouitij recipere præsumpserit, qui iuxta tenorem huius decreti non fuerit institutus, & educatus, vel infra mensem scienter nouitium non transmiserit ad Conuentum in quo religiose educatur, ipso facto sit excommunicatus, & gradu ac officio ordinis indispensabiliter priuatus. Vt autem ordinatio ista debite obseruetur, præcipitur in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ obedientiæ sub formali præcepto Prouincialibus, & Vicariis, vt in prouinciis, & congregationib. suis infra spacium duorum mensium, à noitia præsentium, aliques Conuentus religiosis designent, ad quos transmittantur, qui in minoribus, & non aptis, pro eorum institutione vestiti sunt, vbi annum probationis peragent, & suo tempore professionem emittent, pro illis tamen Conuentibus in quibus habitum susceperunt.

Eccleſiam, oratorium, refectorium, & ad alia publica loca, eſi opus fuerit, tam pueri, quam profeſſi, ſimul omnes conueniant. Qui etiam tam pueri, quam profeſſi, non habeantur, nec educentur, niſi in Conuentibus, vbi viget obſeruantia regularis.

De Magiſtris nouitiorum inſtituendis.

CAP. XI.

PRior nouitiis magiſtrum diligentem in eorum inſtructione præponat, qui eos de ordine doceat, excitet in Eccleſia, & vbi negligenter ſe habuerint verbo, vel ſigno quantum poterit, eos ſtudeat emendare, neceſſaria prout poteſt, debet eis procurare, de apertis negligentiis, cum ante eos veniam petierint pœnitentiam dare, vel eos in ſuo capitulo proclamare. Humilitatem cordis, & corporis doceat eos habere, iuxta illud: Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde.

Magiſter nouitiorum extra capitulum culpas eorum audiat, & ipſos diligenter quantum poteſt in moribus inſtruat, & charitatiuè corripiat. *Cap. de Nouitijs.*

Magiſter nouitiorum debet eſſe vir prudens, diſcretus, zelator religionis, & bene cærimonioſus; qui nouitios inſtruat de his quæ profeſſi facere tenētur, ex decl. Magna ſolicitudine à capitulis Prouincialibus deſignentur, & in propriis Conuentibus magno honore habeantur, quos (dūmodo ſint maturæ ætatis) inter patres à conſiliis connumerari debent, Romæ 1571. Ad nouitiorum curam ſeligantur patres in capitulo à Prouincialibus, & Patrib. qui tanto muneri apti, religione, & pietate celebres, in cantu, & cærimoniis inſtructi, maturi, & graues, bonique nominis ſint & qui deuotionis præſeferant guſtum, quos patres à conſiliis eſſe, & in magno honore haberi volumus Barchin. 1574. Poſtea auctoritate Apoſtolica per oraculum viuæ vocis D. Sixti 5. editum per Illuſtriſſ. Cardinalem Alexandrinum in cap. Romano 1589. perpetuo ſtatutum fuit vt infra.

Præcipitur ſub pœna abſolutionis ab officio, ipſo facto incurrenda, ne Prior Prouincialis vel conuentualis, poſſit ad nutum inſtituere Magiſtrum nouitiorum, vel inſtitutum ab officio amouere: niſi ex conſenſu Diffinitorum, ſi de hoc agitur in capitulo prouinciali, vel de conſenſu maioris partis patrum à conſiliis illius Conuentus, in quo Magiſter eſt inſtituendus, vel amouendus, quando de hoc extra capitulum tractatur.

Clemens 8. in ſua nouitiorum inſtitutione de Magiſtrorum electione ſtatuit vt infra.

Eliganturque tam Magiſter quàm ſocius, per prouinciale capitulum, per triennium ad minus onus ſubituri, quod ſi aliquo caſu extra tempus capitulare aliqui ſint inſtituendi, tunc electio Magiſtri, & ſocij, per Generalem, vel Prouincialem, aut viſitatores, ſiue Vicarios, de Diffinitorum tamen, vel aliquorum grauiorum patrum aſſenſu fieri

permittitur. Tam nouitiorum Magister, quam socius, ab omnibus officiis, & oneribus vacationem habeat, quæ nouitiorum curam impedire valerent. Magister Sacerdos sit, & in quinto supra trigesimum ætatis suæ anno constitutus, & post decennium à professione, socius verò trigesimum annum excedat. Sintque ambo doctrina, & ante acta vitæ exemplo præstantes, orationis præterea, & mortificationis operibus addicti, prudentia, charitateque referti, non sine affabilitate graues, zelum Dei cum mansuetudine præseferentes, ab omni cordis, & animi perturbatione præsertim indignatione quam longissime alieni, & tales denum qui in omnibus bonorum operum se præbeant exemplum, & potius amari appetant quàm timeri. Pro communibus autem, & propriis vniuscuiusque necessitatibus quæ accidere possunt vnus ex nouitiis ætate, & moribus prouectior deputetur, qui absente socio, & Magistro permittente, omnia prout opus fuerit agat, cui etiam ianuæ custodia, & rerum leuioris momenti prouisio, intra nouitiatum committi poterit.

Recusantes autem officium Magistri nouitiorum sibi à Prouincialibus, vel capitulo prouinciali, vel à Prioribus de consilio patrum impositum, non possunt eligi per vnum annum in Priores, Magistris in Theologia, patribus prouinciæ, & lectoribus actualibus tantum exceptis, Romæ, 1608. Et Parisiis 1611. ordinatum fuit, vt posthac Magistri nouitiorum qui sex nouitiorum ad minus curam habent, tam simplicium quam professorum clericorum, sint patres à consiliis, exempti ab hebdomadaria, teneantque locum in suis Conuentibus immediate post Baccalaureos, & vbi Baccalaurei non sunt immediate post Suppriorem. Si vero Magister fuerit Baccalaureus, teneat locum super omnes Baccalaureos in suo Conuentu. Quem locum, si in ipso officio vtiliter, & laudabiliter perseuerauerint per decennium, cuius saltem quadriennium sit continuum, in posterum semper teneant locum prædictum in sua prouincia. Inter se vero Magistri tenebunt locum suæ professionis.

De modo præbendi habitum nouitiis.

CAP. XII.

CVm recipiendi adducti fuerint in capitulum, se prosternant in medio. Interrogati verò à Prælato, quid quærant, respondeant: Misericordiam Dei & vestram. Quibus ad iussum Prælati erectis, exponat eis austeritates ordinis voluntatem eorum requirens. Qui si responderint se velle cuncta seruare, dicat Prælatus post cætera, Dominus qui incepit ipse perficiat, Et Conuentus respondeat, Amen. Tunc depositis secularibus vestibus, & religiosis induti, in nostram societatem in capitulo recipiantur.

Cum aliquis habitum nostræ religionis recepturus est, conuocet Prælatus in capitulo omnes fratres, deinde Magister nouitiorum puerum iam à capitulo approbatum ducat vsque ad medium capituli, & ostendat ei lo-

cum venię faciendæ. Qui toto corpore in terram prostratus, manibus in modum crucis extensis, Priori petenti, quid quærat, respondeat Misericordiam Dei, & vestram, & iussu Prioris surgat. Et Prior exponat, ei sensum petitionis suæ, dicendo quod si ex corde Dei misericordiam petit, illam ab eo faciliter obtinebit, Misericordiam autem nostram quæ est admissio ad collegium nostrum, etiam consequetur, si non habet impedimenta obstantia. s. Si matrimonium contraxisset, & consummasset cum vxore, quia ex quo corpus suum alteri tradidisset, non posset illud religioni tradere.

Item si in altera religione professionem emisisset, aut si seruus esset emptitius. Item si haberet aliquam infirmitatem ob quam non posset subire onera religionis, & haberet magna debita, aut obnoxius esset ad reddendã rationem de aliqua administratione, oporteret enim prius illis satisfacere. Interroget ergo eum Prælatus an in eo sit aliquod impedimentum de prædictis. Quo respondente negatiue, subinferat adhuc Prælatus quantum graues sint austeritates religionis, & quod si cupit obtinere misericordiã nostrã, oportet eum tria vota religionis emittere. s. obedientiam qua resignatur tota libertas voluntatis in manu Prælatorum, ita vt non poterit manducare aut bibere, siue ad aliquem locum accedere, sine licentia Prælati, & in omnibus illi obedire circa ea quæ in regula, & Constit. continentur. Secundo debet promittere paupertatem, ita vt nihil tanquam proprium habere possit quamquam minimum, & omnia sibi à quocumque tradita illi præsentare debebit, in particulari pecunias. Tertio promittere debet talem castitatem quod nedum vxorem ducere non poterit, sed neque actus turpes, neque verba obscena, imo neque inhonesta desideria habere licebit. Et præter hæc vota adhuc tenebitur in multis macerare corpus suum, vt spiritui seruire cogatur. s. nunquam comedere carnes nisi causa infirmitatis, ieiunare à festo S. Crucis de mense Septembris vsque ad Pascha, & tempore aduentus abstinere etiam à lacticiniis, non vti lineis ad carnem, subire itinera etiam ad longinquas partes surgere media nocte ad matutinas silentium statutis horis seruare, ad quæstum ire, vestes laceras & viles portare, & similia peragere. Et postea dicat Prælatus. Intendis omnia hæc cum Dei auxilio seruare, quo dicente, quod sic, dicat Prælatus, Dominus qui incepit ipse perficiat, & chorus dicat, Amen. Et Magister faciat eum genua flectere ante Priorem. & vestiario afferente vestes, & porrigente, Prior eum induat etiam cappa, Postea omnibus genuflexis Cantor incipiat, Veni creator spiritus, & subinde omnes bini, ad chorum, vadant, & post Priorem sequatur Magister cum nouitio, qui faciat eum prosterni ante gradus presbyterij, completo hymno dicatur Kyrie Pater noster. Et nenos. Emitte spiritum tuum. Saluum fac seruum. Cum orationibus, Deus qui corda. Prætende Domine. Quæ omnia à Priore dicantur. His dictis Magister ducat nouitium discooperto capite ad Prioris pedes, qui eum aqua benedicta prius aspersum recipiat ad osculum pacis, & post Priorem omnes fratres, primo existentes in choro dextro, inde existentes in sinistro. Interim cantetur Te Deum. His peractis reducatur ad Priorem, qui si ei placuerit mutabit nomen, & postea assignabit ei annum probationis in quo fratres experien-

tur eius mores, & ipse austeritates ordinis, infra quem annum poterit retrocedere, & religio poterit eum emittere. Et eo completo si nihil ab vtraque parte contradictum fuerit, professionem emittens obligabit se religioni, & religio illi, & assignet illum Magistro, cui tanquam Priori obedire teneatur. Et postea dicat Prior. Adiutorium nostrum &c.

De anno probationis.

CAP. XIII.

POstquam nouitij habitum religionis sumpserint, antequam stabilitatem, & communem vitam promittant, & obedientiam Prælato, & successoribus faciant, tempus probationis assignetur, vt & ipsi austeritates ordinis, & fratres mores experiantur illorum. *cap. de Recipien.*

Innocentius 4. priuilegio 18. inter nostra relato pro ordine minorum sic disponit de professis ante finem probationis.

Vobis dilectis Ministro generali, & fratribus ordinis minorum in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis inhibemus ne ante annum elapsum, qui est in subsidium fragilitatis humanæ institutus, quemquã ad professionẽ, seu renunciationem seculi faciendam, recipere præsumatis, nec constitutum in probatione nouitium, impedire, quatenus infra dictũ annum, ad aliam religionem, quam maluerit transire possit, &c. Quod si contra huiusmodi inhibitionem, quenquam recipere præsumpseritis, decernimus eum sic receptum, non esse ordini vestro obligatum; Vosque à receptione quorumlibet ad professionem, ipso facto esse suspensos volumus, & insuper pœnæ subijciendos, quæ pro grauioribus culpis in ordine infligi solet.

Concilium Tridentinum sess. 25. de Regul. cap. 15. de hoc anno probationis ita diffiniuit, & de professione antea facta.

In quacumque religione, tam virorum quam, mulierum professio non fiat ante sextumdecimum annum expletum, nec qui minori tempore quam per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta nulla sit, nullamque inducat obligationem ad alicuius regulæ, siue religionis, aut ordinis obseruantiam, aut ad alios quoscumque effectus.

Hoc Concilij decretum, præfatam Innocentij Constitutionem restringit circa tempus anni probationis, quia ante Concilium, annus medius inter quartum decimũ, & quintũdecimum, poterat esse annus probationis, nunc verò debet ad minus esse inter quintumdecimum, & sextumdecimum, & pœnam illic appositam dilatat, nam Innoc. vult vt professus ante completum probationis annum, non sit illi ordini in quo profitetur obligatus, quasi supponens, quod religioni sit in genere astrictus vti etiam habetur in decl. cap. de recipiendis. Post Concilium verò, professus ante expletam probationem vnius anni, neque illi religioni in qua professionem emisit, neque alteri cuicunque obligatus remanet.

Debet quandoque prolongari vltra annum hoc probationis tempus in aliquibus casibus. Primus quando pueri recipiuntur ad habitum, ante quintumdecimum annum inceptum. Ita enim disponit Constitutio cap. de Nouitiis.

Vltra hoc autem ne pueri recepti ad habitum, inueniant se potius natos sub iugo religionis, quam illud elegisse, euitenturq; inconuenientia multa, statuimus, vt ei cui ante quintumdecimum annum religionis habitus datus est, nunquam elabatur annus probationis, quantocumque decurrente temporis spacio, nisi vocatus post annum sextum decimum expletum, à Prælato in capitulo coram Conuentu, terminum ad minus trium mensium acceperit, ad deliberandum, an profiteri velit, ita quod annus probationis cum taxato illo termino terminetur, & per hoc ex tunc incurratur professio tacita. Et vt hoc inuiolabiliter obseruetur, præsenti statuto, cuilibet ante quintumdecimum annum recepto ad habitum, (pro tempore) assignamus annum probationis modo dicto. Mandamus autem sub pœna absolutionis ab officio, & grauioris culpæ, Prælato, vt quando vocatus fuerit nouitius ad terminum suscipiendum, professionis, protestetur eidem quod, &c. & quod statim elapso termino sibi taxato, nisi ab ipso, vel à religione contradictum fuerit, incurret professionem, etiam si aliter non profiteatur.

Cui Constitutioni additum fuit in cap. Bonon. 1564. & habetur hæc additio in decl. capite de Nouitiis in fine. s. Quod si pueri ante quartumdecimum annum fuerint aliquando recepti, adhuc nostra Constitutio seruetur, quæ disponit de recepto ante quintumdecimum annum, vt. s. post sextumdecimum annum addantur alij tres menses. Cum sit sermo de pueris receptis ante quartumdecimum, aut quintumdecimum annum, vt glossa textui conformis sit ita exponendus est, vt de quartodecimo completo, & quintodecimo incepto intelligatur. Infra hoc tempus probationis, libera est religio, ad emittendum illum, si aliqua subsit causa, & pariter ipse liber est ad exeundum, quapropter in Constit. cap. de nouitiis habetur hoc mandatum.

Mandamus vniuersis fratribus, quatenus nouitios volentes redire ad seculum, eos liberè ire permittant, redditis sibi omnibus, quæ secum detulerant, nec sint eis molesti propter hoc, exemplo illius qui discipulis aliquibus recedentibus, aliis remanentibus, dixit, Nunquid, & vos vultis abire?

Concilium etiam Trid. sess. 25. cap. 18. de regularibus anathemati subiicit omnes, & singulas personas, etiam regulares, & quacumque dignitate

fulgentes, si cogunt aliquam mulierem inuitam ad ingrediendum monasterium, vel suscipiendum habitum, aut emittendam professionem, ac omnes dantes consilium, fauoremque aut huic actui præsentiam, vel consensum, siue auctoritatem interponentes. Et quamuis ibidem de mulieribus tantum sermo habeatur, ex hoc tamen colligere licebit quam perniciosum sit inducere, aut recipere, seu retinere inuitum, quod & notat S. Tho 2. 2. q. 189. art. 8. Et nouitij, vi aut metu inducti ad professionem possunt contra illam opponere, iuxta tradita in eadem sess. Conc. Trid. cap. 19.

Sciendum autem est de his, qui ante professionem exeunt, quod vel intrauerunt tantum animo experiendi austeritates religionis, & quia vident eas graues, & viribus suis impares retrocedunt, nullam incurrunt pœnam, siue obligationem, si autem intrant cum firmo proposito nedum intrandi, sed etiam permanendi in eo, hoc firmum propositum æquipollere videtur voto simplici, obligabunturque religioni saltem in genere, quantum ad Deum, & in foro cõscientiæ. Prælati autem non possunt nouitios, non professos, ad seculum remittere, sine consilio Patrũ. Ita statuitur Venetiis 1592. Cum tamen vnus, in vna religione professus ad aliam transijt, ex vi Constitu. Innoc IV. supra relata, non teneri videtur ad annum probationis, in ea ad quam transit, quia ibidem Pontifex loquitur de fugientibus à seculo. At ex vigore Concil. Trid. videtur teneri. contra, quia absolute loquitur de quacumque religione, & tanto magis si ad arctiorem religionem transit, vti de iure semper fieri debet. Neque quilibet nouitius potest renuntiare integritati anni, quia non in fauorem eius factum est huiusmodi decretum, sed in subsidium fragilitatis humanæ. Et etiam non est opus anno probationis, addere vnum diem, quia hoc nullibi notatum reperitur.

De continuitate anni probationis.

CAPVT XIV.

NOuitij recedentes sine licentia cum habitu à Conuentu, nisi infra octo dies ad eumdem redierint, pro refutatis ab ordine habeantur. Et si ad alium Conuentum declinauerint, & fuerint ab eo acceptati pro nouitiis, volumus annum probationis inchoare ab illo die, quo acceptati fuerint in eo Conuentu, quod si nullibi pro nouitiis acceptati fuerint, post exitum sine licentia, pro refutatis, & non nouitiis tales haberi volumus, quamdiu sic perseuerauerint. *Ex cap. de Nouitiis.*

Cum annus probationis, inter alias rationes assignetur, vt nouitius experiatur austeritates religionis, quæ in continuatione præcipue consistunt, debet annus probationis esse integer, & continuus, & ideo si quis stetisset in nostra religione, per menses sex, & postmodum egrederetur, & transacto aliquo tempore, reuerteretur ad religionem non posset in capite sex aliorum mensium recipi ad professionem, sed oporteret, quod annum in-

tegrum continuaret, quia posset dici vere, quod non esset expertus austeritates religionis, quæ pro maxima sui parte in continuatione consistunt. Nam aliquis posset faciliter ieiunare, & à carnibus abstinere, ac castitatem seruare per mensam vnum, vel duos, qui non posset prædicta continuare, & ideo ad veram experientiam austeritatum, requiritur vnus annus continuus. Si quis vero religionem ingressus, in fine anni, ante tamen completum annum exiret, & postea rediret, & ordinem ingrederetur, talis verè quidem esset onera religionis expertus, & quantum ad hoc posset profiteri, sed quia religio non esset plenè experta mores illius, propter eius leuitatem, & instabilitatem, quam ostendit habitum dimittendo ante annum completum, non deberet talis recipi ad professionem, quia in religione maxima animi stabilitas necessaria est.

Iulius etiam II. Constit. 9. apud Rodericum pro ordine minorum ita statuit. Cum aliqui fratres, qui annum probationis inceperunt, & deinde habitu dimisso ab ordine recesserint, & postea ad ordinem regressi fuerint, tempus prioris receptionis, cum tempore posteriori, sibi computari, vel non computari possit, discretioni suorum Superiorum tenore præsentium relinquimus.

An autem prædicta de interpolatione anni probationis, seruari possint post Conc. Trid. controuertunt doctores Rodericus tomo 3. q. 15. art. 8. tenet partem affirmatiuam, quia existimat per Concil. decretum quidem fuisse, vt annus probationis sit integer, non autem vt sit continuus, frater vero Hier. à Sorbo Capucinus, in compendio priuilegiorum verbo, Nouitius, credit nedum integritatem, sed etiam continuitatem decerni, quod colligit ex illis verbis, nisi per annum in probatione steterint, nam inquit per illa verba (per annum) significari continuitas, quod probat per Canonistas. Tutius autem esse existimo, nullum esse admittendum ad professionem, nisi continuè per annum in probatione extiterit, quia etiam si per tres, aut quatuor dies, imo etiam per vnum defecit, non apparet stabilis in sua vocatione, quæ religiosis necessaria est, vt supra ex declar. dictum fuit, quamquam ex Constit. habeatur, quod si infra dies octo redierit, recipi debeat, quia Concilium videtur dictum annum probationis ad continuitatem restrinxisse.

De *prorogatione anni probationis.*

CAPVT XV.

NVllus recipiatur ad professionem, vt clericus, nisi sciat plenè, & expeditè legere diuinum officium, & sciat, vel sit habilis in proxima dispositione, vt sciat grammaticam, &c. Et si inuentus fuerit multum deficiens in prædictis, vocetur in capitulo nouitius, & ibidem ei assignetur certum tempus prolixius probationis, vel declaretur ei quod numquam veniet probationis terminus, nisi postquam iterum in capitulo vocato, & pro sufficienti-

approbato, octo adhuc dies ad minus relinquantur.

Ex cap. de Nouitiis.

Statuimus, vt cui ante quintumdecimum annum religionis habitus datus est, nunquam elabatur annus probationis, quantocumque decurrente temporis spacio, nisi vocatus post sextumdecimum annum expletum à Prælato in capitulo coram Conuentu, terminum ad minus trium mensium acceperit ad deliberandum, &c. *Ibidem.*

Facit in hoc difficultatem, quod habetur in Concil. Trident. sess. 25. cap. 16. quo in loco statuitur, modo vt infra.

Finito vero tempore nouitiatus, Superiores nouitios quos habiles inuenerint ad profitendum admittant, aut è monasterio eiiciant.

Ex quo decreto videtur deduci, post dictum Concilium non licere prorogare professionem. Veruntamen hac difficultate proposita coram S. D. Pio V. à Passarello ord. minimorum, vt ipsemet refert, responsum illi fuit in hunc modum à sacr. Congr.

Sanctitas sua dixit, decretum huiusmodi Concilij, procedere tantum in illis nouitiis, quos Superiores lapso tempore nouitiatus, habiles inuenerint, non in his quos inhabiles inuenerint, vt sunt illi, qui non bene didicerunt, Et ideo, quod attinet ad illos, sanctitas sua concessit, quod Superiores possunt prolongare illorum professionem, dummodo habeant spem probabilem, quod efficiantur habiles infra sex menses.

Ex quo decreto videtur colligi professionem prolongari posse, nedum propter inhabilitatem scientiæ, sed etiam morum, quia de illa loquitur exempli gratia dicendo, vt sunt illi. Et videtur colligendum ex illis verbis, (Superiores admittant,) quod possit prolongari professio, ad instantiam Nouitij, si aliqua de causa peteret, per aliquot dies prolongationem, cum solum Superioribus dicatur, vt eum admittant, non autem vt cogant.

Magis tamen videtur inferre difficultatem, id quod dicit Constitutio de receptis antè quartum decimum, siue quintumdecimum annum, (quod existimo esse idem dictu, quia puto sensum esse, nullũ posse recipi ad habitum antè quartumdecimum completum, seu quintumdecimum inceptum, quia talibus prolongatur professio, non ratione cuiuscunq; inhabilitatis, siue literarum siue morum; sed alia de causa. s. ne dicãt natos esse sub iugo religionis, magisque illud elegisse. Verùm cum in cap. Bononien. 1564. acceptata, & intimata fuerint religioni nostræ, decreta Concilij Trid. & in speciali decretũ de professione non emittẽda ante annum sextumdecimum, & ibidem in hoc proposito à Patribus subdatur, si quis tamen receptus fuerit antè quartumdecimum annum, adhuc seruetur nostra Constitutio, vt ei superaddantur ad minus tres menses ad deliberandum, &c. crederem, Patres Diffinitores dicti capituli, existimasse esse quandam inhabilitatem, recipere ad professionem illico post annum sextumdecimum eos qui ante quartumdecimum expletum recepti fuissent, ex hoc, quia dicere possent, potius esse natos in religione, quam ad illam venisse.

De bonis

De bonis temporalibus Nouitiorum non professorum.

CAPVT XVI.

NOuitij ante professionem de debitis se expediant,& omnia ad pedes Prioris ponant,& ex toto se absoluant. Vestesque eorum antè professionem non alienentur. *Cap. de Nouitiis.*

Hic primo omnium,notandum est decretum Conc. Trid. sess.25. cap.16. huius tenoris.

Nulla quoque renuntiatio,antea facta,aut obligatio etiam cum iuramento,vel in fauorem cuiuscumque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi,vel eius Vicarij fiat, intra duos menses proximos ante professionem, ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione, aliter vero facta, etiam si cum huius fauoris expressa renuntiatione, etiam iurata, nullius sit effectus.

Existimat Rodericus sub nomine renuntiationis, siue obligationis, non comprehendi testamentum,& ideo dicit nouitium posse testamentum condere quocumque tempore,tam ante,quàm post ingressum religionis,etiam ante duos menses, contra quod dictum extat vsus,& confirmari potest,quia testamentum renuntiatio quædam est, quæ fit causa mortis, vel naturalis, vel ciuilis. Quæsitum etiam fuit, num renuntiatio facta ante ingressum religionis,per hoc Conc. decretum annulletur,ad quod quæsitum sacr.Congregatio Concilij respondit per huiusmodi statutum.

Congregatio Concilij censuit, decretum prædictum Concilij, non debere intelligi, nec habere locum, in renuntiatione facta ante habitus susceptionem. Refert tamẽ auctor Compendij priuilegiorum ordinis minorum, *per eandem sac. Congr. alias fuisse decisum,renuntiationem ante ingressum religionis factam,in præiudicium huius canonis, comprehendi in hoc decreto.*

Aliud notabile decretũ Concil. Trident. habetur sess.25.cap.16.quod est.

Sed neque ante professionem , excepto victu, & vestitu nouitij, vel nouitiæ , illius temporis quo in probatione est, quocumque prætextu, à parentibus, vel propinquis, siue curatoribus eius,monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur,ne hac occasione discedere nequeat, quod totum, vel maiorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, nec facile si discesserit, id recuperare possit. Quin potius præcipit S. Synodus, sub anathematis pœna dantibus, & recipientibus,ne hoc vllo modo fiat, & vt abeuntibus antè professionem omnia restituantur quæ sua erant, quod vt rectè fiat Episcopus etiam per censuras ecclesiasticas compellat.

Consonat huic decreto doctrina S. Tho.2.2.q.100.art.5 ad 4.vbi ait. Pro ingressu religionis,non licet aliquid exigere, aut accipere tãquam precium, licet tamen si monasterium sit tenue,quod non sufficiat ad tot personas nutriendas,accipere aliquid pro victu personæ, quæ in monasterio fuerit recipienda,si ad hoc non sufficiunt monasterij opes. Tanto magis (subinfert Caietanus in eodem loco de monialibus,) si in aliquo monasterio esset prę-fixus numerus monialium iuxta facultates, & aliquæ peterent ingressum, propter quas aliæ in necessariis paterentur. In hoc proposito Patres in cap. Bononiensi 1564.conformiter ad Concilium ita decreuerunt. Quod si pro-

uectæ ætatis nouitij, ad monasterium aliqua detulerint, præcipitur Prælatis, vt ea omnia in communi deposito seruanda deponant, & in libro ad hoc deputato conscribi faciant, addita etiam subscriptione ipsius nouitij, & aliorum duorum patrum, neque etiam de eius licentia ante professionem expendi possint, aut alienari. Et Romæ 1608. statuitur. In Conuentibus vbi solent nouitij in determinato numero, educari, non recipiatur aliquid pro nouitiis induēdis, vel pro tēpore probationis, etiā pro victu, & vestitu, aut alio quouis titulo, sed vbi adesset necessitas, poterit quidem iuxta formam Concilij sess. 25. c. 16. accipi aliquid pro victu, & vestitu reali, non autem quippiam aliud, etiam sponte oblatum, sub pœna accipientibus, priuationis officij, & vtriusque vocis, & inhabilitationis ad illud, & ad aliud obtinendum, ipso facto incurrenda, vltra illam à concilio præfixam pœnam. Idem habetur Parisiis 1611.

Valleoleti 1605. dicitur. Nullus ad professionem admittatur, quin prius admoneatur, de decreto S. Conc. Trid. circa renuntiationem bonorum vel iurium suorum faciendam infra duos menses ante professionem, nec ab ea facienda vllo modo te[illegible]teantur. Quod si recipiendus haberet incertis personis reddenda, Superiores vtantur priuilegio, quod habetur in Mari magno Sixti IV. quod est.

Quia vero nonnulli vestræ religionis habitum assumentes, diuersis personis, quæ sciri, & inueniri non possunt, aliqua bona interdum restituere tenentur, vobis Magistro, Prioribus, & Vicariis prædictis concedimus, vt singuli vestrum in locis sibi commissis, bona ipsa in pios vsus cōuertere valeant, prout secundū Deum viderint expedire.

An autem professi testamentum condere possint res non clara est, quam tradit Rodericus tomo 3. q. 69. artic. 2. & 3. ego autem hæc dicerem. Primo de rebus traditis ad vsum religioso, non potest ipse religiosus facere testamentum, aut ea relinquere, nec extra, nec intra monasterium, nam eo casu diceretur nedum habere vsum, sed etiam dominium. Et in declarat. huius cap. de Nouitiis dicitur. Nullus præsumat procurare, quod alius frater sibi post mortem in libris, vel aliis rebus; succedat, nec tales gratiæ à Prælatis vllo modo concedantur. Præterea prohibita est religiosis, donatio, & testamentum quædam donatio est causa mortis, igitur, &c. Secundo, dico si religiosus ante ingressum religionis disposuit de rebus suis, non potest ampliùs reuocare quod disposuit, quia eundem parit effectum mors ciuilis, quam & mors naturalis circa dispositionem rerum, religiosus autem moritur ciuiliter in professione, ergo, & hoc dictum intelligitur de bonis non monasterij, sed paternis vel maternis. Tertio assero, Si in ingressu religionis nullum fecit testamentum, poterit post professionem condere illud cum licentia Magistri ordinis, & consensu capituli sui Conuentus, quia ex priuilegio Clementis IV. possumus succedere in bonis, ac si essemus in seculo, & illa dispensare, vendere, commutare, &c. neque potest hoc vocari alienatio, quia est sermo de illis bonis, quæ nōdum actu à monasterio suscepta sunt. Quarto sentio, Si hæredes instituti in testamento facto ante professionem defecissent, posset religiosus post professionem cum licentia, & assensu vt supra aliud testamentum facere.

De institutione nouitiorum in anno probationis circa spiritualia.

CAPVT XVII.

MAgister doceat nouitios frequenter, pure,& discrete confiteri. Item confessiones nouitiorum ante professionem recipiantur,& diligenter de modo confessionis instruantur. Item Nouitij infra tempus probationis, in psalmodia,& officio diuino, studeant diligenter. Item eos Magister doceat, quomodo, & quid orent, & quam silenter, vt aliis rugitum non faciant. *Ex cap. de Nouitiis.*

In hoc capitulo de nouitiorum institutione multa tractantur docenda pertinentia ad regularem obseruantiam, quæ si omnia in vnum caput colligerentur confusionem parerent. Distinguemus autem ea hoc modo, sub hoc capite comprehendemus, quæ pertinent ad opera spiritualia, in aliis vero subsequentibus agetur de his, quæ nedum à nouitiis, sed etiam ab omnibus fratribus, pro custodia trium votorum essentialium sunt seruanda. Clemens VIII. in sua nouitiorum institutione hæc tradit.

Curam diligentem adhibeant Magistri nouitiorum, vt ipsi in regulari disciplina exerceantur, agnoscant diuinæ vocationis, qua digni facti sunt præstantiam, quæ vera sit votorum solemnium, & suarum Constitutionum obseruãtia, modum in oratione tum vocali tum mentali persistendi, illicitas passiones per sensuum custodiam, & mortificationem compescendo, austeritates, ieiunia, disciplinas, conscientiæ puritatem, crebram illius discussionem, sacramentorum, præcipuè confessionis frequentiam, quæ bis singulis mensibus fieri debet, exercitium humilitatis circa opera vilia, modestiam in omnibus & diuturnum silentium. Quilibet nouitius bis quotidiè orationi vocali, & mentali incumbat, pluries in die propriam conscientiam examinare contendat, quotidiè missæ sacrificio intersit, & statutis horis nocturnis, & diurnis, in choro semper assistat. Exercitationibus etiam corporalibus vacet, legat, & scribat res spirituales, modestam animi recreationem interponat, quæ in loco solitario extra nouitiatum, semel in hebdomada, vel alternis hebdomadibus, statuatur, fiatque semper præsente Magistro, vel socio, qui multum inuigilent, ne duo ab aliis separentur, atque eo tempore in quam naturæ propensionem ferantur, scrutentur. Non liceat eis durante probationis anno, vna cum professis, nisi in choro, & Ecclesia, officiorum tẽpore, in processionibus, in cœnaculo causa refectionis commorari, nec professos extra domum comitari. Nouitij soli Magistro confessiones faciant, peccatorum suorum liceat tamen Superiori etiam locali, si ita videbis expedire, per seipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel aut bis in anno, confessiones illorum audire. Statim, vt nouitij habitum susceperunt, per confessionem totius anteactæ vitæ conscientiam examinent, & expurgent. Non liceat eis durante probationis anno, in aliud literarum studium incumbere, nec alloqui quemquam etiam regularem absque licentia Magistri.

Barchinone 1574. statuitur, vt nouitij primũ in orationis modo, & exercitio instruantur, in cantu, aliisque piis ordinis institutis, ac frequenter con-

fiteri, & communicare iuxta præſcriptam legem, & quomodo vtraque digne perficere debeant. Venetiis 1592. In anno probationis in ſtudio artium non occupentur, ſed ſolummodo intendant, vt diuinum officium recitare, & dirigere queant, Pſalterium & D. Apoſtoli Pauli epiſtolas, memoriæ diſcant, quæ nobis per noſtras leges, & Conſtitutiones mandantur intelligant, & ſpirituales libros ſpecialiter vitas ſanctorum ordinis noſtri perlegant. Romæ 1608. Intra probationis annum, nouitij non admittantur ad ſtudia literarum, ſed toto illo anno vacent deuotioni, & addiſcendis cœrimoniis, rubricis, diuino officio, cantui eccleſiaſtico, & id genus aliis rebus ordinis. Idem Pariſiis 1611. De frequentatione ſacramentorum confeſſionis, & communionis ſeruanda à ſecerdotibus, & iuuenibus, perſpicias, quæ ſupra dicta ſunt cap. de celebratione miſſarum.

De obedientiæ voto.

CAPVT XVIII.

MAgiſter nouitios doceat propriam voluntatem deſerere, & pro ſui voluntate Prælati obedientiam in omnibus voluntariam obſeruare. *Ex cap. de Nouitiis.*

Modus faciendi profeſſionē eſt talis. Ego frater N. facio profeſſionem, & promitto obedientiam Deo, & B. Mariæ & B. Dominico, & tibi N. Magiſtro ordinis, &c. quod ero obediens tibi, & ſucceſſoribus ſecundum regula mB. Auguſt. & inſtitutiones ord. Prædicatorum, vſque ad mortem. *Ex cap. de profeſſione.*

Grauior culpa eſt, ſi quis per contumaciam, vel manifeſtam rebellionem, inobediens Prælato ſuo extiterit, vel cum eo intus, vel foris proteruè contendere auſus fuerit. *Ex cap. de grauiori culpa.*

Præpoſito tanquam patri obediatur, multo magis presbytero qui omnium veſtrum curam gerit. Et vos magis obediendo, non ſolum veſtri, ſed etiam ipſius miſeremini, qui inter vos quanto in loco ſuperiori, tanto in periculo maiori verſatur. Donet Dominus, vt obſeruetis hęc omnia, tanquam ſpiritualis pulchritudinis amatores, & bono Chriſti odore, de bona veſtra conuerſatione fragrantes, non ſicut ſerui ſub lege, ſed ſicut liberi ſub gratia conſtituti. Vbi autem vos inueneritis, ea quæ ſcripta ſunt facientes, agite gratias Domino bonorum omnium largitori. Vbi autem ſibi quicumque veſtrum viderit aliud deeſſe, doleat de pręterito, caueat de futuro, orans, vt ſibi debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. *Ex regula.*

Ex S. Thom. 2.2.q.186.art.5.notandum est,quod cum status religionis dicatur, & sit status perfectionis, aliqua dicuntur pertinere ad perfectionem vitæ Christianæ tripliciter, Primo essentialiter qualis est perfecta obseruantia mandatorum Dei. s.diligere Deum ex toto corde,ex tota mente &c.proximum sicut nos ipsos. Qui autem assumit statum religionis,non tenetur habere hanc charitatem,sed tenetur ad hoc tendere, & operam dare,vt ad hãc charitatem perueniat,& ad hũc sensum religio vocatur status perfectionis, non quia religiosus perfectus sit,sed quia ad perfectionem tendit. Secundo aliqua pertinent ad perfectionem charitatis consequenter, quia consequuntur dictam perfectionem, vt benedicere maledicentibus, & huiusmodi, & hæc in casu necessitatis, aut etiam in præparatione animi cadunt sub præcepto, sed extra hos casus si fiant, est ex superabundantia charitatis, & ad hæc non tenetur religiosus eadem ratione. Tertio pertinent quædam ad perfectionem vitæ dispositiue siue instrumentaliter, vt paupertas,continentia, & abstinentia, & huiusmodi, quæ ita disponunt, vt abiectis impedimentis facilius tendat ad essentialem perfectionem charitatis. Et illa tenetur obseruare non quidem omnia,sed quæ sibi in regula præfixa sunt. Quicumque autem exercitãtur,vt perueniant ad aliquem finem,necesse est,vt ab aliquo dirigantur ad illum, quasi discipuli sub Magistro,& ideo oportet,quod religiosi in his, quæ pertinent ad religiosam vitam,alicuius directioni,& imperio subdantur,& obediant. Obedientia autem tanto perfectior est, quanto firmior est,quando sibi adimit potestatem retrocedendi,quod fit quando obedientiæ additur votum. Et quando hoc fit, totam vitam suam, quæ in successione consistit simul Deo dat. De obedientia,& inobedientia religiosorum multa habes,& prima parte capite de Constitut. efficacia, de dispensatione,& parte 3. de pœnis delictorum.

De his in quibus subditus religiosus non tenetur obedire Prælato.

CAP. XIX.

EX declarat.cap. de professione,super illis verbis. Quod ero obediens &c. hoc habetur, & colligitur ex S. Thom. 2.2.q. 104 art.5. In multis religiosus non tenetur obedire Prælato pręcipienti. Primo si aliquid contra Dei mandata præciperet, vt quod homicidium, aut furtum, vel fornicationem committeret. Potestas enim Prælati à Deo, sicuti,& omnis potestas, & illi debet esse consentanea. Secundo non tenetur subditus obedire,quãdo Prælatus præciperet aliquid contra mandata S. Matris Ecclesiæ; vt quod quis missam non audiret diebus festiuis, carnesque sine legitima causa comederet diebus prohibitis,eadem ratione,quia potestas Prælatorum ordinis, à S. Ecclesia,vti à capite eius deriuatur. Tertio non teneretur illi parere, si aliquid præciperet Prælatus, quod non pertineret ad eius potestatem, quales sunt actus interiores mentis nostræ, vt si præciperet quod in orationibus iniunctis haberet semper religiosus actualem intentionem. Vnde Paulus de his actibus interioribus dicit,1.Cor.2. Nolite ante tempus iudicare, quoad

vsque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, &c. quod si quandoque vides præceptum cadere super aliquos actus interiores, hoc erit per accidens, inquit Caietanus, loco citato, quatenus scilicet actus interior annexus est exteriori, vt præcipitur clericis dicere officium deuote, deuotio enim præcipitur vt annexa officio diuino. Quod si dicitis Confessorem iudicare de occultis cogitationibus, dicendum est id facere vt Deũ, non vt hominem. Si etiam Prælatus præciperet alicui, vt peccatum omnino occultum sui fratris depromeret, non teneretur obedire, quia tale occultum non subiicitur eius iudicio, qui tenetur iudicare secundum probata. Quarto non tenentur obedire Prælato, in his quæ pertinent ad naturam corporis, quia ratione naturæ corporalis, vnus homo alteri subditus non est, vt princeps, & pater, filio non possunt præcipere, vt non comedat, vel matrimonium non contrahat. Ita in religione non potest Prælatus præcipere, vt ita abstineat à cibis quod deficiat, potest tamen præcipere ieiunia, & abstinentiam carnis, Virginitatem autem ex voto seruare debet. Ex quo Quinto sequitur quod non tenetur obedire Prælato præcipienti vt aliquid possideat tanquam proprium, vt vxorem ducat, &c. Ratio est quia hæc per votum religiosus Deo promisit. Sexto non debet subditus obedire Prælato præcipienti aliquid cõtra regulam, vt si preciperet quod sanus comederet carnes, lineis ad carnem vteretur, nullibi & nunquam silentium seruaret. Verum in his adhibẽda est distinctio, nũ Prælatus talia præcipiat cõtra regulã sine causa, & hoc subdito notum sit, quia cognoscit illũ dissipatorẽ, & tunc non tenetur obedire, quia ibi dispensatio non interuenit. Si autem probabiliter credit habere causam, obedire tenetur. Et in dubiis obedientia excusat. Item si Prelatus dicit quod te dispensat super esum carnium, quia videt te debilem, debes illi credere, quia sæpe infirmitas magis ab alio, quam ab infirmo cognoscitur. Septimo non tenetur subditus obedire Prælato, quando aliquid mandat supra regulam, & Constitutiones, vt si mandaret quod quotidiè ieiunaret in pane, & aqua. Si tamen id imponeret pro aliquo delicto commisso, seruare deberet commissam pœnam, quia tenetur religiosus subire pœnam taxatam in Constit. vel taxandam à Prælato. Vnde dicit S. Bernardus, Votum meum non augeat Prælatus sine mea voluntate, nec minuat sine necessitate.

De his in quibus religiosus tenetur obedire sub pœna peccati mortalis.

CAP. XX.

VOlumus autem, & declaramus vt regula nostra, & Constitutiones nostræ non obligent nos ad culpam, sed tantum ad pœnam, nisi propter præceptum, & contemptum.

Ex prologo Constitutionis.

Ex decla. cap. de recipiendis, notanda est ista doctrina. Trangressio obedientiæ est ex se mortale, vt habetur 1. Reg. 15. vbi dicitur. Quasi scelus idolo-latriæ est nolle obedire, & per eam iniuria fit Superiori, siue Deo, siue Præla-

to. At non omnis transgressio regulæ, siue Constitutionum, aut ordinationum Prælatorum, est propriè inobedientia, alias status religionis esset plenus laqueis, & periculosior statu secularium. Nec est aliqua religio, in qua vouens promittat seruare omnia contenta in regula, & Cōstitutionibus suis, sed plus, minusuè secundum diuersam formam profitendi. Pluribus autem modis contingit agere, contra votum obedientiæ, & ex consequenti peccare mortaliter transgrediendo contenta in legibus suis. Primo quando agit contra quædam quæ alias etiam lege diuina, aut humana sunt prohibita, vt dicere opprobrium fratri peccatum potest esse mortale, & reperitur prohibitum in capitulo grauis culpæ. Qui autem in hoc delinquit peccat mortaliter, & duplicem pœnam incurrit, alteram quatenus est prohibitum lege diuina, alteram quatenus prohibetur in nostris Constitutionibus. Peccat Secundo trangressor regulæ vel Constitutionum, quando transgreditur essentialia religionis, vt si religiosus contra votum paupertatis possideret aliquid proprium, aut incontinenter viueret contra votum castitatis, vel quando incedit in publicum sine habitu aut illum occultat. Peccat Tertio & mortaliter contra votum obedientiæ, quando aliquid agit contra regulam siue Constitutiones ex contemptu, quantumcumque illud quod transgreditur sit paruum, quia dicit S. Bernardus Neglectus vbique culpabilis est, contemptus autem vbique damnabilis est. Quid autem sit contemptus dicetur capite sequenti.

Quarto, & postremo peccat mortaliter contra votum obedientiæ transgressor religiosus, quando aliquid facit contra præceptum sui Superioris; quotiescumque secundum regulam, & Constitut. aliquid præcipit in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ obedientiæ, vel sub pœna excommunicationis, aut sub pœna carceris, aut sub pœna grauioris culpæ. Quale vero præceptum obliget ad culpam mortalem pressius declarabitur infra.

Transgressio vero aliarum ordinationum contentarum in regula siue in Constitutionibus, vel quæ fiunt à Prælatis, siue illa ponantur ordinatiuè, siue negatiue, nulla adhibita pœna taxata, vel taxanda, non obligat de se ad peccatum mortale; sicut sunt istæ, De numero missarum non admittendo, de non habendo nisi vnam campanam, ad omnes horas, de non portando cappam sericam nisi hebdomadario, de abstinendo etiam à vino per totam diem parasceues, de non comedendo extra claustrum vbi Conuentum habemus, de non comedendo carnes extra claustrum in infirmitate, de non habendo specialem locum ad iacendum excepto Magistro ordinis, de non habendo ocreas, nec chirothecas, nec bottas extra monasterium, & alia huiusmodi, quæ quamuis ponantur negatiue, nec vlla transgressoribus sit taxata pœna, sed sint puræ Constitutiones, & alias non sint prohibita neque lege diuina, neque humana, non obligant ad culpam sed ad pœnam tantum. Idem dicendum est etiam de istis statutis Constitutionis. f. De carnibus non comedendis, de non equitando, de pecuniis in via non portandis, & de beneficiis consanguineis non procurandis, & huiusmodi.

Et quia sunt aliquæ exceptiones in quibus non incurritur culpa mortalis etiamsi lex præcipiat & obliget ad mortale, ideo ad hoc propositum notanda

ſunt duo, primum quod ignorantia non excuſat religioſum ab obſeruantia ſuarum Conſtitutionum, quia religioſus antequam profeſſionem emittat, habet vnum integrum annum probationis, in quo nedum edocetur de contentis in illis, ſed etiam experitur ea quæ ſunt principalia in ipſis. Et ad hunc finem ordinatum fuit, & ſolet obſeruari vt Conſtitutiones, & ordinationes, legantur in menſa, ſecundum eſt conſuetudo in contrarium quæ non excuſat, quia in emittenda profeſſione tenetur Prælatus illi explicare profitendum eſſe ſecundum reg. &c. non ſecundum quod hodie hic vel ibi ſeruatur, vt traditur cap. de Nouitiis, & profeſſores tenentur ſic promittere niſi obſtent. Neque excuſantur ſi Superiores aliter viuant, quia non vouet viuere vt alij viuunt, ſed ſecundum regulam, & Conſtitutiones.

De Contemptu.

CAP. XXI.

VT percipiatur quid ſit contẽptus, qui trangreſſionem ad naturam peccati trãſfert referã diuerſas eius deſcriptiones. S. Th. 2. 2. q. 186. ar. 9. ad 3. habet hæc verba, Tunc aliquis tranſgreditur ex contẽptu quando voluntas eius renuit ſubiici ordinationi legis, vel regulæ. Quando autem aliam cauſam particularem, puta concupiſcentiam, vel iram inducitur ad aliquid faciendũ contra ſtatutum legis, vel regulæ, non peccat ex contemptu, ſed ex alia cauſa, etiam ſi frequenter ex dicta cauſa, vel ſimili peccaret. Frequentia tamen peccandi diſpoſitiuè inducit ad contemptum, ſecundum illud Pro. 18. Impius cum in profundũ peccatorũ venerit, contẽnit. Idem S. Doctor. 4. ſent. diſt. 9. q. 3. c. ar. 3. diſtinguit contemptum in hunc modũ, ſicut meritum conſiſtit penes charitatem Dei, ita demeritum conſiſtit penes contemptum Dei. Vnde ſecundum quod aliquis per actum peccati magis Deum contemnit, maiorem reatum incurrit. Et ideo illa peccata quæ in actuali cõtemptu conſiſtunt vt blaſphemia, & ſumere Euchariſtiam indignè, ſunt grauiora illis in quibus non eſt contemptus, niſi ex conſequenti, & quaſi interpretatiuus, ſicut accidit in fruitione creaturæ per quam aliquis delectationi intendens, ex eius intentione à præceptis Dei diſcedit, & ſic per conſequens præcipientem contemnit, & ſubdit.

Contemptus ex duplici parte menſurari poteſt, vno modo ex parte contẽnentis, & ſic non poteſt fieri comparatio inter peccatũ vnius generis cum peccato alterius generis in grauitate, quia contingit in vno peccato veniali in genere, eſſe maiorem contemptum actualem, quam in vno grauiſſimo peccato mortali, alio modo ex parte eius quod contemnitur, & ſic eſt talis ordo inter peccata quo ad grauitatem, quod illud peccatum eſt grauiſſimum in quo Deus in ſe contemnitur, vt peccatum infidelitatis, & blaſphemiæ, poſt ſequitur peccatum in quo contemnitur Deus non vt in ſe eſt, ſed prout eſt in Sacramento altaris, vt communicando indignè, ſubinde peccatum in quo contemnitur Deus vt in membris ſuis, & poſtea peccatum in quo contemnitur Deus vt in præceptis ſuis, & hic contemptus eſt communis omni peccato mortali.

Caietanus in summula, verbo, contemptus, & 2.2. loco supra citato ita distinguit, contemptus moraliter acceptus, duplex est, primus, vt est peccatum, quo quis spernit proximum, & notabiliter eum lædit iniuriando, & derogando eius existimationi, secundus est qui est causa peccati, prout vnus dicitur peccare ex contemptu vel ex infirmitate, vel ignorantia, fragilitate, & huiusmodi, Et cum dico aliquem peccare ex contemptu, dico duo. s. actũ peccati, vt in proposito frangere silentium, & causam peccati, scilicet frangere silentium ex contemptu. Et tunc contemptus dicit actum voluntatis, quo vult non subiici cui debet subiici. s. Deo aut Prælatis, & est contra dilectionem Dei aut proximi. Et hoc modo dicere verbum ociosum, imo nolle sequi consilia Christi ex contemptu. s. quia non vult illi subiici, etiam in consiliis peccat mortaliter. Hæc autem maxima peccata, rarò accidunt, nisi pessime dispositis, & male habituatis, in tantum vt ex odio legum, vel legislatorum operentur, contemptus enim huiusmodi, contra superioritatem legis vel legislatoris directe tendit. Duæ autem distinctiones hic notandę sunt. Prima, quia aliud est nolle subiici Prælato, aliud nolle consolari Prælatũ. Si quis transgreditur præceptum, quia non vult consolari, peccat ex indignatione. Secunda est, potest quis peccare ex contemptu dupliciter, primo ex contemptu simpliciter, quando non obseruat mandatum, quia non vult illi subiici in illo quod est quid graue, secundo non vult subiici in hoc minimo tantum, primus est mortalis, secundus venialis.

Ex declar. autem Constitutionum hæc colligo, Et primo super prologum ita habet declaratio, sicut transgressio præcepti in regula, vel in Constitut. positi, vel à Prælato verbo, vel scripto facti, obligat ad culpam, ita transgressio quantumcumque minimi ex contemptu facta, obligat ad mortalem culpam, quia vt dicit S. Bernardus. Neglectus semper culpabilis est, contemptus vero damnabilis. Dicitur autem contemptus, quando nulla existente necessitate, vera vel opinata, sed sola voluntate, & inobedientia aliquis Cõstitutiones transgreditur, & non vult se subiicere legi, imo ex propria voluntate renuit se subiicere statuto sui Superioris. Vel vt alij dicunt, Contemptus est voluntaria sine causa continuata legis transgressio. Illorum enim voluntas renuit subiici nostris legibus, & statutis, quæ habet firmum propositum non seruandi constitutiones, & nulla existente causa, animo deliberato illas transgrediendi, cum intentione perseuerandi in illa transgressione, & non agendi pœnitentiam in Constitutionibus taxatam, vel à Prælato taxandam. Qui vero habet propositum seruandi statuta, & si interdum, & etiam frequenter, ex fragilitate, vel inaduertentia, aut alia causa, vel occasione, vera, vel opinata, illa transgrederetur, habet tamen intentionem soluendi pœnam taxatam, vel taxandam, & non intendit perseuerare in illa transgressione, talis non peccat ex contemptu. Tenemur enim habere voluntatem seruandi Constitut. cum intentione si illas non seruabimus, agere pœnitentiam. Eandem definitionem contemptus habemus in decr. cap. de Nouitiis.

Siluester in summa, verbo Contemptus, dicit quædam alia notabilia. s. Contemptus est duplex, positiuus, & contrarius, qui est quando subditus vult non obediendo iniuriam Superiori irrogare, vilificando ipsum. Alter

vero dicitur priuatiuus, & contradictorius, quando quis transgreditur non curando, nec existimando Superiorem, nullam iniuriam illi inferendo. Si ergo aliquis primo modo transgreditur, illa transgressio est ex contemptu formali, & est peccatum superbiæ. Si quis autem transgreditur secundo modo, ita vt vera causa transgressionis sit fragilitas, vel concupiscẽtia, vel ignorantia, &c. erit contemptus interpretatiuus, maxime si non intendat in transgressione perseuerare, & trangressio ex tali contemptu non est peccatum mortale, quia non fit inuria legislatoribus. Et subdit, posse etiam illud dictum Constitutionis, (quod transgressio ex contemptu est mortalis) intelligi de contemptu negatiuo, quia etiam tunc incurritur culpa venialis. Et postremo aduertit quod si aliquis religiosus transgrediendo contemneret suum Prælatum, aut eius auctoritatem, hic contemptus esset positiuus, & talis mortaliter peccaret, qui contemptus est magnus laqueus religiosis dissolutis, & indeuotis, ac multum se existimantibus. hæc ille. Quibus addendum existimarem, illum religiosum transgredi ex contemptu, quando dicit, & persuadere sibi conatur, aliquod mandatum non esse rationabiliter institutum, quia hoc esse videtur nolle subiici legi. Secus autem existimandum est de eo qui legem putat bonam esse, sed putat pro tunc habere causam rationabilem veram vel opinatam transgrediendi, & transgreditur inscio Prælato.

De præcepto obligante ad mortale.

CAP. XXII.

PRæceptum in regula nullum (nisi quod de natura sua est ratione trium votorum, vel Diuinæ aut ecclesiasticæ legis) contineri volumus, & declaramus. Et idem in Constitutionibus, nisi vbi ponitur sententia excommunicationis, aut formaliter exprimitur per verbum, præcipimus in virtute S. obedientię. Et hoc idem in ordinationibus, & Prælatorum verbis & litteris intelligi volumus.

Porro Prælati non faciant præcepta obligantia ad mortale peccatum in ira exteriori, maixmè contra subditos turbatos, Et si fecerint irrita sint & inania; facta tamen valeant quoad quascumque pœnas temporales. Nec faciant præcepta quieto animo, nisi in scriptis extra necessitatis articulum, exceptis Visitatoribus in Visitationibus, facta tamen valeant.

Præcepta autem in scriptis facta censentur sine ira facta.

Ex prologo Constitutionum.

Priores in suis Conuentibus, ex causa rationabili, in his quæ ad regulam vel Constitut. pertinent, implicite vel explicite possunt præcepta

verbo vel scripto facere, quæ obligabunt ad culpam mortalem, quia ex voto tenemur illis sic præcipientibus obedire, ex declar. eiusdem capitis. Est consimilis doctrinæ S. Thom. 2.2. quęst. 186. art. 9. dicentis. Quædam continentur in regula, ad quæ obseruanda obligatur religiosus ex voto professionis suæ, vt paupertatem, continentiam, & obedientiam, & horum transgressio obligat ad mortale. Aliorũ vero transgressio nõ obligat ad mortale, nisi propter contemptum regulæ, vel propter præceptum siue oretenus à Prælato factum, siue in regula expressum. Et ibidem ad secundum dicit. Non omnia quæ traduntur in lege, traduntur per modum præcepti, sed quędam proponuntur per modum ordinationis siue statuti obligantis ad certam pœnam. Ita nec in lege Ecclesiæ omnes ordinationes, vel publica statuta, obligant ad mortale.

Caietanus eodem in loco, exponens S. Thomam, dicit, quædam in hoc proposito. Primo quod vbique quando aliquid præcipitur in virtute S. obedientiæ, obligatio est ad mortale, quia compositio horum verborum, solita est semper vim pręcepti importare ex communi vsu Ecclesiæ. Secundo si in quocunque iure apponatur vocabulum, quod secundum communem vsum importet vim obligatiuam firmiter, reputandum est illud obligare ad mortale. Et ex opposito quando secundum communem sensum, non habet talem vim obligatiuã, non obligat ad mortale. Tertio lex vtens vocabulo præcepti, vt dicendo, præcipimus, rationabile est quod obliget ad mortale, non tamen est necessarium, quia quandoque potest tantum obligare ad veniale. Vnde cum S. Augustin. in regula dicit. Hæc sunt quæ vt obseruetis præcipimus in monasterio constitut. non tenemur ad ea obseruanda sub pœna peccati mortalis. Quarto de aliis autem vocabulis. s. inhibetur, prohibetur, statuitur, decernitur, mandatur, teneantur, obligati sint, &c. nihil certi vniuersaliter potest determinari, & omnimoda certitudo diffinitionem auctoritatiuam Sedis Apostolicæ exigere videtur. Sed apud nos, clara est hæc doctrina in Constitut. quæ declarant per nulla verba quoquomodo præceptiua, nos obligari ad culpam mortalem, nisi vbi dicitur præcipimus in virtute S. obedientiæ, vt supra. Sed potest esse quæstio, de præcepto pœnali, num obliget ad culpam mortalem. Constitut. dicit, quandocunque aliud mandatur sub pœna excommunicationis, sequitur obligatio ad mortale, quod assertum versans Caietanus ibidem dicit, id verum esse tam de excommunicatione latę sententiæ, quam non latæ sententiæ, nam pœna hæc tantæ indignitatis est, vt non feratur, nisi propter mortale. Addit etiam quod si fiat præceptum sub pœna interdicti, vel irregularitatis, non ex hoc obligat ad peccatum, quia hæ sæpe inferuntur sine aliqua culpa. Si autem aliquid præcipitur sub pœna suspensionis, non necessario infert nisi peccatum veniale, quia pro peccato veniali potest aliquis suspendi Si autem sunt pœnæ spirituales, vt oratio, ieiunium, &c. constat quod sine mortali infliguntur.

Adhuc autem aliud dubium suboriri potest de præcepto, quando mandatur aliquid sub pœna carceris, vel sub pœna grauioris culpæ, num tale præceptum obliget ad mortale, negatiua pars videtur haberi ex hoc

Constit. loco, vbi declaratur nullam habere vim præcepti obligantis ad mortale, nisi vbi ponitur pœna excommunicationis, vel vbi formaliter exprimitur per verba præcipimus in virtute S. obedientiæ. In alteram partem inclinat decl. capit. de Nouitiis, vbi duobus in locis litera d. dicit, talia præcepta obligare ad mortale. Etiam si crederem in hoc expectandam esse maiorum nostrorum decisionem, dico tamen probabilius apud me esse, vt talia præcepta non obligent ad mortale, nam in his semper intentio legislatoris pensanda est. At intentio eorum qui nostras Constitutiones ediderunt fuit, vt pœna à culpa separaretur, dum dicunt, Constitut. nostras non obligare ad culpam, etiam, si aliqua capita eiusdem vocentur capita de leui, de graui, & grauiori culpa, nec refert quod pœna grauioris culpæ sit illatiua infamiæ, quia ad talem pœnam nosmetipsos obligare volumus sine culpa. Quæ omnia præcisè sunt intelligenda quando præceptum aliunde non habet vt obliget ad culpam nisi ratione annexæ pœnæ. Recolendum est tamen, id quod habetur, in cap. Romano 1589. s. Declaramus quod præcepta, & censuræ, tam Magistri ord. quam capitulorum generalium, cum ipsis expirare, ordinationibus in suo robore remanentibus, quousque reuocentur. Quamuis contrarium in declar. prologi haberi videatur.

De Castitate.

CAP. XXIII.

SI quis de mala familiaritate suspectus fuerit notabiliter, & post admonitionem à Prælato de consilio discretorum pluries sibi factam, se non correxerit, præcipiatur ei in virtute S. obedientiæ per Prælatum, coram illis, coram quibus monitus fuerat, si præsentes fuerint, vel coram aliis discretis de consilio eorundem, vt à tali familiaritate desistat. Quod si tale præceptum transgressus fuerit, postquam hoc legitimè constiterit, tanquam reus & conuictus de suspecto crimine, habeatur.

Ex capite de grauiori culpa.

Oculi vestri, & si iaciantur in aliquam fœminarum, in nullam figantur. Neque enim quando proceditis, fœminas videre prohibemini; sed appetere, vel ab ipsis appeti velle, criminosum est, Nec solo tactu, & affectu, sed aspectu quoque appetitur, & & appetit concupiscentia fœminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. Et cũ se inuicem sibimet etiam tacente lingua conspectu mutuo corda nuntiant impudica, & secundũ concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam in tactis ab immũda violatione corporib. fugit castitatis ipsa de mori-

busNec putate debet qui in fœminam figit oculũ,&illius in seipsum diligit fixum, ab aliis se non videri cum hoc facit. Videtur omnino,&à quibus se videri non arbitratur. Sed & si lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet de illo desuper inspectore, quem latere nihil potest? An ideo putandus est non videre, quia tanto videt patientius, quanto sapientius? Illi ergo vir sanctus timeat displicere, ne velit fœminę malè placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit fœminam male videre. Illius enim, & in hac causa commendatus est timor, vbi scriptum est, Abominatio est Domino, defigens oculum. Quando ergo simul estis in Ecclesia, vel vbicunque fœminæ sunt, inuicem vestram pudicitiam custodite. *S. Augustinus in regula.*

Magister nouitios instruat, vt oculos sublimes non habeant. *Cap. de Nouitiis.*

Religiosi debent euitare consortia fœminarum, & illarum familiaritatem,multis de causis. Primò propter periculum, nam multi post magna signa sanctitatis, propter mulieres naufragati noscuntur. Secundò propter infamiam,quam ex illarum consortio incurrunt religiosi,& bonum nomen amittunt, quod magis æstimandum est quàm diuitiæ multæ. Tertiò propter notam mali exempli, quia cum viri perfecti inhærent familiaritati fœminarum, occasionem præbent minoribus & infirmis de facili in tale peccatum cadere. Vnde nec propter vtilitatem temporalem, nec propter desiderium salutis, debent religiosi cum eis conuersari.

Debent etiam religiosi summopere cauere occasiones, ex quibus causatur,& augetur amor carnalis, quæ plures sunt. Prima est aspectus illarum, nam ex visu mulieris inardescit concupiscentia viri, & ex visu viri ardescit concupiscentia mulieris, & præcipuè hanc occasionem vitare debent, qui aspectu pulchri sunt,& gratiosi. Secunda est familiaritas siuè frequens conuersatio,per hanc enim corda mulierum inflãmantur,& audaciores redduntur ad malum petendum, & ad detegendum ardorem libidinis familiari, quam extraneo. Tertia est ostensio affectus per literas,vel munuscula. Vnde S. Hiero.dicit Crebra munuscula, & sudariola, & dulces literas sanctus amor non habet.Quarta est decor,& compositio corporis,vel ornatus eius, qui ad complacentiam excitat. Et ob id religiosi debent vti vilibus vestib.& faciem per mortificationem deturpare,& si se sentiunt diligi fugiant,& dure cum eis loquantur,& si ex hoc turbantur,non curent. Et S.Aug.dicit sermo breuis,asper, & rigidus, est semper cum mulieribus habendis. Ex decl. cap. de grauiori culpa.

Maximè autem religiosis conuenit continentia,ex S.Tho.2.2.q.189.art.4. quia ad religionis statum requiritur abstractio eorum per quæ homo impeditur,ne totaliter feratur in Dei seruitium, Vsus autem copulæ carnalis retrahit hominem à Dei seruitio,duplici ratione. Primò propter vehemen-

tiam delectationis, ex cuius frequenti experientia augetur concupiscentia. Secundò propter solicitudinem quam ingerit homini, ob gubernationem vxoris, filiorum, & familiæ, ac rerum temporalium, pro illorum sustentatione. Vnde 1. Cor. 7. Qui sine vxore est, cogitat quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, Qui autem cum vxore est, cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat vxori. Et Dominus Christus Math. 19. introduxit eam dum dixit, Sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat.

De paupertate fratrum in particulari.

CAPVT XXIV.

MAgister nouitios instruat, sine proprio viuere.

Item, singulis annis omnes fratres semel omnia sibi commissa, Prioribus suis exponant, pariter & exhibeant, eorum dispositioni relinquendo.

Item, quicunque verò frater pecuniam vel alia quęcumque receperit, vel habuerit, aut expenderit, vel dispensauerit, aut dispensari fecerit, singulis annis maiorib. suis semel aut pluries, si fuerit requisitus, rationem reddat, videlicet Magister ordinis Diffinitoribus capituli generalis, Prouincialis, Diffinitoribus capituli prouincialis, & Prior, Prouinciali, vel Visitatori, cęteri fratres Priori. *Ex cap. de Nouitiis.*

Item, & non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.

Item, qui vero aliquid habebant in seculo, quando ingressi fuerint monasterium, libenter velint illud esse commune.

Item, nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra in vnum fiant, maiori studio, & frequentiori alacritate, quam si vobis singulis propria faceretis, Charitas enim de qua scriptum est quod non quærit quę sua sunt, sic intelligitur, quia communia propriis non propria communibus anteponit. Et ideo quanto amplius rem communem, quam propria vestra curaueritis, tanto amplius vos proficere noueritis, vt in omnibus quibus vtitur transitoria necessitas, supereminceat quę permanet charitas. Consequens ergo est, vt etiam cum quis filiis suis, aut aliqua necessitudine ad se pertinentibus, aliquam contulerit vestem, aut quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur, sed sit in potestate Prępositi, vt in rem communem redactum, cui necesse fuerit præbeatur. Quod si aliquis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur. Quicumque autem in tantum

progressus fuerit malum, vt occultè literas ab aliquo, vel quodlicet munus acceperit, si hoc vltro confitetur, parcatur illi, & oretur pro eo. Si autem comprehenditur, & conuincitur, secundum arbitrium Præpositi grauius emendetur.

Item, nec extollantur si communi vitæ aliquid de suis facultatib. contulerunt, nec de suis diuitiis magis superbiant, quia eas in monasterio partiuntur, quam si eis in seculo fruerentur. Alia quippè quæcumque iniquitas, in malis operibus exercetur vt fiant superbia vero etiam bonis operibus insidiatur, vt pereant. Et quid prodest dispergendo dare pauperibus, & pauperem fieri, cum anima miseria superbior efficitur, diuitias contemnendo, quam fuerat possidendo? *S. Aug. in regula.*

Omnis religiosus professus cuiuscumque religionis cum emittat votum paupertatis, non potest aliquid possidere tanquam proprium. Ideo iura etiam antiqua id denuntiant. S. Aug. in regula dicit, & non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.

Vrbanus Papa vt habetur 12. q. 1. cap. Simus dicit.

Quicumque vestrum vitam communem susceptam habet, & vouit se nil proprium habere, videat, ne pollicitationem suam irritam faciat; sed fideliter custodiat, ne damnationem, sed præmium sibi acquirat.

Inno. III. vt habetur in cap. Cum ad monasterium, de statu monachorum, prohibuit.

Ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat, quod si proprietatem aliquam deprehensus fuerit habere, regulari monitione præmissa, de monasterio expellatur, nec recipiatur vlterius, nisi pæniteat secundum monasticam disciplinam. Quod si proprietas apud quemquam inuenta fuerit, ipsa cum eo in signum perditionis, extra monasterium in sterquilinio subterretur, secundum quod B. Gregorius, in dialogo narrat se fecisse. Vnde si quicquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori, aut Cellario assignetur. Et infra.

Nec Abbas æstimet, quod super habenda proprietate, possit cum aliquo monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est annexa regulæ monachali, vt contra eam, nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.

Fuerunt tamen Pontifices, maximè Martinus V. & Eugenius IV. qui pro maximis negociis fecerunt de religioso non religiosum, & indulgentiam concesserunt, vt vxorem ducerent, & regna possiderent. At in proposito attendendum est decretum Conc: Trident. sess. 25. cap. 2. in quo dicitur.

Nemini igitur regularium, tàm virorum, quàm mulierum, liceat bona immobilia, seu mobilia cuiuscumque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus, bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad vsum fructum, vel vsum, administrationem, & commendam. Administratio autem bonorum temporalium, ad solos officiales eorumdem Conuentuum ad nutum Superiorum amouibiles pertineant, &c. Quod si aliquis aliter quicquam tenere deprehensus fuerit, & conuictus, is biennio actiua, & passiua

voce priuatus sit, atque etiam iuxta suæ regulæ, & ordinis Constitutiones puniatur.

Dicitur autem proprium quasi à communitate separatum & importat dominiũ rei iustis modis acquisitum. Item proprium dicitur, quod celatur Prælato suo, vel tenetur contra voluntatem eius. Et ideo religiosus, qui aliquid accipit multum vel parum, mobile, vel immobile, sine scitu, & consensu sui Superioris, aut illud, quod de licentia Prælati recepit, non est paratus ponere totum in manibus eius, ad placitum, & requisitionem ipsius, aut aliquid abscondit, vel celat, ne à Prælato videatur, aut accipiatur, est proprietarius, & peccat mortaliter. Et propterea in diuersis capitulis, fuit sub præceptis, censuris, & pœnis prohibitum omnibus fratribus, ne aliqua bona temporalia, nisi ad vsum tantum, & de licentia suorum Prælatorum teneant. Vnde Prælatus non potest dispensare cum religioso, vt habeat proprium, videlicet, vt aliquid habeat simpliciter in sui dominio, & de eo possit facere quicquid velit propria auctoritate, sine scitu, & licentia sui Superioris. Quod si Prælatus dispensat cum religioso proprio. i. concedit, vt aliquid habeat, & illud ad placitum distrahat, & disperdat, ac dissipet, prout sibi videtur, etiam in damnum monasterij, non videtur posse excusari à graui peccato, cum exponat ouem suam morti, & ipse vsurpet sibi potestatem, quam non habet, si vero religiosus ea, quæ sibi ad vsum concessa sunt, absq; scitu, & licentia Superioris vendit, vel donat, vt Dominus rei, peccat mortaliter, nisi poneret spem in ratihabitione. Declaratum etiam fuit omnes fratres, & moniales ordinis, nisi habeant animum in veritate paratum, ad ponendum omnia, quæ habent ad pedes sui Prælati, esse in statu damnationis æternæ, & similiter omnes, qui mutuant, aut quouis modo dominum pecuniarum, seu rerum pro sua voluntate, tanquam Domini illarum rerum, transferunt absque licentia, esse in statu damnationis æternæ, & contrafacientes priuentur rebus ipsis. Et Bonon. 1564. statutum fuit, ne in fratribus vestigium aliquod proprietatis esset, quod omnia bona immobilia, & quicumque annui redditus, vel prouentus, vndecumque aduenientes, communi ordinis nostri vtilitati incorporata sint, & applicata illis Conuentibus quibus secundum iura, & nostras Constitutiones debentur. Venetiis 1592. mandatur sub præcepto formali, & pœna excommunicationis latæ sententiæ cuilibet fratri cuiuscumque status, & conditionis existat, vt qui habent apud se, seu apud quoscumque, aut quempiam sciunt habere, aut tenere, libellaria instrumenta, seu libellarios contractus, aut pecuniarum, (vt fertur) inuestituras, siue nomine proprio, vel in propria persona, siue nomine Conuentus, quouis modo factas, teneantur infra spacium viginti quatuor horarum consignare, aut respectiuè reuelare Priori, ne ob illorum ignorantiam interueniente morte, religio damnum patiatur, Priores vero huiusmodi scripturas in archiuio Conuentus recondant. Nullus etiam frater procurare debet, quod alius sibi post mortem succedat in cellæ, vel aliis rebus.

De admi-

De administratione bonorum temporalium.

CAPVT XXV.

EX decreto Conc. Trid. cap. præcedenti relato, apparet quandam administrationem bonorum stabilium Conuentus, concedi religiosis posse, quandam vero non, nam ita disponit.

Nec deinceps liceat Superioribus, bona stabilia alicui regulari concedere, etiam ad vsumfructũ, vel vsum, administrationẽ, aut cõmendam. De alia verò ita constituit.

Administratio autem bonorum Conuentuum, ad solos officiales eorum ad nutum Superiorum amouibiles pertineat.

Vnde necesse est distinguere cum Roderico tomo 3. quæst. reg. q. 28. art. 10. quod administratio bonorum stabilium, potest pluribus modis committi aliquibus religiosis, primo in vtilitatem tantum illius cui conceditur, vt possit fructus illius percipere & conuertere in vsus proprios, prout vult, ac eos distrahere, vendere, & donare, prout libet, absque hoc, quod teneatur reddere rationẽ de eis alicui, nec possit ab eo officio amoueri, nisi pro graui delicto. Hoc modo cõceditur administratio bonorũ ecclesiasticorũ clericis secularibus. Quæ concessio ea est, quæ per dictam particulã Concilij inhibetur religiosis. Secũdo cõceditur administratio bonorũ alicui ad vtilitatẽ cõcedẽtis, ita vt administrator, colligit fructus, cõseruatq; eos, qui necessarij sunt ad ducendã vitam religiosorũ monasterij, alios vero vendit, siue commutat in alia ad sustentationem necessaria, qui requisitus reddit rationem de singulis recepti , venditis, & consumptis, & est ad nutum Superioris, aut ad certum tempus amouibilis. Et de hac administratione loquitur Conc. in 2. particula, & est, quæ conceditur syndicis, seu procuratorib. Cõuentuum. Hi verò administratores seruare debent ea, quæ tradit eis S. Tho. 2. 2. q. 32. art. 8. Vbi docet, quod monachus si habet dispensationem sibi commissam à Superiori, potest facere eleemosynas de rebus monasterij, secundum quod sibi est commissum. Quod si verum est hoc de eleemosynis multo magis de quibuscumque aliis alienationibus, citra necessitatẽ status religionis. Excogitari autem potest quædam alia administratio media inter duas descriptas, quando propter senectutem, aut infirmitatem conceditur alicui, vt possideat aliquam partem bonorum Conuentus, quæ forsan etiam intuitu dicti religiosi peruenit ad religionem, vt illam possideat in tota vita sua, & sibi de fructibus eius prouideat. Hæc concessio potest esse, & vetita, & licita, secundum adhibitas conditiones, nam si ita concedatur, vt illa concessione facta possideat vsum illius tanquam Dominus in necessariis, & superfluis, & requisitus nollet reddere computum illorum, ac pretenderet se non posse ab illa remoueri, esset comprehensa sub illa administratione à Concilio vetita. Si autem ha beret circumstantias contrarias admitti posset aliqua subsistente causa. Aliqua dicentur infra huic proposito, cap. de syndicis, & cap. sequenti.

Si quæ autem bona ab extraneis commissa sint fratrib. ad dispensandum, seruetur Constitutio cap. de Itinerantibus quæ, talis est.

Fratres non ſint diſpenſatores alienarum rerum, nec pecuniarum, nec extraneorum depoſita recipiant, niſi librorum, & paramentorum eccleſiaſticorum.

De mobilium vſu religioſis conceſſo.

CAPVT XXVI.

IDem Conc. Trident. loco ſupra relato ſic habet de vſu mobilium.

Mobilium vero vſum ita Superiores permittant, vt eorum ſupellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conueniat, nihilque ſuperflui in ea ſit, nihil etiam, quod neceſſarium eis denegetur.

In quo decreto duo notanda ſunt, primum circa illud verbum (vſus) de quo vſu ſic diſtinguit declaratio, cap. de Nouitiis, &c. Declaramus, quod religioſus de rebus ſibi conceſſis per Prælatos, ita habet vſum, quod non habet vſum fructum. Vſus autem dicit ius vtendi, & non fruendi rebus alienis, ſalua rerum ſubſtantia. Et ideo de re cuius quis habet vſum, poteſt percipere preciſè ſuam neceſſitatem. Vſufructus autem dicit ius vtendi, & fruendi rebus alienis, ſalua vt ſupra. Et ideo de re cuius, quis habet vſumfructum, poteſt nedum percipere ſuam neceſſitatem, ſed etiam reſiduum poteſt donare, vel quocumque alio modo licito diſtrahere vt libet, quia eius rei dominium habet. Religioſus igitur cum non poſſit eſſe dominus rerum ſibi conceſſarum, non poteſt aliquid donare, nec vendere, nec pignorare, aut commutare, aut quocumq; modo alienare, nec eleemoſynas facere Etiam ſi illa bona per propriam induſtriam acquiſierit, aut ſibi obuenerint iure paterno, vel materno, etiam ſi conſtitueretur procurator Conuentus.

Item non poteſt religioſus pecunias, vel quaſcumque res, apud mercatores ſiue campſores, ſeu apud perſonas extra noſtri ordinis obedientiā conſtitutas, tenere, ſeu mutuare, nec multo minus negociationes, ſeu mercantias aut artem alchimiæ exercere. Et ſaltem ſemel in anno tenetur omnia bona ſibi ad vſum conceſſa, ad pedes ſui Prælati realiter ponere, vel ſaltem omnia integraliter, & fideliter, nihil occultando, in ſcriptis redigere, & ſuis Præſidentibus, tanquam ſeipſos omnium rerum proprietate ſpoliantes, præſentare. Et conformitet ad Conc. Trid. Bonon. 1564. mandatum fuit, in virtute S. obedientiæ omnibus Præſidentibus Conuentuum, vt intra vnum menſem cellas omniū (nemine excepto) viſitarent, & deinceps omnes ſingulis annis omnia ſua Prælatis exponant. Et Prælati, tenētur laborare quantum eis poſſibile eſt, quod fratres, in ſuo Conuentu viuant in communi, & non ſint proprietarij, & ſubditi in hoc non debent Prælatis reſiſtere.

In Conſtitutionib. etiam de mobilib. bonis dicitur cap. de Nouitiis.

Singuli fratres ſingulis annis, ſemel omnia ſibi commiſſa, Prioribus ſuis exponāt, & exhibeāt, corū diſpoſitioni relinquēdo. Item, Quicumq; pecuniā, vel alia quæcumq; receperit, vel habuerit, vel expenderit, vel diſpenſauerit, aut diſpēſari fecerit, reddat ſingulis annis rationē maioribus ſuis, ſemel vel pluries ſi fuerit requiſitus.

Et in decl. dicitur. Et quilibet Prior ſingulis annis, præſertim in principio

sui regiminis, diligenter inquirat, quid habeat subditus, quid debeat, & quid sibi debeatur, & omnia in scriptis redigantur, & deinde inquirat, si quid auctum, vel diminutum fuerit.

Est etiam sciendum, quod duplex est vsus rerum, certus. s. & incertus. Circa certum vsum, qui est, quando concessum non potest auferri, Prælatus cum subdito non potest dispensare, quia voluntas religiosi debet semper subdita esse Prælato, vt quidquid habet resignet Prælato quando voluerit, & ad hunc sensum dicitur in capite de studentibus.

Nulli etiam certus vsus librorum concedatur, nec dedignetur à quocumq; auferantur, vel in custodia cuiuscumq; dimittantur.

Circa vero vsum incertum, qui est quando concessum est in voluntate Superioris, vt auferatur à subdito quando placuerit, potest Prælatus ex causa rationabili dispensare. Causa autem rationabilis, duplex est. s. necessitas, & vtilitas, vtilitas autem potest esse duplex, priuata, & communis. Priuata, vt quando conceditur religioso liber ad studendum pro procuranda salute animarum. Communis, quando conceditur liber ad studendum, vt possit legere, prædicare, &c. Similiter etiam necessitas est duplex, priuata, & communis. Priuata, vt cum in monasterio paupere non habetur vnde subministrare possit victum, & vestitum ad sufficientiam, conceditur aliquid alicui ad vsum suæ necessitatis, qui tamen debet habere animum resignandi Prælato, si fuerit requisitus. Necessitas communis, vt cum aliquid conceditur officiali, pura procuratori, siue vestiario, ad expendendum in vsus communes. Et quamuis istæ vtilitates, & necessitates sint causa sufficiens dispensandi, cauendum tamen est ne faciliter dispensetur, tum propter speciem mali, tum propter sequelam mali exempli. Qui verò habent custodiam rerum communium Conuentus, & procuratores, librarij, vestiarij, & sacristæ. debent prædicta cum vtilitate, & non cum damno Conuentus administrare, & res sibi commissas diligenter à latronibus, & corruptionibus conseruare, & vnicuique necessaria subministrare, & fideliter ad bonum commune pertractare, nec debent pro huiusmodi officiis salaria quærere, nec possunt ea donare, dissipare, & disperdere, vt supra. Vnde & in regula dicitur.

Siue autem qui cellario, siue qui vestibus, siue qui codicibus præponuntur, sine murmure seruiant fratribus suis. Vestimenta verò, & calceamenta, quando fuerint indigentibus necessaria, dare non differant, sub quorum custodia sunt, quæ poscuntur.

Nec aliquis præsumat procurare, quod alter frater sibi succedat post mortem in quacumq; re, nec tales gratiæ vllo modo concedantur. Venetiis 1592. dicitur. Nullus frater saluo paupertatis voto, potest quæcumq; bona sibi ad vsum concessa, penes quascumq; personas extra religionem existentes, sub quouis prætextu asseruare, suis insciis Superioribus, à quibus potestatem auferimus tales licentias concedendi, & concessas reuocamus. Romæ 1601. Nullus se immergat negociis secularibus mercimoniis & aliis huiusmodi, nec negocia litigiosa apud quæcumque tribunalia pertractent nec equos alant, nec cartis, aut taxillis ludant, quæ vitio proprietatis proxima sunt.

De mobilium concedendorum qualitate.

CAPVT XXVII.

ALiud in dicti Concilij decreto annotandum est, & hoc est.

Supellex, statui paupertatis quàm professi sunt conueniat.

Duo autem defectus in rebus concessis contingere possunt contra statum paupertatis. s. superfluitas, & preciositas rerum. De superfluitate dicit Concilium, nihilq; in ea superflui sit. Et in cap. Bonon. 1564. statutum conditum fuit, ne in mobilium vsu superfluum aliquid inueniatur, & Priores infra mensem ab harum notitia, subditorum cellas (nemine excepto) visitent, & earum suppellectilia considerent, quod si aliquid inuenerint, quod statui paupertatis repugnet, auferant, & Conuentui applicent. Venetiis 1592. ordinatur, vt Superiores, qui subditis suis seipsos bonorum operum exemplum præbere debent, curent volũtariam amplecti paupertatem, vanitates omnes, ac superfluitates in vestibus, itineribus, comitatu, & cubiculorũ ornamentis resecando, & etiam in victu, quatenus breuiori via subditos suos ad perfectionem conducere possint. Et Romæ 1608 dicitur. A cellis amoueantur omnes imagines, quæ non sunt sacræ aut piæ. Item illæ quæ propriam, vel alterius non sancti, aut pij effigiem exprimunt, &c. Ex decl. cap. de nouitiis habetur, si aliquis religiosus teneat aliqua ad superfluitatẽ, vt pecuniam, cappas, tunicas pomposas, triplicatas, & alia huiusmodi, de scitu, & licẽti sui Prælati, & paratus sit omnia consignare in manu Prælati, quod tamẽ in his raro accidit, quamuis talis non possit dici proprietarius, est tamen peccatum, tam in dispensante, quam in dispensato. In dispensante quidem est peccatum infidelitatis, siue iniustitiæ, quia abutitur potestate sibi tradita in ædificationem, in destructionem. In recipiente autem est peccatum auaritiæ, cum teneat bona sine rationabili causa.

Et Constit capite de domibus concedendis, ita disponit, de ædificiis.

Mediocres domos, & humiles, fratres nostri habeant, nec fiant, aut permittantur fieri, in domibus curiositates, & superfluitates notabiles, in sculpturis, picturis, pauimentis, & aliis similibus, quæ paupertatem nostram deformant.

De preciosis vero vtensilibus, hæc ordinata reperiuntur. Ex decl. præfati cap. de nouitiis. Nullus frater habeat vestes ecclesiasticas, vel ornamenta, siue paramenta aliqua, nec cruces aureas, vel argenteas, vel cum lapidibus preciosis, nec annulos, siue lapides preciosos, aut aliqua iocalia. Et qui talia habent teneantur infrà tres menses, de prædictis se expedire, quod si non fecerint, dictis bonis priuati sint, & ea Conuentui applicata sint. Romæ 1580. ordinatur, vt nullus frater, siue monialis, cuiuscumq; conditionis, vti debeat coclearibus, vel aliis instrumentis aureis, vel argenteis, siue ex lapidibus preciosis, siue in mẽsa, siue in cingulis, cultris, vaginis, & huiusmodi, & tales trãsgressores priuentur his rebus, & Conuentui applicentur. Quod pariter Venetiis 1592. confirmatum fuit. Venetiis etiam vtraque .i. superflua, & preciosa simul comprehenduntur, & statuitur, vt à cellis superfluitates omnes

ornamenta vana preciosa queque & omnia tandem, quæ religiosam paupertatem non sapiunt, omnino auferantur, super quo Superiores omnes specialiter inuigilabunt. Et S. Tho. 22. q. 187. art. 6. probat vilitatem vestium congruere religiosis duplici ratione, 1. quia vilitas hæc, est signum pœnitentiæ, & tristitiæ, at religio est status pœnitentiæ, igitur &c. 2. est, quia hæc vilitas est signum contemptus mundi, at religiosi profitentur, mundum contemnere, ergo &c. Quæ rationes concludunt de quacumque supellectili, sicut de vestibus.

De legatis, siue censibus fratrum particularium.

CAP. XXVIII.

SOlent aliqui fratrum particularium cõsanguinei, perspicientes Cõuentus plurimos, non posse sufficienter prouidere fratribus, de rebus illis necessariis, maxime in vestibus, libris, itineribus, & similibus, constituere legatum, quo hæredes obligãtur soluere quotannis certam pecuniarum summã monasterio, vt fratri tali abundè prouideat de prædictis, supra communem prouisionem. Quæ legata si dari debeant monasterio, & eius officialibus, vt de licentia Prioris expendantur in beneficio illius fratris, cuius intuitu facta sunt, in rebus statui paupertatis non repugnantibus, non possunt reprehendi, quia non repugnant voto paupertatis, dummodo seruetur ordinatio capituli Romani 1589. quæ huiusmodi est. Mandatur sub præcepto formali, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, omnibus vt singulis fratribus, cuiuscumque status, conditionis, & dignitatis existat, vt qui apud se habent, vel apud quoscumque retinent, vel quempiam habere, vel retinere sciunt, libellaria instrumenta, seu libellarios contractus, aut pecuniarum inuestituras siue nomine proprio, vel in persona propria, siue etiam nomine Conuentus, quoquomodo factas, debeant infra spacium vingintiquatuor horarum, reuelare, siue respectiuè consignare, & effectualiter tradere, Conuentus Præsidenti, ne ob eorum ignorantiam, morte interueniente, religio patiatur detrimentum, & Præsidentes eas in archiuio scripturarum Conuentus custodiendas reponant. Repetitur Venetiis 1592. In eodem etiam cap. Romano Admonentur omnes, bona omnia fratrum, vigore decreti Concilij Trid. esse incorporata Cõu., siue mobilia, siue immobilia sint, quibus nec non & quicũque anni reditus, seu prouentus, vndecũque aduenientes, de iure conueniunt. Idcirco huiusmodi bona, & annui census, debent à syndicis, & non à fratribus singularibus exigi, vt pote bona Conuentuum, & non propria particularium. Et prohibetur fratribus exigere tales annuos census pro libito, sed nomine Conuentuum syndici accipiant, & Prælati pro vniuscuiusque indigentia, & necessitate in ipsorum fratrum pios vsus, in totum, vel in partem conuertere poterunt. Conformia hæc sunt prædicto decreto Concilij, in quo habetur.

Nulli regularium liceat bona quæcumque siue mobilia, siue immobilia, tanquam propria possidere, neque etiam nomine Conuentus, sed ea statim Superioribus tradantur,

quæ tantum per officiales Conuentus administrentur.

Et hæc omnia vera sunt, nedum de legatis seu censibus à consanguineis, fratribus particularibus relictis, sed etiam de quibuscumque aliis quomodolibet acquisitis.

Aduertant autem fratres, quando renuntiant bonis suis ante professionem, & sibi aliquid reseruant dum viuunt, quod ius illud exigendi remanet in Prælato, & si apponerent conditionem, quod à Conuentu vel officialibus eius exigi non possit, agerẽt contra votum paupertatis, & nulla esset illa conditio, quia non potest religiosus habere aliquid tanquam proprium, à communitate separatũ, & quicquid habet, vel acquirit monachus monasterij est. Et decl. cap. de Itinerantibus habet, nullum fratrem posse, siue non debere in curia, vel in palatiis, ea quæ sibi annuatim ex aliquo legato relinquuntur, repetere, potest tamen iudici ostendere iura sua, & cartam, siue cautelam sibi factam, & extra iudicium petere.

De vsu pecuniarum, & deposito illarum.

CAP. XXIX.

QVicunque frater pecuniam, vel alia quæcumq; receperit, vel habuerit, vel expenderit, vel dispensauerit, aut dispensari fecerit, reddat singulis annis maioribus suis rationem, semel & pluries si fuerit requisitus, videlicet, Magister ordinis, Diffinitoribus capituli generalis, Prouincialis, Diffinitoribus capituli Prouincialis, Prior, Prouinciali, aut visitatori, & cæteri fratres suo Priori, Nullus fratrum etiam Prior recipiat depositum cuiuscunque nisi in communi deposito Conuentus, contrarium facientes incurrant pœnam grauioris culpæ.

Cap. de Nouitijs.

Itinerantes quicumque aurum, vel argentum, aut pecuniam, excepto victu, & necessariis indumentis, & libris, nec accipient, nec portabunt, si quis autem aliquid de prædictis acceperit, teneatur Prælato suo cum redierit libere præsentare.

Cap. de Itinerantibus.

Ex declarationibus cap. de Nouitiis, hæc animaduertenda sunt. Nullus frater recipiat pecuniam sine licentia Prælati, & receptam statim habita oportunitate Prælato præsentet, & si infra triduum præsentare distulerit, vi præsentis declarationis illa sit priuatus, nec per Priorem restitui possit. Et Prælati faciant vt fratres pecuniam in deposito non teneant, nisi ad certos vsus de licentia Superiorum deputatos, quam in alios vsus expendere non permittant, & id infra breue tempus à Prælato præfigendum, ita vt prolongari non possit, quod si infra illud tempus non expenderint, auferatur, &

communitati applicetur, neque detur licentia de conseruanda pecunia, nisi pro libris aut scriptis. Non permittant Prælati fratres suos pecuniam, vel iocalia, in auro, vel argento, aut lapidibus preciosis, vel quascumque alias res, extra manus ordinis depositas habere, & cogant eos omnia ad ordinem reducere, aliter dictis rebus priuentur. Neque vllus frater audeat mutuo dare, aut recipere pecunias, sine sui Superioris licentia. Nec Superiores faciles se præbeant ad concedendas huiusmodi licentias, maximè recipiendi mutuo, nisi prius tales licẽtias petentes significent, quomodo habere poterunt vnde soluant. Et qui sine licẽtia receperit, teneatur ieiunare quolibet die in pane & aqua, quousque satisfecerit. At Valleoleti 1605. imponitur contrahentibus debita sine licentia pœna carceris. Et Valentiæ 1596. Romæ 1601. Valleoleti 1605. cõstituitur, vt si qui fratres reperti fuerint, qui alicui extra ordinẽ summã pecuniarum per notabile tempus debeant vel de quibus creditores conqueratur, actiua, & passiua voce priuentur, & per Superiores carceri, quousque satisfacerint, tradantur. Ex ordinationibus capitulorum generalium plurima alia habentur, maximè Bononiæ 1604. Reuocantur omnes licentiæ etiam à Magistro ordinis concessæ, retinendi, aut expendendi pecunias absque scitu sui Prioris, ac eas conseruandi extra depositum cõmune. Et statuitur, vt in posterum non concedantur huiusmodi licentiæ generales de pecuniis. Et si qui sunt, qui census, aut legata habeant exigenda, meminerint ea Conuentui incorporata esse ex decreto Concilij, & non posse exigi, nisi à Syndico Conuentus, vt traditur Romæ 1589. Et Romæ 1571. de depositis fratrum statuitur, vt in prouinciis in quibus consuetum est permittere deposita singularium fratrum, non concedantur, nisi cum moderatione, vt necessitati, & non auaritiæ seruiant, & ob id Prælati illa non permittant in magna summa, nec pro lõgo tempore, habita tamen ratione personarum, & locorũ. Quod statutum confirmatum fuit Barch. 1574. & Romæ 1580. Et Venetiis 1592. subditur vt talia deposita concedantur nedum in moderata quantitate, sed etiam ad determinatum tempus, vel vsum à Prælato præfigendum toties quoties subditus pecunias quomodolibet sibi traditas præsentabit. Et Valentiæ 1596. superadditur. Quia intelleximus præfatam ordinationem minus quam par sit obseruari, declaramus intentionem nostram esse, quod vbi Prelatus statuit de præsentatis sibi pecuniis pro quo vsu determinato conseruari debeant, non licere subdito in alios vsus conuertere, nec Prælato talem commutationis vsus licentiam concedere. Et subditi contrafacientes vitium proprietatis incurrunt, & Prælati fiunt rei vsurpatæ auctoritatis. Hoc idem de verbo ad verbum confirmatum fuit Romæ 1601. Et Valleoti 1605. apponitur talis moderatio. Tempus vero & vsum Priorum arbitrio relinquimus, quorum conscientiam in diem Christi aggrauamus, vt inuigilent ne fratres pecunias aliter expendant, quam illorum religiosa necessitas, & commoditas tulerit. Sed Romæ 1608. iterum repetuntur superiora verba, vt non admittantur deposita, nisi in moderata quantitate, attenta qualitate personarum ad certum vsum, & ad breue tempus. Huic autem statuto de recondendis pecuniis in deposito subduntur etiam hospites fra-

permutationes rerum, inter quas connumeratæ etiam fuerunt donationes, notanda est quædam Constit. Clementis 8. in qua largitiones munerum interdictæ fuerunt, cuius Constitutionis summa hæc est per capita collecta.

Rationes ob quas motus est summus Pontifex ad prohibenda religiosis munera, istæ fuerunt, vt ex illa colligitur, Vt disciplina regularis reparetur, & conseruetur, Vt votum paupertatis integre manuteneatur, Vt praua ambitio quorundam eradicetur, & demum, Ne bona Ecclesiæ dilapidentur.

Personæ quibus largitio inhibetur sunt, omnes regulares vtriusque sexus, tam mendicantes, quam non mendicantes, cuiuscumque cõgregationis, siue societatis, vel instituti, non tamen militiæ, & etiam prædictarum congregationum, societatum, institutionum Superiores, vt Generales, Prouinciales, Magistri, & quicumque, Præfecti, &c. Abbates, Priores, &c. & alio quouis titulo Præsidentes, ac omnes officiales, imo, & Capitula, Conuentus, Congregationes, tam singulorum Conuentuum siue locorum, quam Capitula generalia siue prouincialia.

Personæ quibus aliquid donari interdictum est, sunt omnes laici, & ecclesiastici, cuiuscumque status, gradus, & conditionis sint, quauis, non solum mundana, vt Ducali, Regali, Imperialiuè, &c. verum etiam ecclesiastica auctoritate, s. Pontificali, aut etiam Cardinali fulgentes. Proprius etiam loci Ordinarius, ac etiam proprij ordinis Superior, Protector, Viceprotector, Generalis, Prouincialis, Prior, siue alterius ordinis Superior, & etiam simplex, & particularis religiosus.

Actiones prohibitæ sunt duæ, prima est donare directè, vel indirectè, palam vel occulte, tam communi quam particulari, & proprio nomine, etiam sub quouis statuti, aut consuetudinis, seu potius corruptelæ, vel quocumque alio prætextu. Secunda est, quoquomodo pecunias erogare in alicuius, etiam Protectoris, aut Ordinarij honorem, occasione transitus, siue primi ingressus, siue etiam grati animi testificatione, neque etiam pro conuiuiis, & compotationibus, aut comessationibus, siue pro exhibendis spectaculis etiam piis, vt sunt actiones sanctorum, vel passionis Domini nostri Iesu Christi aut quibuscumque aliis, ad oblectationem, vel priuata commoda pertinentibus.

Bona quæ donari non possunt, sunt. Quæcumque ex fructibus, & reditibus, ac prouentibus, collectis, contributionibus, oblationibus, siue eleemosynis, aut subsidiis certis, vel incertis, ordinariis, seu extraordinariis, mensæ seu massæ communis, vel cuiusuis fabricæ aut sacristiæ. Itē bona quæ communiter administrantur, & quæ rationibus reddendis sunt obnoxia, & quæ à singulis quoquomodo sunt acquisita, aut quouis modo à Superioribus cōcessa alicui religioso nominatim, vel à propriis affinibus, propinquis, familiaribus, amicis vel à piis fidelibus, etiam eleemosynæ siue charitatis, aut personæ intuitu, attributa sint.

Pœnæ vero transgressoribus impositæ, sunt duplices, nam quædam inflictæ sunt donantibus, & hę sunt, priuatio omnium graduum, dignitatum, munerum, & officiorũ, inhabilitatio ad ea, & alia similia, & dissimilia in futurum, perpetua infamia, & ignominia, priuatio vocis actiuæ, & passiuæ, absque alio

Superioris decreto, & tandem illæ pœnæ quæ furti, & simoniæ reis imponi solent. Quædam autem acceptantibus munera inferuntur, & hæ sunt, restitutio dictorum donorum receptorum, absque alia iudicis sententia in vtroque foro, ita vt restitutione non facta, neque etiam in foro conscientiæ absolui possint. Quæ restitutio non particulari religioso donanti est facienda, sed Conuentui de cuius bonis donatio facta est, ita vt neque qui donauit, neque Conuentus ille cui fieri debet, remittere possit.

Exceptiones autem quatuor sunt. Primò non prohibetur dari aliquid pro Dei cultu, & pauperum indigentiis, (seruato ordine charitatis, & habita ratione necessitatis) subleuandis, ac aliis cum consilio Superiorum, & per capitula generalia siue prouincialia approbandis. Secundo non prohibetur hospitalitas pauperum, & peregrinorum, & etiam licebit ditiores ad hospitium recipere, & quamuis communibus ferculis fratrum deberent esse cōtenti, permittitur tamen posse ita tractari vt frugalitas, & paupertas religiosa in ipsis effulgeat. Tertio conceduntur, pro donatione, leuiora esculenta, & poculenta, quæ ad deuotionem vel religionē pertinent munuscula, communi tamen & non particulari nomine & de licentia Superioris. Quarto inter ipsos religiosos donari possunt ea, quæ minima sunt, licentia tamen expressa inscriptis prius obtenta.

In cap. Valentiæ 1596. pro obseruantia dictæ Constitutionis ita fuit ordinatum. Vt innotescat fratribus quibus ex causis Prælatorum iudicio munera secularibus elargiri valeant, declaramus id licere ex vna trium causarum vnanimi consensu approbatarum; quæ sunt gratitudo, reconciliatio siue ad Conuentum, vel ad se, respectu finis boni, ac conseruatio beneuolentiæ ad ordinem & pietas in parentes vsque, ad quartum gradum inclusiue. Verum in cap. Romano 1601. Reuocata fuit declaratio hæc verbis istis denuntiamus seruandam esse ad literam Constitut. Clementis 8. de largitione munerum regularibus interdicta, irritam, & inanem decernentes ex mandato eiusdem Sanctiss. D. Clementis, declarationem eiusdem Constitut factam in cap. Valentino.

Quæ vero minima existimari possint ita vt inter religiosos cum licentia donari valeant colligi potest ex oraculo viuæ vocis. Leonis Papæ X. relato à Roderico quod huiusmodi est.

Generalis, Prouincialis, & Custodes ord. minorum in capitulo, & extra capitulum declarare possunt, quæ sint res viles, quæ donari possint, intus, & extra Conuentum, & recipi cum licentia Superiorum.

De nouitiorum institutione circa alios mores.

CAP. XXXI.

MAgister nouitios instruat de ordine, excitet in Ecclesia, & vbicumque negligēter se habuerint, verbo vel signo quantum poterit eos studeat emendare, de apertis negligentiis cum ante eum veniam petierint, pœnitentiam dare, vel eos in suo capitulo proclamare. Humilitatem cordis, & corporis doceat eos habe-

re,iuxta illud:Discite à me quia mitis sum,& humilis corde. Quomodo,& vbicumque in omnibus se habere debeant, & quod locũ vbicũque positi sunt,vbique teneant.Quomodo sibi danti, vel auferenti aliquid male vel bene dicenti,inclinare debeant, quomodo se ad cameras contineant,& oculos sublimes non habeant, quomodo in capitulo,vel vbicumque reprehensi fuerint à Prælato, venia sit facienda, &quod si quis fratrem suum aliquo modo scandalizauerit, tamdiù ante pedes eius prostratus iaceat, quousque placatus erigat eum.

Instruendi etiam sunt nouitij,vt cum nemine contendere præsumant, in omnibus Magistro suo obediant,in processione socium sibi collateralem attendant,nec loquantur locis,& temporibus interdictis,neminem penitus iudicent,sed si aliqua ab vllo fieri videant,licet mala videantur bona suspicentur,vel bona intentione facta,sæpè enim humanum fallitur iudicium, & quod non loquantur de absente nisi quæ bona sunt. Disciplinas libenter suscipiant,cum duabus manibus bibant, & sedendo,diligenter libros, & vestes, & alias res monasterij custodiant,& quod si quid petitũ fuerit ab vno priore, non petatur ab alio, nisi causa exposita. Sed nec si à maiori petierint vadant ad minorem.

Infra annum nouitij ad longinquas partes,nisi ob causam necessariam non mittantur,nec in aliquo officio occupentur, nec ante professionem vestes eorum alienentur,nec ante professionem ordinentur.Non intersint cap. nec in dormitorio cum aliis fratribus iaceant, vbi hoc commodè poterit obseruari, sed Magister eorum extra capitulum culpas eorum audiat & ipsos diligenter quantum potest in moribus instruat,& charitatiue corripiat.

Magistri nouitios instruere debent de his omnibus, quæ professi facere tenentur,& primo doceant substãtialia religionis,paupertatẽ. s. castitatem, & obedientiam vt habitũ religionis dũ in publico apparẽt, vbique deferãt. Itẽ doceant eos de ieiuniis certis tẽporibus seruandis de abstinentia ab esu carnium,de lineis non vtendis ad carnẽ,de culcitris non tenendis,de dormiendo cũ tunicella,cingulo & caligis,de silentio certis locis,& tẽporib. seruãdo, qualiter in oratorio habere se debeant.i.maturè,iuxta altare reuerenter,iuxta reliquias timorate,in mensa,& in capitulo compositè,in comestione religiose,vt super escas se nõ effundãt, mũde comedãt ne aliis abominationem faciant,nõ sint verbosi sed linguã restringant,oculos nõ circũuoluant,in dormitorio quiete se habeant,nõ ociose discurrant,& vbicũq; fuerint nõ otiosa sed vtilia dicant,& tãdem docere eos debet,de cœrimoniis,inclinationibus, prostrationibus,de cãtu, & aliis ad religionẽ pertinentibus. Romæ 1580. si

qui iuuenes reperti fuerint insolẽtes, temerarij, & inobedientes, pœnæ grauioris culpę subiiciantur. Et si aliqui fratres eis fauere ausi fuerint, eadẽ pœna puniantur, & restitui nõ possint, nisi per Magistrũ ordinis, vel capitulũ generale, Romæ 1601. ordinatur, vt Prouinciales Visitatores deputent, qui bis in anno domos nouitiorũ visitent, & quæ ad eorũ curã expedire nouerint, diligenter prouideant, & præcipitur omnibus Præsidentibus Cõuentuum sub pœna absolutionis ab officio, ne nulla ratione nouitios, siue iuuenes per Conuentum discurrere permittant, nec è domo egredi sine euidenti necessitate. Idem confirmatur Valleoleti 1605. & Romæ 1608. Et Parisiis 1611.

Præcipue vero notanda ea sunt, quæ in regula circa conuersationem traduntur à Patre Augustino Sancto.

In incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus vestris, nihil fiat quod cuiusquam offendat aspectum; sed quod vestrã deceat sanctitatẽ. Oculi vestri, & si iaciantur in aliquam fœminarũ, in nullam figantur. Neque enim quando proceditis fœminas videre prohibemini, sed appetere, vel ab ipsis appeti, &c.

Item quando ergo simul estis in Ecclesia, aut vbicumque fœminæ sunt, inuicem vestram pudicitiam custodite, &c.

Item, quando proceditis simul ambulate, cum veneritis quo itis simul state.

Item, non erigant ceruices pauperes, quia sociantur eis ad quos foris accedere non audebant, sed sursum cor habeant & terrena vana non quęrant, ne incipiant monasteria diuitibus vtilia esse nõ pauperibus, si diuites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur. Rursus etiam illi qui aliquid videbantur esse in seculo, non habeant fastidio fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt. Magis autem studeant non de parentum diuitum dignitate, sed de pauperum fratrum societate gloriari, &c.

De professionis obligatione.

CAP. XXXII.

MAndamus autẽ sub pœna absolutionis ob officio, & grauioris culpæ Prælato, vt quãdo vocatus fuerit nouitius ad terminũ professionis suscipiẽdũ, protestetur, eidẽ, quod professio sua eundẽ obligabit ad tria vota, s. obedientiæ, castitatis, & paupertatis secundũ regulã B. Aug. & Constit. fratrũ Prædicatorũ, & non secundũ quod hodie, hic, vel ibi viuitur. Et quod statim elapso termino sibi taxato, nisi cõtradictũ fuerit ab ipso, vel à religione, incurret professionẽ, etiam si aliter non profiteatur. *Ex Ca. de Nouitijs.*

Obligatio autem professionis valida est,& extensiuè, quia vsque ad mortem perseuerat, vnde in ea dicit profitens ero obediens vsque ad mortem,& intensiue, quia inducit transgressores votorum ad peccatum mortale. Vnde Honorius III. in bulla confirmationis hæc habet.

Prohibemus insuper; vt nulli fratrum vestrorum post factam professionem fas sit sine sui Superioris licentia, de eodem loco (nisi arctioris religionis obtentu) discedere, discedentem vero absque literarum vestrarum cautione nemo audeat retinere.

Idem reperitur confirmatum à Gregorio IX. priuil. 2. ab Innoc. IV. priu. 8. & Sixto IV. in Mari magno.

Et tanta est obligatio, quod super talia vota non potest cadere dispensatio. Vnde De statu monachorum cap. Cum ad monasteriū dicitur. Abdicatio proprietatis, sicut, & custodia castitatis adeo annexa est regulæ monachali, vt contra eam nec summus Pontifex dispensare possit. Quam decretalem versans S. Tho. 2. 2. q. 88. ar. 11. innixusque illi, dicit quod quāuis Papa possit dispensare in continentia annexa ordini sacro, quia non est ei annexa essentialiter, non potest tamen dispensare in continentia annexa religioni, quia est ei annexa essentialiter. At quia post S. Thomam aliqui Pōtifices dispensarunt cum religiosis vt vxores ducerent si erant viri, aut viros si erant fœminæ, ideo sequi debemus doctrinam eiusdem S. Doct. 4. sen. d. 38. q. 1. art. 4. quæstiun. 1. ad. 3. vbi dicit. Et ideo alij probabilius dixerunt. Si communis vtilitas totius Ecclesiæ, aut vnius regni, siue prouinciæ exposceret, posse conuenienter in voto continentiæ, & in voto religionis dispensari quantumcunque solemnizato. Illam autem decretalem communiter interpretari solent, vt Papa cum religioso manente religioso, non potest dispensare super continentia, potest tamen de religioso facere non religiosum, qui postea nubat..

Neque etiam potest fieri dispensatio super continentia religiosi, propter periculum vitæ, quia vt tradit idem S. Tho. 2. 2. q. 88. art. 11. ad 3. potest fieri dispensatio super voto abstinentiæ cibi, quia cibus directè ordinatur ad conseruationem personæ, coitus autem ordinatur directè ad conseruationem speciei, & non personæ, vnde nec directè eius abstinentia vergit in periculum personæ, nisi per accidens, quod periculum potest etiam per alia tolli, vt per abstinentiam cibi, & alia corporalia remedia. Et addit ibidem ad IV. quod neque etiam religiosus factus Episcopus, liber est obligatione votorum religionis, quia nedum ad seruandam continentiam tenetur, vt clarum est, sed etiam ad paupertatem, quia nihil debet habere tanquam proprium, sed est tantum dispensator bonorum communium Ecclesiæ. Similiter non absoluitur à voto obedientiæ, sed per accidens obedire non tenetur, quia Superiorē non habet, sicut & Abbas monasterij, & si Superiorem non habeat non est tamen à voto obedientiæ absolutus. Et eadem parte q. 185. art. 8. de religioso Episcopo facto quoad obedientiam dicit. Dicendum est, quod si qua sunt in regularibus obseruantiis, quæ non impediant pontificale officium, sed magis valeant ad custodiam perfectionis, sicut est continentia, paupertas, & alia huiusmodi, ad hæc remanet religiosus Episcopus obligatus, & per consequens ad portandum habitum suæ religionis, Si qua

vero sunt, quæ repugnant officio pontificali, sicut solitudo, silentium & abstinentiæ, aut vigiliæ graues, ex quibus impotens corpore redderetur ad suum munus exequendum ad huiusmodi obseruanda non teneretur. In aliis autem potest dispensatione vti sicut, & alij Prælati.

Quibus casibus professio nulla sit.

CAPVT XXXIII.

QVia Sixtus V. in illis suis duabus Constitutionibus contra illegitimos latis, in aliquibus casibus annullauerat professionem eorum qui illam emisissent contra ea quæ in ipsis continentur, vnde multi petebant annullationem suæ professionis. Ideo Clemens VIII. moderatur eas his verbis.

Qui longo vsu compertum est ex nimia facilitate, & multitudine casuum, in quibus professio à Sixto V. nulla declaratur, multos fraudulenter petiisse, & in dies petere, vt illorum professio nulla declaretur, &c. Nos igitur, &c. prouidere volentes singularum Constitutionum tenores præsentibus pro expressis habentes, matura deliberatione præhabita, &c. Constitutiones prædictas Sixti V. quo ad eam partem in qua professio nulla declaratur, ad terminos iuris reducimus, perinde ac si præfatæ Constitutiones emanatæ non fuissent, auctoritate Apostolica. Cæterùm pœnas in eis inflictas contra, &c. saluas esse volumus, &c. irritum, & inane, &c.

Refertur hæc moderatio à Quaranta verbo Monast. regularium.

Verè autem nulla esset professio quando non adesset mutuus consensus Conuentus, & illius, qui professionem emittere debet. Vnde cap. de Nouitiis dicitur, Nouitium tacitam professionem incurrere completo termino probationis sibi assignato, nisi contradictum fuerit à religione, vel à nouitio. Et in cap. de Recipiendis asseritur, vt antequam recepti professionem emittãt, eis assignetur annus probationis, vt ipsi austeritates ordinis, & fratres mores eorum experiantur, quod vtique conceditur, vt libere vterque professioni consentiat.

Conc. Trid. ponit aliquos casus in quibus nulla est professio emissa, vt habetur sess. 25. cap. 15. quo in loco decernitur.

In quacumque religione tam virorum quàm mulierum, professio non fiat ante decimumsextum annum completum, nec qui in minori tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta nulla sit, nullámque inducat obligationem ad alicuius regulæ, vel religionis, vel ordinis obseruationem, aut ad alios quoscumque effectus.

Circa professionem emissam ante annum probationis completum, habetur, in decl. cap. de recipiendis, hoc notandum. Si quis receperit aliquem infra annum probationis ad professionem, suspensus est à receptione cuiuscũq; & peccat mortaliter faciens contra præceptum Ecclesiæ, & debet puniri pœna grauioris culpæ, vt habetur in cap. Non solum, & cap. constitutionem, de regularibus libro 6. Et subdit, ille vero qui profitetur ante annum completum probationis in nostro ordine, per illam professionem non obligatur ordini nostro, sed religioni in genere. Quæ particula postrema reuocata fuit per dicta verba Conc. vt supra consideratum fuit cap. de anno probationis.

Pius tamen V. Const. sua. 7. apud Confectium, concedit monialibus ordinis nostri, vt etiam ante completum probationis annum, si tamen sint in ætate legitima constitutæ, possint professionem emittere, casu quo de consilio alicuius medici ab hoc seculo transitura conspiciatur ante probationis tempus, ita vt indulgentias, & alias gratias profitentibus concessas, consequatur. An autem hæc facultas extendi etiam possit ad fratres, per communicationem priuilegiorum, aut etiam non sit reuocata per Gregorium XIII. qui omnia priuilegia Pij V. circa regulares emanata reduxit ad terminos Concilij alij iudicent.

Alter casus Conc. Trid. habetur sess. 25. cap. 19. in quo hæc habentur.

Quicumque regularis prætendat se per vim, & metum, ingressum esse religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superioris, non audiatur nisi intra quinquennium tantum à die professionis, & tunc non aliter nisi causas quas prætenderit deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. Quod si ante habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur, interim vero nullo priuilegio suæ religionis iuuetur.

Ex quo capite deduci potest nedum professionem factam ante legitimam ætatem, & ante completum probationis annum nullam esse, sed etiam quæ fit per vim, & metum, quod intelligi debet, de metu cadente in constantem virum, & ob hoc supra dictum est, requiri consensum nedum recipientis, sed etiam recepti. Et ad huiusmodi occasionem annullandi professionem tollendam, & propter ætatem, & propter metum seu vim, ordinata fuerunt infrascripta, & primo in Consti. cap. de modo profitendi scriptum reperitur.

In quolibet Conuentu habeatur liber particularis, in quo scribantur omnes qui faciunt professionem, ibi notando annum, diem, & mensem, & nomen Prælati recipientis ad professionem, & sub quo Magistro ordinis.

Sed apertius Clemens VIII. in institutione sua nouitiorum disponit hoc modo.

Superior cuiuslibet Conuentus in quo nouitiatus institutus fuerit, librum habeat, in quo vniuscuiusque nouitij professio registretur, illamque nouitius professus propria manu, & duo testes qui præsentes fuerunt, subscribant, Conuersus verò literarum ignarus propria manu signum crucis apponat; & hic liber cum aliis monasterij scripturis asseruetur.

Congregatio etiam regularium diffiniuit vt infra.

Ad tollendas omnes cauillationes in libro notetur nomen, & ætas illorum qui ad habitum, vel ad professionem admittuntur, & nouitius propria manu scribat ætatem suam, & sponte se esse professum. Et in corroboratione subscribant etiam qui professioni astiterunt.

Ex Constitutione etiam Sixti V. debent habere Prælati accuratam informationem de ætate recipiendorum.

Romæ etiam 1580. statuitur vt ætas recipiendorum annotetur.

Posset autem esse difficultas de impedimentis in nostra Constitutione expressis, num professionem annullent. De seruis quidem, & his qui ratiociniis reddendis obnoxij sunt, vide quæ superius dicta sunt cap. De quibusdam aliis requisitis à recipiendis in ordine, vbi satis haberi potest, quod recipi non debent, recepti autem retineri debent. De coniugatis vero post consummatum matrimonium doctores tradunt non posse eos religionem intrare reclamante vxore. Professi etiam alterius religionis cum debita licentia profiteri possunt in alia. Dubium autem esse potest de infirmis occultè, qui ob infirmitatem inhabiles sunt ad onera religionis sustinenda, vt si quis laboraret morbo gallico. Cui respondet Rodericus tomo 3. quæst. 17. artic. 9. & dicit professionem tenere, quia nihil est in tali infirmo quod essentialiter repugnet voto religiosorum, etiam si alia onera sustinere non possit, nec obstat quod Prælatus non recipiat eum ad professionem nisi sub conditione quod sit sanus, quia non omnis conditio annullat contractum, vt vir ducens in vxorem pauperem, cui tamen persuasum fuit esse diuitem, verum est matrimonium, ita &c. Vnde nec Prælati in ordine nostro cum inquirunt à recipiendis hæc impedimenta, protestantur de nullitate receptionis, siuè professionis, sed tantum dicunt, Si haberes tale impedimentum, non possemus te recipere.

Affert tamen Rodericus tomo 3. quæst. 17. art. 9. supracitato, Constitut. Leonis X. factam ordini minorum tenoris huiusmodi.

Leo X. concessit Generalibus, & Prouincialibus ord. minorum, vt fratres etiam professi, qui grauissimis, & scandalosis delictis, notati, & diffamati fuerunt, quæ fraudulenter, & dolosè in receptione, & professione (monitione per Prælatos emissa) tacuerunt, non obstante quod professionem emiserint, ne morbida, & infecta pecus ouile Domini corrūpat, à domibus, & Conuentibus expellere liberè, & licitè possint, & valeant.

At non ob hoc declaratur professionem iam factam nullam esse, sed tantum conceditur quod expelli possint.

De professionis præstantia.

CAPVT XXXIV.

IN decla. cap. de Professione dicitur. Religio vt dicit S. Bernardus, professores suos facit similes angelis, & dissimiles hominibus, imò imaginem Dei in homine ad instar baptismi reformat. Probabiliter enim tenetur quod per professionem consequitur religiosus remissionem omnium peccatorum, sicut per assumptionem crucis. Nam sicut homo posset tot eleemosynas facere, quot plenissimè de suis peccatis satisfaceret, iuxta illud Danielis 4. Peccata tua eleemosynis redime. Ita cum per professionem det homo omnia bona exteriora, quæ habet, & habere potest, vouendo paupertatem, & omnia bona corporis, vouendo castitatem, & libertatem voluntatis cum omnibus bonis animæ, vouendo obedientiam, quæ excedit quascumque eleemosynas, igitur per professionem consequitur homo remissionem peccatorum suorum.

Item

Item potest homo corpus suum per ieiunia, & disciplinas ac peregrinationes,& alias pœnitentias in tantum affligere, vt pro omnibus peccatis suis satisfaciat. At professio omne genus satisfactionis, peregrinationis, & pœnitentiæ excedit quantumcumq; publicæ, vt habetur 33.q.2.cap. Admonere. Igitur per professionem consequitur quis remissionem omnium peccatorum. Item professio ponit religiosum in statu perfectionis,dicitur autem propriè aliquis esse in statu perfectionis,non ex hoc,quod habeat actũ dilectionis perfectum,sed quia se obligat ad ea,quæ pertinent ad perfectionem. Vnde per professionem assumitur status perfectionis, non quasi profitentes se esse perfectos, sed quia profitentur se ad perfectionem tendere. Et hoc est,quod docet S.Tho.2.2.q.184.vbi dicit, quod perfectio vitæ Christianæ in dilectione Dei consistit, ita vt quanto quis perfectius Deum diligit, tanto perfectior Christianus est. Deus autem perfectè est diligibilis tribus modis, Primus est, cum diligitur tantum quantum ex sui parte est diligibilis, quomodo solus Deus perfectè seipsum diligit, nam sicut in se est infinitè diligibilis,ita seipsum infinite diligit. Secundus modus est ex parte diligentis, quando. s. quis Deum diligit toto suo conatu, ita vt actu semper eliciat actum dilectionis, quomodo soli beati in patria Deum diligunt. Tertius modus est etiam ex parte diligentis, & est quando,& si non semper actu feratur in amorem Dei, tamen excludit omnia repugnantia dilectioni Dei. Hæc autem repugnantia duplicia sunt, quædam, quæ repugnant ita, quod charitatem destruunt, vt sunt peccata mortalia; quædam, quæ non tollunt quidem charitatem, impediunt tamen ne affectus perfectè feratur in amorem Dei: Et hæc tria sunt. s. cupiditas terrenorum, quæ tollitur per votum paupertatis; concupiscentia sensibilium delectationum, quæ tollitur per votum continentiæ; & inordinatio voluntatis humanæ, quæ excluditur per votum obedientiæ: dicitur ergo religiosus esse in statu perfectionis per suam perfectionem, quia nedum excludit peccata mortalia, sed etiam quia per vota, excludit à se hæc impedimenta.

Effectus etiam mirabiles affert religiosis professio, nam liberat hominem à quocumque voto simplici antea facto, siue sit reale, siue personale, siue mixtum. De reali quidem, quia si vouerat dare eleemosynam alicui Ecclesiæ, alteri ab ea,in qua professus est, si ius à dicta Ecclesia fuerat acquisitum, tenebitur monasterium soluere de bonis professi; si autem ius acquisitum non fuerat, tenetur tantum Deo, cui seipsum donando per professionem,& omnia bona sua,satisfacit. De personali etiam,quia si vouisset voto simplici religionem arctiorem, & postea profiteretur in laxiori, liberatur ab illo, vt habetur, De regul. lib. 6. cap. penult. Sed si per votum solemne erat obligatus religioni arctiori, aut æquali,& sine licentia profiteatur laxiorem, non liberatur à primo voto solemni; Si autem cum debita licentia profiteatur laxiorem, liberatur voto arctioris. De mixto etiam; quia si vouisset peregrinari,liberatur ab eo per professionem, & hæc est doctrina S. Tho.2. 2.q. 88. art. 12. ad penult. vbi dicit, quod omnia alia vota sunt particularium operum, sed per religionem homo totam vitam suam Dei obsequio tradit; particulare autem in vniuersali includitur,& ideo religionem ingre-

diens, non tenetur implere vota ieiuniorum, orationum, vel aliorum huiusmodi, quia moritur vitæ priori. Subinde, professio liberat profitentem ab omni debito humano pecuniarum, siue ex delicto, siue ex contractu, vel quasi contractu, teneretur tamen monasterium satisfacere, quantum bona illius monasterio tradita sufficere possunt.

Postremo professio nostra liberat profitentem, nedum à foro laicali, sed etiam à quocumque foro ecclesiastico, tam quo ad bona, quam etiam quo ad personas, ita vt conueniri non possimus coram quocumque iudice extra ordinem, exceptis quibusdam casibus ex decreto Conc. Triden. de quibus infra. Sufficiat autem in huius asserti corroborationem id, quod habetur in bulla, quæ dicitur Mare magnum Sixti IV. s.

Ne locorum Ordinarij, vel alij quicumque in personas, & loca fratrum Prædicatorum quamcumque iurisdictionem, & superioritatem vendicare præsumant, districtius inhibemus, ne quispiam absque sedis Apostolicæ commissione, in personas, & loca dicti ordinis (vt potè exempta) excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias specialiter, vel generaliter promulgare, aut iurisdictionem quomodolibet exercere audeant, etiam ratione contractus, vel delicti, &c. Et decernimus tales sententias, processus, & pœnas, &c. nullas esse.

Cum autem professio sit votum solemne, quo quis se totaliter ad Dei seruitium exhibet, redditur impotens profitens ad contrahendum matrimonium, ita vt si de facto contrahat matrimonium nullum est. Et ex hoc habet, quod vocetur votum solemne ad differentiam voti simplicis, per quod, non se totum Deo exhibet, sed secundum aliquam actionem tantum, & ideo non impedit matrimonium contractum, &c.

De duplici professione tacita, & expressa.

CAPVT XXXV.

DVplicem esse professionem religiosorum nostri ordinis, colligitur ex decl. cap. de professione. s. est professio expressa, & tacita. Expressa, ea est, quæ fit in manibus Prælati verbis inferius, capite de modo profitendi, exprimendis. Hæc autem non eisdem verbis fit in omni religione, etiam si omnes, in tribus votis essentialibus conueniant, ex qua diuersitate sequitur, quod profitentes in aliis obseruantiis laxius, vel leuius obligentur, nam ex S. Tho. 2. 2. quæst. 186. art. 9. in aliquibus religionibus profitentes vouent seruare regulam, vt in ordine minorum. In aliis verò cautius se se habent, & vouent viuere secundum regulam, quod est tendere ad hoc, vt mores suos informent secundum regulam tanquam secundum exemplar, quod tollitur per contemptum; In quibusdam vero religionibus vouent profitentes obedire secundum regulam, ita quod professioni illorum non contrariatur, nisi id, quod est contra præceptum regulæ, transgressio vero & omissio aliorum obligat solum ad veniale. In religione autem Prædicatorum, transgressio, & omissio eorum, quę non traduntur sub pręcepto, non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem, sed tantum ad pœnam taxatam, vel ta-

xandam, quia per hunc modum se obligant profitentes. Qui tamen possent, vel mortaliter, vel venialiter peccare, si ex contemptu, aut negligentia, siue ex libidine transgrederentur, vel omitterent.

Professio vero tacita, ea est, quæ in ordine nostro incurritur, cum quis habitum nostræ religionis per annum integrum, & continuum portauit, & annum ætatis suæ decimum sextum compleuit, & Conuentus non reclamauit. Et hoc idem fit in quacumque religione, in qua habitus nouitiorum non distinguitur ab habitu professorum patenter, vt puta in scissura, aut colore, quamuis esset distinctus distinctione occulta, puta in benedictione. Et talis professio tacita, obligat profitentem illi religioni in specie, cuius habitum per annum portauit, vt habetur in Clem. Eos, de regularibus.

De hac professione tacita, quam vocant votum interpretatiuum, dicit S. Tho. 4. dist. 38. q. 1. art. 3. quæst. 1. ad 5. Votum interpretatiuum obligat sicut & votum oretenus factum, vnde si aliquis post tempus probationis remanserit in monasterio, obligatur ex voto illi religioni, nisi forte propter aliquam causam fuerit sibi annus protractus. Et huiusmodi profitentes ad tria vota religionis tenentur, ad alias vero obseruantias, quarum transgressiones, ex dissimulatione Prælatorum, qui eos non corrigunt sufferuntur, non videntur obligari præcipuè, si sint simplices, qui talia discernere sufficienter nesciunt. Et in eadem dist. & quæst. art. 2. quæst. 3. ad 2. dicit quod in illis religionibus, in quibus habitus nouitiorum differt ab habitu professorum, etiam si vltra annum probationis habitum retineat nouitius, non incurrit professionem tacitam, neque etiam si ipse à se habitum professorum reciperet, sed oportet, vt ei tradatur ab eo, qui potestatem habet, quo casu professionem tacitam, siue præsumptam incurreret, etiam si verba professionis non promeret.

Habetur hæc professio tacita in nostris Constitutionibus cap. de Nouitiis, vbi dicitur quod Prælatus nouitio cui professionem prolongare contigerit protestetur, quod statim elapso termino sibi taxato, nisi cōtradictū ab ipso, vel à religione fuerit, incurret professionē, etiāsi aliter non profiteatur.

Est autem sciendum ex Roderico q. 17. art. 3. tom. 3 quod si nouitius emisisset professionem completo anno probationis, ante annum decimum sextum completum suæ ætatis, professio illa ex decreto Conc. Trident. nulla esset, si vero hic nouitius completo anno sexto decimo approbaret, & consentiret huic suæ professioni tacite, incurreret etiam professionem tacitam, absq; alio actuali consensu Conuentus, nam profiteretur in virtute prioris consensus non interrupti per contrariam protestationem, & ex tunc ea, & non antea professio valida esset, propter quam doctrinam cum in cap. Neapolitano 1600. declaratum fuisset, quod si contingat aliquem sine fraude, sed bona fide emisisse professionem inualidam, & postmodum suppletum fuisse defectibus per professionem tacitam, vel etiam expressam, locum eius accipiendum esse à prima professione, etiam si esset inualida, dummodo iuridicè constet eum fuisse in bona fide, & sine fraude professum. Hæc declaratio deleta fuit in actis illius capituli ex commissione D. Papæ. Si vero aliquis mala fide professionem fecisset ante tempus statutum, & illo comple-

to, eam ratificaret, tacite valeret professio, quamuis ante quinquennium proclamare posset in foro iudiciali. Si vero eam suo tempore expresse ratificasset verbis solitis, non posset reclamare.

Resolutio quorundam casuum de validitate professionis.

CAPVT XXXVI.

DVæ difficultates emergere possunt in professione, altera quoad intentionem profitentis, altera quoad conditiones voto appositas. Circa vtramque ponamus casus iuxta ea, quæ habentur in declatationibus cap. de professione.

Si quis expresse profitetur, proferendo verba statuta cum intentione bona obligandi se ad seruanda vota religionis, & alia promissa, professio tenet, & ei non licet amplius retrocedere.

Si quis expresse profitetur cum mala intentione. s. non obligandi se ad vota, & alia, hic in conscientia non est religiosus, nec professio tenet, quamuis per Ecclesiam, quæ non interiora, sed exteriora iudicat, cogeretur manere in claustro. Sicut etiam contrahens matrimonium carnale per verba de præsenti, non intendens mente contrahere, cogeretur manere cum ea, quæ tamen vere non esset eius vxor.

Si quis expresse profitetur cum hac bona intentione se obligandi ad religionem, & fieri religiosum, male tamen intendens non seruare castitatem, & obedientiam quam promittit, sed intendens fornicari, furari, & rebellare, iste religiosus efficitur, & professio tenet, quia ex quo intendit se obligare religioni, habet id quod est de essentia religionis: obligatio enim votorum, & non illorum obseruantia, de essentia religionis est.

Si quis profitetur expresse & nedũ habet hãc malã intẽtionem non obseruãdi vota, sed addit protestationem de facto contrario, aut repugnãte votis professionis, nõ tenet professio, vt exempli gratia si diceret. Proferam verba professionis, sed protestor me non habere intentionẽ obligandi me religioni, aut obseruandi vota, sed intẽdo fornicari, &c. Ecclesia iudicaret hũc non esse professum, quia hæc expressa nocẽt, quamuis non expressa non noceãt.

Si quis expresse profitens, exprimeret aliquid quod esset non contra essentialia religionis, sed contra quasdam particulares austeritates, vt si diceret. Promitto obedientiam, &c. sed volo comedere carnes, aut intendo vti lineis ad carnem, tunc opus est distinctione, nam, aut hic scit talia contineri in regula, aut nescit, si scit tenetur illa seruare, & illa apposita expressio nulla est; si verò nescit professio tenet, at non tenetur illa seruare.

Si quis expresse profitetur in monasterio viuente splendide, contra statuta regulæ, etiam hic distinctione opus est, nam si talis profitens protestatur se velle viuere dicto modo splendido cõtrario statutis regulæ, &c. non in maiori austeritate, tũc professio tenet, & non potest ad seculum redire, poterit tamẽ ad laxiorẽ ordinẽ transire. Si vero hic non protestetur, sed habeat tantum intentionẽ viuendi splendide, etiam tunc distinguendũ est, nam hic, aut peritus est, aut simplex: si peritus. s. sciens talem viuẽdi modum esse contrarium regulæ, & aliter agendum esse, tenetur regulam seruare, quia non.

promisit seruare id quod fit, sed id quod fieri debet. Si autem profitens simplex fuerit, etiam non eodem modo est respondendum. Nam si fuit à Superiore admonitus talem viuendi modum esse contra regulam, eo casu tenebitur illas austeritates seruare, & viuere secundum regulam. Si autem de his admonitus non fuit, neque sciebat talem viuendi modum quem in monasterio expertus est esse contrarium regulæ, neque super his aliquam protestationem fecit, sed absolute professus est iuxta formam, tenebitur austeritates religionis seruare etiam si dolo, & cum mendaciis fuisset ad talem religionem inductus, quia eius conditio per professionem melior facta est, vt dicitur in cap. Cum dilectus, extra. Quod metus causa.

In his tamen casibus in quibus intentio siue protestatio versatur, non circa vota essentialia, sed circa austeritates, professio valida semper existimanda est. Et ad effugiendas has cauillationes præter annum probationis, in quo Superiores agere deberent, vt nouitij experirentur omnes ordinis austeritates, tenentur ipsi Prælati in actu professionis nouitiis protestari, quod professio sua eos obligabit ad viuendum secundum regulam, & Constitut. & non secundum quod hodie, hic, vel ibi, seruatur, vt habetur cap. de Nouitiis.

D. Tho. 2.2. q. 88. art. 3. ad 2. alium casum soluit dicens. Ille qui vouit, voto simplici intrare aliquod monasterium, ita tamen quod intentio sua principalis fuerit effici religiosus in communi, & ex consequenti tale monasterium elegit tamquã sibi congruentius, debet illud intrare, quod si nolit Prælatus eum recipere, aliud quærat. Si autem principaliter intendit se obligare ad hanc religionem, vel hunc locum propter specialem complacentiam, nõ tenetur aliam religionem intrare, si illa eum recipere recusat.

De modo faciendi professionem.

CAP. XXXVII.

Modus faciendi professionem talis est, Ego F. N. facio professionem, & promitto obedientiam Deo, & B. Mariæ, & B. Dominico, & tibi, F. N. Magistro ordinis fratrum Prædicatorum, & successoribus tuis, secundum regulam B. Augustini, & institutiones fratrum Prędicatorum, quod ero obediens tibi, tuisque successoribus vsque ad mortem. Cum autem fit alij Priori cuicumque sic facienda est:

Ego F. N. facio professionem, & promitto obedientiam Deo, & B. Mariæ, & B. Dominico, & tibi F. N. Priori. N. vice, F. N. Magistri ordinis fratrum Prædicatorum, & successorum eius secundum regulam B. Augustini, & institutiones fratrum Prædicatorum, quod ero obediens tibi, tuisque successoribus vsque ad mortem.

Nouitiorum autem vestes hoc modo benedicantur in profes-

sione. Verſ. Oſtende nobis Domine, &c. Dominus vobiſcum, &c. Oremus. Domine Ieſu Chriſte, qui tegimen noſtræ mortalitatis induere dignatus es, obſecramus immenſæ largitatis tuę abũdantiam, vt hoc genus veſtimentorum, quod ſancti Patres, ad innocentiæ, & humilitatis indicium ferre ſanxerũt, ita benedicere digneris, vt qui hoc vſus fuerit, te induere mereatur Chriſtum Dominum noſtrum, &c. Amen. Poſtmodum aſpergantur aqua benedicta. In quolibet Conuentu habeatur liber particularis in quo ſcribantur omnes, qui faciunt profeſſionem, ibi notando annum, menſem, & diem, & nomen Pręlati recipientis profeſſionem, & ſub quo Magiſtro ordinis.

Ex formulario ordinis talis ſolet ſeruari modus in profeſſione emittenda. Infra poſtremos duos menſes anni probationis, admoneantur Nouitij de decreto Concil. Trid. circa renuntiationem bonorum ſuorum faciendam, à qua nullo modo deterreantur, vt fuit ordinatum Valleoleti 1605. Infra quod tempus ab examinatoribus examinentur modo quo ſupradictum eſt, cum agebatur de illorum receptione. Et facta per eos relatione in capitulo, Prior mandet Magiſtro, vt referat quomodo illi ſe habuerint. Qui fideliter referat, & mores, & aptitudinem illorum ad religionem dicens, quid ipſe ſentiat, & poſtea Prior requirat conſenſum capituli. Quo accedente, completo anno probationis, abſque hoc quod vna dies ſuper addatur, quia hoc nuſquam legitur, Magiſter ducat eos in capitulum ante Priorem, & facta proſtratione, ac per eos petita miſericordia Dei, & noſtra, vt fit in illorum receptione, & propoſitis per Priorem auſteritatibus religionis, & impedimentis, vt ſupra, ac illis promittentibus ſe velle cuncta ſeruare Dei auxilio fauẽte, Prior dicat Dominus, qui incepit ipſe perficiat, & Conuentus dicat Amen. Tunc nouitij genua flectant ante pedes Prioris, & accipiens manus ſingulorum nouitiorum ſigillatim inter manus ſuas, & poſito libro Conſtitutionũ ſuper manus vtriuſque qui profitetur legat, Ego frater N. &c. Et poſtea Prior ſolus recipiat eos ad oſculum pacis, & deinde benedicat ſcapulare iuxta formam Conſtitutionis, & illud eis tradat. Deinde notetur in libro dies menſis, & annus talis profeſſionis emiſſæ, necnon & nomen Magiſtri ordinis, & Præſidentis, qui eum ad profeſſionem admiſit. Et ipſi profeſſi propriis manibus notent ſe ſponte profeſſionem feciſſe, vt ſupradictum eſt.

Perpendenda autẽ ſunt ſingula profeſſionis verba. Primo autem omnium profeſſio noſtra Deo fit, cui fit omnis promiſſio voti, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 88. fit etiam beatæ Mariæ, quia multoties, & multipliciter compertum eſt ipſam ſpecialiter ordinem noſtrum regere, & protegere. Ipſa enim à filio ſuo contra mundum irato impetrauit, vt ordinem hunc inſtitueret, qui homines à peccatis, & erroribus ſuis reuocaret, & ad Dei cognitionem, & dilectioné reuocaret. Ipſa etiam tanquam ordinis veſtiaria B. Reginaldum ad ordinem induxit, & habitum eius illi oſtendit prima, dicens. En habitus tui

ordinis. Ex quo tempore, & B. Dominicus, & alij hunc habitum portarunt, cum antea induerentur ad modum Canonicorum regularium. Est etiam B. Virgo singularis aduocata, & piissima parens, & patrona ordinis semper pro nobis exoratrix apud Deum, & pluries ab angustiis, & tribulationibus eum defendit.

Profitemur B. Dominico, quia fuit primus dux fundator, & Magister ordinis. Quem B. Virgo tanquam fidelem, & ducem strenuum ad impugnandum errores, & vitia filio præsentauit. Quem Apostoli Petrus, & Paulus ad prædicationis officium esse à Domino destinatum iocundissimis signis ostẽderunt, quia cum Romæ in Ecclesia sancti Petri attentius oraret, apparuerunt ei, Paulus librum, Petrus vero baculum porrigentes, quasi geminas claues scientiæ. s. & potentiæ, dixerunt. Vade, prædica, quoniam ad hoc ministerium electus es à Domino Quem etiam gloriosi confessores Augustinus, & Benedictus, regularibus disciplinis instruxerunt, & idoneum ad prædicandum reddiderunt, quia ab vno regulam, ab altero vero austeritates ieiuniorum, abstinentiæ, vestitus, & silentij accepit, quibus, & alias instiutiones addidit, vt de non habendi possessiones, de non equitando, &c. Vnde S. Dominicus fuit canonicus professione, monachus austeritate, & Apostolus officio prædicationis. Quem Innoc. III. diuina reuelatione eductus, illum & eius fratres Ecclesiam illuminare, & reparare, debere cognouit, eum in sancto proposito & instituendo ordine Prædicatorũ confirmauit, ac eius zelum pro animarum salute approbauit & locum S. Sixti Romæ illi concessit. Quem Honorius III. Innocentij III. successor, benigne suscepit, & eius ordinem confirmauit, facultatemque prædicandi, & confessiones audiendi præbuit. Quem ven. Abbas Ioachim, ante eius ortum, fratribus suis in eo habitu quo nunc vtimur, monstrauit, & Calabriæ in quodam suo monasterio, ac Venetiis in Ecclesia S. Marci pingi curauit, & prædixit citò surrecturum nouum ordinem prædicantium cum eo habitu, cui præerit vnus aliis maior, & cum eo erunt duodecim socij, qui sicut Iacob cum duodecim filiis Egyptum ingressus, mundum illustrabit, & suos fratres adhortatus est, vt illos aduenientes cum reuerentia, & honore susciperent. Quod & fecerunt, nam quando primo fratres nostri ad illas aduenerunt partes, eos ex habitu præmonstrato cognouerunt, & processerunt obuiam eis cum crucibus, & canticis, gratissimè eos suscipientes, & humanissimè tractantes. Quem Gregorius 9. Sanctorum cathalogo ascripsit, & tale testimonium Cardinalibus perhibuisse fertur Tantum de huius viri sanctitate dubito, quantum de sanctitate Petri, & Pauli Apostol. Et in bulla canonizationis eius, multis encomiis illum extollit.

Promittimus autem obedientiam Magistro ordinis, aut Præsidenti Conuentus eius nomine, vt vnitas ordinis seruetur, quæ ab vnitate capitis, cui omnes obedire tenemur, dependet. Ipse que est proprius, & immediatus Prælatus omnium fratrum, & Conuentuum totius ordinis, & potest omnes Prælatos, & officiales instituere, & destituere, & eorum officium, & auctoritatem limitare. Qui statim, vt electus est, curam habet omnium animarum fratrum ordinis, & eos potest auctoritate propria ligare, & soluere, ex priui-

legiis Apostolicis infra dicendis.

Regulam autem profitemur S. Augustini, quæ inter omnes regulas sub quibus religiosi Deo militant in Ecclesia occidentali, præstare videtur pluribus rationibus, Primò, ratione exemplaris à quo desumpta est, quæ est vita Apostolorum, vnde de ea canit Ecclesia, Cœpit viuere secundum regulam à sanctis Apostolis constitutam. Secundo ratione sui auctoris, nam S. P. Augustinus, fuit auctoritate Episcopus, vita sanctiss. & scientia præstantiss. alij vero regularum auctores, & si fuerunt sancti, non tamen doctores, & si doctores non tamen Episcopi. Tertiò ratione antiquitatis, nam inter antiquiores connumeratur regula S. Benedicti, quo fuit antiquior, S. Augustinus, qui obiit anno 420. S. vero Benedictus, anno 509. Quarto ratione discretionis. Aliæ enim regulæ indiguerunt declaratione, vel interpretatione, aut etiam moderatione, vt potè quia erant, vel nimis obscuræ, aut dubiæ, aut rigorosæ, siue periculosæ. Hæc autem mediocritatem seruat, quæ nec multitudine, aut paucitate, nec obscuritate, aut rigiditate mandatorum in extremum flectit, nec eget Pontificum declaratione, aut moderatione. Quintò ratione materiæ, quia consistit circa spirituales actiones, sicut est dilectio Dei, & proximi, vnitas cordium, conformitas morum, castitas corporum, communitas rerum, studium scripturarum, correctio vitiorum, & Prælatorum obedientia, vt in ea patet. Sexto ratione dilatationis, quia sub eo militant Deo religiones diuersæ, inter quas istæ sunt, quæ adhuc in Ecclesia splendent s. religio, Canonicorum Lateranensium, Præmonstratensium in Gallia, Selopetinorum siu e S. Saluatoris, S. Georgij in alega, S. Spiritus Venetiis, S. Trinitatis, siue Redemptionis in Hispania, S. Ambrosij Mediolani. Item religio fratrum Prædicatorum, eremitarum, Cruciferorũ, Seruorum, Iesuatorum, Clericorum regularium Somasche. Item religio equitum Hierosolymitanorum, S. Lazari, S. Iacobi Teutonicorum, & aliæ quamplures.

Institutiones fratrum Prædicatorum nominamus in nostra professione, quæ sunt valde securæ, & rationabiles, qui obligant tantum ad pœnam, non autem ad culpam, nisi adsit præceptum, vel contemptus, vel nisi alias transgressio sit contra legem diuinam, aut humanam, aut contra vota substantialia religionis, de quibus supra cum ageretur de instructione nouitiorum circa obedientiam. Quas institutiones tamquam honestas, & rationabiles, cõfimarunt quamplures summi Pontifices, vt videre est in Mari magno, maximè Alex. 4. Clem. 4. Nicolaus 4. Bonifacius 8. Benedict. 11. Ioan. 22. Gregorius 11. Martinus 5. Eugenius 4. Sixtus 4. &c.

Si autem eo tempore quo quis professionem facit, ordo suo Magistro careret, debet profitens dicere, Promitto tibi fratri N. Priori vice Magistri ordinis, sine alicuius nominis expressione.

Benedictio vestium in professione desumpta est, ex cap. statuimus extra. de regularibus in quo ita habetur.

Statuimus, vt in religionibus, vbi non est distinctus habitus nouitiorum ab habitu professorum in professione vestes illorum .i. scapulare, benedicantur, vt sic sit distinctus habitus illorum.

Et

Et quia in nostro ordine idem est habitus nouitiorum, & professorum, idcirco in professione debet benedici scapulare, & quandocumque sibi de nouo datur à Prælato cuius oppositum hodie fit, vel per ignorantiam, vel per abusum.

De nouitÿs professis.

CAP. XXXVIII.

CLemens 8. in sua nouitiorum institutione de nouitiis professis hæc statuit.

Vt autem nouitij iam in numerum professorum admissi, melius in regularis disciplinæ obseruantia stabiliantur, mandatur vt statim post professionem in domum aliam professorum, siuè eiusdem siue alterius monasterÿ transferantur, in qua requisita ad nouitiatum supra narrata reperiantur, aut accõmodentur, & in ea degant sub modo viuendi arctiori, quam seruent antiquiores professi. Ita quod in negotiis Conuentuum non se intromittant, nec exteriores obedientias exerceant. Et in hoc nouitiatu permaneant quousque ad ætatem sacris ordinibus suscipiendis sufficientẽ deuenerint, vel saltẽ per triennium post professionem, quo tempore debebunt literarum studiis operam nauare, sub regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Magistrum prædictum esse supradictum est. Ab hoc tamen illæ religiones excipiuntur, quæ suarum Constitutionum vigore, maioris temporis cursu intra nouitiatum continere consuescunt, quibus in in hac parte non derogatur.

Varia autem in ordine statuta sunt pro eo tempore, quo sub cura Magistri permanere debeant professi nouitij, nam Bonon. 1564. dicitur. A cura Magistri iuniores ante quadriennium nullatenus subtrahantur, salua illarum prouinciarum consuetudine in quibus vsque ad sacerdotium curæ magistrorum subiecti sunt. Hoc idem confirmatur Venetiis 1592. Barch. vero 1574. habetur, Nouitij professi non de facili amoueantur à cura Magistrorum, nec soli ire permittantur, sed grauibus patribus associentur, sub cura prædicta vsque ad sacerdotium recepti, & deinceps recipiendi permaneant, nec possint ab ea subtrahi quauis ratione, aut auctoritate, sub pœna absolutionis ab officio quibuscumque id agentibus, & consentientibus. Quod in vniuerso ordine nulla prouincia excepta obseruari volumus. Romæ 1589. publicata fuerunt, quædam oracula viuæ vocis D. Sixti V. Inter quæ hoc dicitur, Nouitij professi ab illa aut consimili religiosa societate, & à cura Magistri nouitiorũ non amoueantur, ad minus post triennium integrum ab emissa professione. In cap. autem Romano 1608. habetur. In posterum Nouitij post emissam professionem maneant in domo nouitiorum, & sub cura Magistri vsque ad sacerdotium, nec ante illud tempus, vel extra domum nouitiorum, vel à cura sui Magistri subduci possint, sic tamẽ vt Nouitij non professi adhuc in loco seiuncto, & separato seorsum à societate, & conuersatione professorum educentur, quãuis nouitius postquam fuerit professus poterit cum aliis puris Nouitiis in eorũ societate, & loco manere per aliquod tẽpus (quod tamen annũ non excedat,) & cõmorari, ac si nouitius purus esset antequã ad locum professorũ transeat. Porrò ad Ecclesiam, chorũ, refecto-

riumque & ad alia publica loca, tam puri quam professi, simul conueniant. Quæ laudabiles consuetudines cum in multis prouinciis hactenus vigeant, exacte in omnibus aliis seruari mandamus. Et deinde Nouitij post professionem poterunt ad studia admitti, illorum tamen lectores, nullo pacto negociis, & gubernationi eorum se immisceant, aut ipsos contra suos Magistros defendant, aut pænitentias illis impositas impedire procurent, neq; vllo pretextu domos illorum ingrediantur, neq; etiam causa repetendi lectiones aut explicandi dubia, sed omnia ista fiant in publica schola, nec cum eis nisi in schola, & de rebus ad studium pertinentibus loquantur sine licentia Magistri. Qui vero contrafecerint officio lectorum, & voce actiua, & passiua priuentur. Idem confirmatur Parisiis 1611. Venetiis 1592. habetur, Nouitiis post primum annum non dentur lectores qui non sint religiosorū morum, modesti, & graues, qui nihilominus tantummodo cum illis causa eos docendi, statutis horis non aliter nec alias tractare debebunt. Et Valeoleti 1605. Claues nouitiatus Lectores non habeant.

Censendi autem sunt Nouitij professi filij illius Conuentus pro quo professionem emiserunt, quod si in vno Conuentu recepti fuerint ad habitum aut pro eo, & ad alium missi fuerint pro educatione profitebuntur nomine primi, non autem nomine secundi. Ita enim disponit Constitut. cap. de Recipiendis his verbis, Nouitij recepti in vno Conuentu transmittantur ad alium, in quo profitebuntur, pro Conuentibus tamen in quibus habitum receperunt, & à quibus de vestibus prouideri eis solet. Et in decl. eiusdem cap. de Recipiendis decernitur, quod Nouitij ad illos Conuentus pertinent perpetuo in quibus, vel pro quibus fuerunt recepti, nec debent in alienis Conuentibus ad professionem recipi, nisi de voluntate illorum Conuentuum pro quibus sunt recepti ad ordinem, nec Prouinciales habent facultatem declarandi aliquem fratrem ad alium Conuentum pertinere, quā ad eum pro quo professus est, nisi per assignationem consuetā.

Et Romæ 1589. in oraculo viuæ vocis Sixti 5. ibidem promulgato habetur. *Vt nouitij transmissi ad alium Conuentum, peracto anno probationis, professionem facient, pro illis tamen Conuentibus in quibus habitum ordinis susceperunt.*

Et cap. Barch. 1574. & sequenti Romano 1580. declaratum fuit, vt nouitius receptus ad habitum in vno Conuentu, si transmittatur ad alium in quo professionem emittat, erit filius illius Conuentus, in quo habitum suscepit, etiam si faciat professionem non requisito illo Conuentu, in quo habitum suscepit.

De Conuersis.

CAP. XXXIX.

EOdem tempore surgant Conuersi, quo & cœteri fratres, & eodem modo inclinent. Cum surrexerint ad matutinas, dicāt, Pater noster, & Credo in Deum, &c. quod faciendum est etiam ante primam, & post completorium. In matutinis dicto, Pater noster, & Credo, erigant se dicendo, Domine labia mea aperies. Pro matutinis in profestis diebus dicant viginti octo, Pater noster,

deinde, Kyrie eleison, Christe, &c. Kyrie &c. Pater noster: quo dicto addant, Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c. deindè, Benedicamus Domino, &c. In vesperis verò, quatuordecim, Pater noster dicant: in aliis autem horis septem. In festis autẽ nouem lectionum, pro matutinis, quadraginta, Pater noster, dicant. Et hoc sub silentio, in Ecclesia, aut vbicumque fuerint. Loco Preciosa dicant tria Pater noster: pro benedictione mensæ, Pater noster cũ Gloria patri, &c. Post mẽsam pro gratiarũ actione, idẽ, vel Miserere mei Deus, &c. qui sciunt Psalteria nõ habeant, nec alioslibellos.

Indumenta tot habeant, quot cæteri fratres, præter cappas, loco quarum habeant scapularia longa & lata vsque ad iuncturam inter pugnum, & brachium, quæ etiam non sint alba, sicut tunicæ, sed similis coloris cappis clericorum, possunt, & breuia grisei coloris habere scapularia, ad mensuram scapulariorum nostrorum.

De Ieiuniis, cibis, abstinentiis, culpis, & aliis omnibus, sic se habeant sicut & clerici. In labore tamen cum eis poterit Prælatus dispensare. Soli non vadant, sed cum socio Clerico vel Conuerso.

Hinc sunt colligenda omnia quæ de Conuersis sparsim habentur.

Quo autẽ ad illorum receptionẽ Constitutio cap. de recipiendis hæc habet.

Conuersum non recipiat Prouincialis, nec aliquis de eius licentia, nisi de consensu Prioris, & duarum partium fratrum qui sunt de Conuentu pro quo recipiendus est. Nec Conuentus aliquem Conuersum recipiat, sine licentia Prouincialis, nec recipiatur infra decem, & octo annos ætatis suæ.

Ex declarationibus autem prædicti capitis, habetur quod cum fratres cõuersi sint vocati ad opera corporalia exercenda in Conuentibus, vt in sudore vultus sui vescantur pane suo, & homines communiter non sunt apti ad huiusmodi opera infra ætatem decem & octo annorum, ideo recipiendi in conuersos debent esse ætatis prædictæ. Quinimo Clem. 8. in illa sua institutione nouitiorum de conuersis dicit.

Tempore vero probationis elapso, quia religiosæ perfectionis capaces sunt, & ad laborem corporalem apti, dummodo ætatis suæ annum vigesimum primum excesserint, professionem emittant, &c.

In decl. præsentis capituli dicitur. Debent autem conuersi recipi in capitulo clericorum, & ibi debet dici in verbis. Veni creator Spiritus, &c. In cap. Veneto 1592. ordinatur, vt in vnaquaque Prouincia curent Prouinciales conuersos, vel Tertiarios recipi ad habitum, qui religiose educati Conuentibus in exercitiis manualibus inseruire possint, sicq; secularium quoad fieri possit, commercia tollantur, quæ radices sunt plurium malorum. In capit. autem Valentino statutũ fuerat, vt nullus in posterum immediate ad habitum conuersorum reciperetur, sed Tertiarij primo fierent, & per quadrien-

nium ad minus in tali habitu probarentur, vt ex eorum moribus dignoscerentur, num scapulari digni essent, sed Neapoli 1600. reuocatum fuit huiusmodi statutum. Et Valleoleti 1505. confirmatum fuit quod alias etiam fuerat ordinatum, vt conuersis daretur Magister specialis, qui eos instruere posset in cultu diuino, & ceremoniis ordinis, & aliis ad illorum statum, & officium pertinentibus. Et Clemens 8. de eis ita disponit.

Ipsi autem conuersi non recipiantur ante vigesimum ætatis suæ annum, & nisi saltem præcipua doctrinæ Christianæ capita sciant.

De translatione conuersorũ ad statũ clericorum Constitutio ita disponit. *Cap. de Recipiendis.*

Conuersus receptus non fiat clericus sine licentia speciali Magistri ordinis.

Ex decl. vero eiusdem capitis, colligitur apertius, Prouinciales non posse talem concedere licentiam, & Bononiæ 1564. additur, vt nec per Magistrum ordinis talis facultas concedatur, nisi adsit iusta, & rationabilis causa, quam ipse solus iudicare possit. Et Barchinone 174. idẽ repetitur includendo etiam Tertiarios, & irritum decernitur si quid in contrarium factum fuerit, quod & Romæ 1580. confirmatum fuit. Et ibidem 1589. vltra nullitatem receptionis, apponitur pœna priuationis vocis, actiuæ & passiuæ recipientibus eos in clericos, sine scitu Mag. ordinis. Quinimo illi P.P. Diffiniiores rogant Magistrum ordinis, ne talem facultatem præbeat, ob multa inconuenientia, quæ inde emanant Et Neapoli 1600. declaratur iuxta alias ordinata, vt nullus conuersus fiat clericus, sine licentia Magistri ordinis, & quod si quis conuersus seipsum tali habitu induere ausus fuerit, & quod peius est sacros ordines fraudulenter susceperit, habitu etiam conuersorum priuetur, & Tertiarius toto tempore vitæ suæ permaneat, & ab executione susceptorum ordinum suspensus sit & perpetuo inhabilis, nec possit restitui, nisi per capitulum generale, & seuerius etiam puniatur.

Et postremo Romæ 1608. hæc emanauit ordinatio. Nullus conuersus siue in sua siuè in aliena Prouincia, fiat clericus nisi de licentia Magistri ordinis, quẽ obnixè deprecamur, vt huiusmodi licentias raro, & nisi in cõmune bonũ religionis concedat, cũ alioquin multa inconuenientia oriri soleant, & maxima. Insuper prohibemus, ne conuersi dent operam literis vt fiant clerici, nec vllus eos patres appellet, & qui deliquerit sedeat in terra in pane, & aqua. Conuersi vero qui habitũ clericalẽ suscipient, nullo pacto sacris ordinibus initientur, sine licentia Magistri ordinis, sed in suis exercitiis conuersorum inseruiant. Bononiæ 1564. ordinatur, vt de cetero nullus conuersus sub habitu alto recipiatur. Et Valentiæ 1596. imponitur fratribus, vt abstineant titulo paternitatis, aut patris, siue Reuerẽtiæ, cũ Cõuersi tractantes, sub pœna vt supra, si vero contigerit hac de causa Conuersũ nolle ministrare, in his quæ spectãt ad officium suũ, id Superiori referatur, cui sub pœna absolutionis ab officio mãdatur, vt talẽ Cõuersum scapulari per mẽsẽ irremissibiliter priuet.

Idem Clemens 8. in institutione vt supra dicit.

Qui ad conuersorum habitum recepti fuerint, ad clericorum statum etiam du-

rante probationis anno transire non possint. Et cum emiserint professionem, se in libro subscribant, vt de clericis dictum est, si vero literarum ignarus est, signum crucis apponat, & testes assistentes subscribant.

Taliter autem translati locum teneant infra omnes, qui habitum clericalem ante ipsos susceperunt, vt in hoc capitulo declaratur, & ex decl. cap. de recipiendis, non habebunt vocem in quacumque electione, neque etiam ad ea, quæ mittenda sunt ad capitulum generale, aut prouinciale, ante quinque annos completos, à die receptionis habitus clericalis: & Valleoleti statuitur, tales translatos non habere vocem in electionibus canonicis, nisi post duodecim annos completos, à susceptione habitus clericalis. Si autem aliquis frater clericus esset defectuosus, & ineptus ad officia clericorum, posset per Prælatos exigente culpa, priuari habitu, & gratiis clericorum, & fieri conuersus, dummodo ad sacros ordines non fuerit promotus. Et si sit aliquis nobilis ignarus literarum, qui propter eius nobilitatem, reciperetur ad habitum clericorum, talis non teneretur ad horas canonicas, sed tantum ad, Pater noster, nec posset eligere, aut eligi, nec vti aliis gratiis clericorum, præcipuè si sit facta protestatio, quod ad officia clericorum, non teneatur.

De officio diuino per conuersos recitando, præter ea quæ in textu notata sunt, ex declarationibus hæc obseruent. Quoties dicunt Pater noster pro horis, toties etiam Salutationem Angelicam dicere debent. Neque alias tenentur horas canonicas clericorum recitare, quia quamuis professi sint, & ex eleemosynis viuant, tamen pro temporalibus, & corporalibus exercitiis assumuntur, vt in sudore vultus sui vescantur pane suo, & ideo eis sufficit breuiter dicere sua. Pater noster, & audire quotidiè missam, & ad completorium, vel saltem ad Salue Regina, nisi magna necessitas excuset, quotidie conueniant. Præter autem prædicta, Pater noster dicenda pro horis, tenentur etiam ad suffragia pro mortuis, de quibus supra parte 1. capite. De suffragiis mortuorum, quæ habet de ipsis hæc verba.

A festo S. Dionysij vsque ad Aduentum, pro anniuersario fratrum, sororum, familiarum receptorum ad beneficia ordinis Laici quingenta Pater noster dicant. Idem dicant pro defuncto fratre sui Conuentus. Idem fiat per totum ordinem pro Magistro ordinis, & à comprouincialibus pro suo Prouinciali defuncto, & in toto ordine pro Diffinitore capituli generalis, vel socio eius, aut pro electore Magistri ordinis, & socio Prouincialis euntis ad idem capitulum generale, si aliquem eorum in via, vel in ipso capitulo mori contigerit. Idem etiam fiat pro Procuratore ordinis, si in officio procurationis decedat, & pro Visitatore à domibus quas visitare debet, si in visitatione decedat. Et quilibet conuersus in anno pro fratribus, & sororibus defunctis, triginta vicibus dicat centum Pater noster.

Et Valleoleti additur, vt quilibet conuersus pro defuncto fratre suæ pro-

uinciæ, dicat Roſarium B. Virginis. In capitulo autem Salmaticenſi 1551. auctoritate Apoſtolica de orationibus conuerſorum ita decernitur. Pro ſubleuandis conuerſis, tam fratribus quam monialibus, qui magis pro ſeruitute aliorum recepti ſunt, quam pro officio diuino, ſtatuimus vt pro matutinis loco viginti octo, vel quadraginta Pater noſter, dicant, tam diebus trium lectionum, quàm nouem tantum viginti quatuor: Pro Veſperis duodecim, pro ſingulis aliis horis ſeptem. Pro ſuffragiis, loco quingentorum dicant quinquaginta, & vbi dicitur quodquolibet anno dicant triginta vicibus centum Pater noſter, ſufficiat eis ſingula vice dicere tantum vigintiquinque, & ita dicit corrigendum eſſe Conſtitutionis textum, quod tamen adhuc factum non eſt.

Quo vero ad habitum ſtatuitur Venetiis 1592. vt omnes fratres maximè conuerſi pedeſtres incedant. Ocreas, & penulam quam vulgo (feltro) vocant non habeant. De illorum autem raſura dicitur Valentiæ 1596. Conuerſi raſuræ ſubiiciantur ita vt circulus eis fiat ſuper aures, qui aliquantiſper à parte poſteriori declinet per digitum. ſ. Qui vero hoc modo accommodare ſe non fecerit, pro qualibet vice, per menſem priuetur ſcapulari, nec ante illum illud ſibi reſtitui poſſit.

De initiandis ſacris ordinibus.

CAPVT XL.

NVllus ordinetur in ſubdiaconum, niſi ſciat grammaticam, & ſciat Latinè loqui, & ſcribere, abſque falſa Latinitate. Et ſi eſt ſubdiaconus non fiat diaconus, & ſi eſt diaconus non fiat ſacerdos. Prælatus autem quilibet, aliquem aliter exponens, abſoluatur in pœnam ab officio, & per triennium omni officio ordinis priuetur. *Cap. de ſtudentibus.*

Nouitij ante profeſſionem non ordinentur. *Cap. de Nouitiis.*

Si qui in apoſtaſia ordinatus fuerit, vel poſt excommunicationem diuina celebrare præſumpſerit in ea, executione officij perpetuò careat, niſi fortè poſtea ita religioſe conuerſatus fuerit, vt cum eo ſedis Apoſtolicæ auctoritate diſpenſetur. Si autem non in apoſtaſia, ſed ſine ordinis legitima licentia ordinatus fuerit, ipſo facto ſit addictus carceri ad minus per quatuor menſes, ibidem ſecundum arbitrium Prælati, pœnis aliis puniendus. Et poſtmodum non permittatur exequi ordines ipſos, ſinè ſpeciali licentia Magiſtri ordinis. *Cap. de Apoſtatis.*

Per priuilegia antiquitus ordini noſtro conceſſa per ſummos Pontifices, maximè Honorium III. in bulla confirmationis ordinis, Alex. IV. priuilegio ſuo 25. Sixtum IV. in Mari magno, poterant Prælati ordinis abſq; præ-

uio examine fratres suos Episcopis præsentare pro suscipiendis sacris ordinibus, qui si recusabant eos ordinare, poterant eos ad quemcumque Catholicum Episcopum transmittere. At Leo X. in bulla, quæ incipit Sacro approbante concilio, moderatus est hæc priuilegia & statuit fratres sic à Prælatis præsentatos, posse per Episcopū examinari de sufficientia in grammatica, & si competenter respondeant libere debere admitti, & eo casu non posse alium Episcopum petere, nisi proprio requisito cum debita reuerentia, & instantia, & absque rationabili causa contradicente. Sacrum autem concilium Tridentinum manum apposuit super hoc & diuersa edidit decreta, quæ etiam à regularibus, non obstantibus illorum priuilegiis obseruanda sunt; vt in eis notatur, & hæc sunt quæ habentur sess. 23. diuersis capitibus summariè collecta.

Prima tonsura non initientur, qui confirmationis Sacramentum non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere, & scribere nesciant.

Minores ordines, his qui saltem Latinam linguam intelligant, conferantur, per temporum interstitia, nisi aliud videbitur Episcopo magis expedire, & quod spes maioribus ordinibus dignos ostendat. Initiati minoribus ordinibus non nisi post annum à susceptione postremi gradus, ad sacros ordines promoueantur, nisi necessitas aut Ecclesiæ vtilitas, iudicio Episcopi, aliud exposcat.

Nullus in posterum ad subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad diaconatus ante vigesimumtertium, ad presbyteratus ante vigesimumquintum ætatis suæ annum promoueatur, regulares quoque non in minori ætate, nec sine Episcopi diligenti examine ordinentur, priuilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis.

Subdiaconi, & diaconi ordinentur, in minoribus ordinibus iam probati, ac literis, & iis quæ ad ordinem pertinent exercendum instructi sint, & promoti ad subdiaconatus ordinem, non ascendant ad altiorem gradum, si per annum in eo non sint versati, nisi aliud Episcopo videatur. Duo sacri ordines, non eadem die etiam regularibus conferantur, priuilegiis ac indultis quibuscumque non obstantibus, quibus vis concessis.

Qui piè, & fideliter, in ministeriis anteactis se gesserint, & ad presbyteratus ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium, & hi sint qui non modo in diaconatu ad minus annum integrum ministrauerint, nisi ob Ecclesiæ necessitatem ac vtilitatem, aliud Episcopo videretur, sed etiam ad populum docendum ea quæ scire omnib. necessarium est ad salutem, diligenti prænio examine, idonei comprobentur.

Vnusquisque autem à proprio ordinetur Episcopo, quod si quis ab alio promoueri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusuis generalis aut specialis rescripti, vel priuilegij prætextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas, & mores, Ordinarij sui testimonio commendentur. Si secus fiat ordinans à collatione ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum ordinum executione, quandiù proprio Ordinario videbitur, sit suspensus.

Sancta Synodus, declarat vt in posterum, huiusmodi ministeria non nisi per constitutos in dictis ordinibus, exerceantur.

Emanarunt etiam Constitutiones Apostolicæ super susceptione ordinum maxime sacrorum quæ recensendæ sunt. Pius II. in sua constit. quæ incipit Cum ex sacrorum, contra malè promotos ita inuehitur.

Auctoritate Apostolica, hac constitutione perpetuò valitura statuimus, quod omnes, & singuli, qui absque dispensatione canonica, aut legitima licentia, siuè extra tempora à iure statuta, siue antè ætatem legitimam, vel absque dimissoriis literis, &c. ordinati fuerint, & ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerint promoueri, à suorum ordinum executione, sint ipso iure suspensi. Et si, huiusmodi suspensione durante, in ipsis ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrent vltra alias pœnas, &c.

Sixtus V. aliam seueriorem Constit. promulgauit contra malè promotos, & malè promouentes, quam non est necesse recensere, quia Clemens VIII. eam reuocauit, & ad terminos iuris reduxit, annullando eius pœnas, exceptis malè promotis causa simoniæ, & statuit standum esse in prædicta constitutione Pij II. & decretis Conc. Trident. Pius V. pro regularib. nondum professis ordinari cupientibus, ita decreuit.

Motu proprio, & ex certa scientia, &c. Decretum Concil. Trid. quod habetur sess. 21. cap. 2. quo cauetur, vt nullus secularis promoueatur ad ordines sacros, nisi habeat beneficium vel patrimonium, quo honestè sustentari possit, harum serie extendimus ad regulares non professos, & ampliamus. Ac religiosis non professis, vt ad sacros ordines promoueri possint interdicimus, nisi obseruata forma dicti decreti, &c.

Edita fuerunt à Sacra Congregatione concilij aliqua decreta pro declaratione eorum quæ statuit Concilium circa regulares promouendos ad sacros ordines, quæ scitu digna sunt, quæ sunt.

Cum dicitur in sac. Conc. sess. 23. c. 10. Abbates non posse conferre primam tonsuram, nec ordines minores nisi regularib. subditis suis. Congregatio censuit dictos Abbates posse primam tonsuram, & ordines minores conferre etiam non suis subditis, tam secularibus quam regularibus, cum licentia, & consensu Episcopi, & literis dimissoriis eiusdem, si tamen Abbates sunt, qui ius habeant portandi baculum, & mitram.

Item cùm dicitur inter vnum ordinem, & alium suscipiendum debere esse interstitium vnius anni, Congregatio censuit, illum annum non debere intelligi de duodecim mensibus completis, sed sufficit lapsa esse interstitia quatuor temporum ordinationum, vt ordinatus in quatuor temporibus quadragesimæ, poterit alio ordine insigniri in quatuor temporibus futuræ quadragesimæ, etiamsi non sint completi duodecim menses.

Item cùm dicitur. Nullum debere promoueri ad ordinem subdiaconatus ante vigesimumsecundum, ad diaconatus antè vigesimumtertium, ad presbyteratus, antè vigesimumquintum annum, sufficit dictos annos esse inceptos, non autem esse completos.

Item, De mandato S. D. Clementis Papæ VIII. mandatur omnium regularium Superioribus, vt de cætero obseruent, & obseruari faciant, ea quæ in decreto Sacræ Congregationis concilij continentur, cuius tenor talis est. Congregatio concilij censuit, Superiores regulares posse suo subdito regulari, qui præditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, literas dimissorias concedere ad Episcopum diœcesanum. Et si Episcopus diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo qui eum ordinaturus est, examinetur quoad doctrinam, & dum ipsi regulares non distulerint ex industria concessionem dimissoriarum literarum in aliud tempus, quo diœcesanus Episcopus absit, vel ordinationes habiturus non sit. Verum cum à Superioribus regularibus, Episcopo diœcesano absente, vel ordinationes non habente, literæ dimissoriæ dabuntur causa absentiæ, aut non ha-

non habenda ordinationis, exprimenda est, quod si non fecerint officij, dignitatis, seu administrationis, vocis actiuæ, & passiuæ priuationes ac alias arbitrio S.D.N. pœnas reseruatas incurrant.

Quęri solet ad quem spectat dispensare ordinandos super interstitiis ordinationum habendarum, num scilicet pertineat ad Prælatos regulares, illorum qui ordines suscepturi sunt, an ad Episcopos. Et si ad Episcopos, an ad proprios, an vero ad extraneos quando ad extraneos sit accessus pro ordinibus habendis. Capucinus in annotationibus ad compendium priuilegiorum ord. minorum, verbo, Ordines sacri, dicit duo. Primum dispensationem hanc non pertinere ad Prælatos regulares, quia concilium locis adductis, illam Episcopis concedit, nam cap. 11. sess. 23. dicitur.

Minores ordines per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo magis expedire videbitur, conferantur. Item cap. 13. *Promoti ad subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur.* Idem cap. 14. *Qui non modo in diaconatu ad minus annum integrum, nisi aliud Episcopo videatur, ministrauerint comprobentur.*

Verum tamen est Prælatos ordinum fidem præbere debere Episcopis, de necessitate vel vtilitate Ecclesiæ suæ, & rogare Episcopum vt dispensationem interponat. Secundum est, Episcopi proprij, & non extranei ord nantis munus esse dispensare in prædictis interstitiis cum, Conc. sess. 23. cap. 16. dicat.

Cum nullus debeat ordinari qui iudicio sui Episcopi non sit vtilis, aut necessarius suis Ecclesiis, &c. nota illud (sui.)

Notanda etiam sunt præcisa Concilij verba ad dignoscendas causas dispensationis, quæ non eodem modo in quacumq; dispensatione sunt necessariæ, etenim de interstitio inter ordines minores, hæc dicuntur verba.

Ordines minores per temporum interstitia conferantur, nisi aliud Episcopo videatur.

Vbi nulla causa proponitur, sed solum Episcopi iudicium. De interstitiis vero inter supremum ordinem minorum qui est. Acolitatus, & subdiaconatum dicit.

Nisi Eccles. vtilitas aut necessitas iudicio Episcopi aliud exposcat.

De interstitiis inter subdiaconatum, & diaconatum dicit.

Nisi aliud Episcopo videatur.

Nulla etiam hic est proposita causa. De interstitio inter diaconatus, & presbyteratus ordines subinfert.

Nisi ob Ecclesiæ vtilitatem, & necessitatem aliud Episcopo videatur.

Ex qua verborum varietate colligere licebit hæc. s. Pro dispensatione in interstitio inter duos ordines minores, & inter subdiaconatum, & diaconatum sufficit Episcopi iudicium. Pro dispēsatione in interstitiis, inter Acolitatum, & subdiaconatum requiritur vtilitas aut necessitas Ecclesiæ. Pro dispensatione inter diaconatum, & presbyteratum, vtraque caussa adesse debet, .s. vtilitas, & necessitas. Potest autem Episcopus nedum dispensare in interstitio ordinorum minorum inter se, sed etiam omnes quatuor vno die conferre, si sibi complaceat, non tamen poterit subdiaconatum, & diaconatum vno die conferre, quia id prohibet Conc. cap. 13. Et S. Antoninus,

3. part. tit. 14. De tempore, & loco ordinat. docet tunc adesse necessitatem Ecclesiæ, quando non habet ministro sufficientes ad ministeria ordinum exercenda. Vtilitatem vero, quando licet habeat ministros sufficientes, tamen si plures essent, melius & vtilius satisfieret.

Ex decl. cap. de studentibus, Nullus frater in nostro ordine promoueatur ad sacros ordines iuxta nostrarum seriem Constitut. nisi de licentia Prouincialis, qui neminem promoueat, nisi certior factus, de ætate, moribus, & grammatica sufficienti, & nisi præsentetur à Priore de cõsilio patrum. Quilibet ordinatus habeat literas testimoniales; aut ab Episcopo ordinante, vel à Præsidente loci vbi est ordinatus cum subscriptis testibus qui ordinationi interfuerunt, quod si non fecerint, non permittantur exequi munia ordinum susceptorum. Ex cap. de apostatis vbi dicitur, ordinatos in apostasia, vel celebrantes in excommunicatione debere absolui per sedem Apostolicam, declaratur nunc per bullam auream Sixti IV. tales posse absolui per Magistrum ordinis, & per suum Prouincialem. His adduntur ordinationes capitulorum. Bononiæ 1564. Denuntiatur, priuilegia alias ordini concessa, circa ætatem promouendorum ad ordines sacros, reuocata esse, & ideo seruandum esse id, quod statuit Concilium, tum circa ætatem, tum circa interstitia, nisi propter necessitatem de consilio patrum approbandam, & ordinanti Episcopo referendam. In Conuentibus vbi est fratrum sufficiens numerus, ministeria sacri altaris etiam minima ab ordinatis ministris exerceantur quoad fieri possit. Nullus sacris vestibus indutus solemniter epistolam canere permittatur, qui eo ordine non sit insignitus, & Visitatores tales abusus de medio tollant, & delinquentes seuera vindicta corripiant. Quæ confirmata reperiuntur Romæ 1569. 1571. & Barchi. 1574. Vbi additur hæc ordinatio. Priores non possunt ad sacros ordines mittere, nisi cantum, de more ordinis in officio ecclesiastico diuinoque cultu sufficienter calluerit, quæ subinde Romæ 1580. confirmata fuit. In capitulo Romano 1589. auctoritate Apostolica fuit promulgatum decretum, quod habet robur perpetuæ constitutionis in hunc modum. Item ordinamus, ac sub eodem præcepto formali, eademque excommunicationis latæ sententiæ pœna præcipimus omnibus Prælatis, vt non mittant quempiam ad ordines nisi probatæ sit vitæ, & bonorum morum, ac in literis sufficienter instructus, & præsertim, nisi distinctè, & clarè legere sciat, & quæ legit benè intelligat, & nisi prius scriptura approbata, & fidem faciente, iuridicè illis constiterit, eum legitimam ætatem habere iuxta sacri Concil. decreta. In cap. autem sequenti Venetiis celebrato 1592. modificatur præfatum decretum quoad sufficientiam literarum per hæc verba. A secunda ordinatione in qua agitur de sufficientia illorum, qui mittuntur ad ordines sacros, declaramus ablatam esse excommunicationem, aggrauamus nihilominus conscientias Prælatorum, vt non nisi sufficientes in literis, & moribus ad eos mittant, Valentiæ 1596. statuitur, vt initiandi ordinibus sacris, examinentur, & approbentur tum in literis, tum in moribus per vota secreta, examinatores verò dignos approbent, & indignos reprobent, quod & Romæ 1601. & Valleoleti 1605. fuit confirmatum. Insuper in eodem cap. Valentino mandatur, vt nullus

ad sacros ordines mittatur, nisi post tres annos à professione completos, ad diaconatum post quatuor, ad presbyteratum post quinque. Confirmatur Romæ 1601. & Valleoleti 1605. & additur vt Prouincialis in prouinciis, & Conuentibus in quibus est indigentia fratrum, possit dispensare, & obseruetur meliori modo quo potest, necnon & cum aliquibus benemeritis, accedente assensu patrum. In capitulo Romano 1608. dicitur. Nullus sacerdotio initietur, nisi post quatuor annos à professione. Si autem necessitas, vel causa adsit Prouincialis poterit dispensare de consilio patrum. Idem confirmatur Parisiis 1611.

Gregorius XIII. bulla 25. apud Rodericum, Societati Iesuitarum concedit, vt infra

Nos igitur, &c. omnibus Episcopis præsentibus, & futuris in perpetuum præcipimus ne ab illis de societate prædicta, qui licentiam à Præposito Generali, vel eius delegatis habuerint, vt promoueantur sacris ordinibus, aliquid requirant, sed illos etiam absque vlla functione in ordinibus, interstitiorumvè obseruatione, aut inquisitione, de cantu, officiis, & cærimoniis, idoneitate, proprij Ordinarij licentia, ac aliis requisitis, ac etiam extra tempora statuta à iure, tribus Dominicis diebus, vel aliis festis etiam continuis ad ordines maiores, & minores, & etiam presbyteratum promoueant, ac si omnibus requisitis præditi essent, Præsentis autem gratiæ communicationem aliis fieri prohibemus.

Refert etiam idem Rodericus decretum hoc promulgatum à sacr. Congregat. Concilij, Congregatio Concilij censuit per illa verba Concilij sess. 23. cap. 8. de reformatione. s. Ordinationes sacrorum ordinum statutis à iure temporibus celebrentur; &c. priuilegia suscipiendi ordines extra tempora non esse sublata.

Canonica autem impedimenta quibus irretitus indebite ordinatur, sunt infrascripta, Sacramento chrismatis non initiati, Minores natu iuxta ętatem à Conc. Trid. præfixam, Rudes siue ignaui ex præscripto eiusdem Conc. Criminosi, Infames, Bigami, Illegitimi, Irregulares, quouis modo Suspensi, Interdicti, Amentes, Morbo caduco laborantes, Corpore vitiati, Insigniter difformes, Solemniter pœnitentes, Ebrietati dediti, Non examinati, & approbati, Superiores tamen ex priuilegiis auctoritatem habent habilitandi illegitime natos, & irregulares, excepta irregularitate propter bigamiam, & homicidium, & mutilationem membrorum contracta, vt infra dicetur.

De studentibus.
CAPVT XLI.

QVoniam circa studentes diligens est adhibenda cautela, habeant aliquem specialem fratrem, sine cuius licentia non scribant quaternos, nec audiant lectiones, & quæ circa eos in studio corrigenda viderit, corrigat, & si vires eius excedant, Prælato proponat; in libris gentilium, & philosophorum non studeant, & si ad horam inspiciant, Seculares scientias non addiscant, neque artes quas liberales vocant, nisi aliquando circa ali-

quos Magister ordinis, vel capitulum generale, aut Prouincialis, vel capitulum prouinciale, voluerit aliter dispensare, sed tantum libros theologicos, tam iuuenes, quam alij legant. Ipsi vero in studio taliter sint intenti, vt de die, de nocte, in domo, in itinere, legant aliquid, vel meditentur, & quicquid poterunt retinere cordetenus nitantur. Nulli certus vsus librorum concedatur, nec dedignetur à quocumquè auferantur, vel in cuiuscumque custodia dimittantur. In diebus Dominicis, & festis præcipuis, à quaternis scribendis se contineant. Circa eos, qui student taliter dispensetur à Prælato, ne propter officium, vel aliud, à studio retrahantur, vel impediantur. In cellis legere, scribere, orare, dormire, & etiam de nocte vigilare ad lumen poterunt, qui volunt propter studium.

Ex S.Tho.2.2 q.188.art.5.habetur, studium maximè competere religiosis omnibus.& præcipuè nostris.Omnibus inquam. Primo propter euitandam carnis lasciuiam quæ studio reprimitur.Vnde S.Hieron.ait. Ama studia literarum,& carnis vitia non amabis.De Cons.dist.5.cap Nunquam.Secundo propter reprimendam cupiditatem diuitiarum quia vt dicit philosophus,melius est philosophari,quàm ditari, Et S. Hieron. inquit, Crates ille Thebanus cum ad philosophãdum pergeret, magnum auri pondus abiecit, 12.q.2.cap. Gloria. Tertio ratione obedientiæ,quæ est basis religionis. Vnde S. Aug. ait. Quæ peruersitas est illi lectioni nolle obtemperare. qui vult ei continuè vacare?8.q.1.cap. Sciendum.Cõgruit verò studium religiosis nostri ordinis,propter contemplationem,ad quam tanquam ad præcipuum finem intẽdimus,& hoc duplici ratione; primo,quia studium contemplationem dirigit,remouet enim contẽplationis pericula.s.errores. Vnde S.Gregor.lib.6. moralium dicit. Nonnulli plus exquirunt contemplando, quàm capiant,& ideo,vsq; ad peruersa dogmata erumpunt,secundo,quia sine studio religiosi non possunt cõtemplata aliis per prædicationem, & doctrinam tradere, Vnde S.Paulus ad Titũ 1. de Episcopo cuius præcipuum munus est prædicare,dicit. Vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos,qui contradicunt arguere, Et S.Hieron.16 quæst.1.dicit. Multo tempore discas,quod possis postea docere, ne sis miles antequam tiro, & Magister antequam discipulus.Et quamuis liceat fratribus nostris scientiis secularibus studere,non tamen debent in illis quiescere, & per totum tempus vitæ suæ his vacare, sed studio scripturarum, & his quibus possunt saluti animarum consulere, intendere debent, cauendo sibi semper à curiositate, & inani gloria, sibi ipsis prius documenta benè rectèque viuendi sumentes.

Nullus mittatur ad studium logicale, nisi saltem duobus annis in ordine bene, & religiosè fuerit conuersatus, nisi forte sit ætatè prouectus, & in grammaticalib. sufficienter instructus. Ad naturalium vero studium nullus admittatur,nisi logicalia saltem tribus annis in seculo,vel in ordine audierit,

& iudicio Magistri sui fuerit in eis sufficienter instructus. Ad sentētias vero audiendas non nisi prius naturalia per duos annos audierit. Romæ tamen 1571. dicitur. Tempus triennij Dialecticæ Philosophiæ, & Metaphysicæ deputetur, quadriennij verò Theologiæ, nisi aliter Prouinciali visum fuerit. Quod & fuit confirmatum Barchin. 1574. & Romæ 1580. Et Valleoleti 1605. dicitur, Lectores artium triennio ad summum, cursum suum compleant. Et nouitij puri non admittantur ad studia quæcumque, sed eo tempore, in psalmodia, & officio diuino occupentur, vt traditum est supra cap. de institutione nouitiorum in anno probationis. In studiis autem logicalibus, & naturalibus repetantur diebus singulis lectiones, & ipsas studentes semel in septimana Magistris suis recitare teneantur, qui eos audire curabunt. Omnes autem studentes. singulis diebus ad scholas veniant, lectiones omnes audituri, & si sine rationabili causa, & licentia speciali Superioris deesse contigerit, illo die à vino, vel à pitantia indipensabiliter abstineant. Et in cap. de leui culpa habetur.

Leuis culpa est si quis ad lectionem dormierit, si quis temporibus statutis, cum aliis lectionem auditurus non adfuerit.

Studentes autem qui in actibus scholasticis inuenti fuerint notabiliter negligentes, seu insufficientes, per Prouincialem à studio absoluantur, & in aliis officiis occupentur. Et quia ex profectu studij sequitur promotio ordinis, & vtilitas animarum, debent Priores tam Prouinciales quam conuentuales, pro viribus operam dare, vt studium vigeat, & studentes, ad audientiam lectionum sint solliciti, nec se à scholis subtrahant, nisi ex causa, & licētia speciali, & lectores disputēt, & lectiones cōtinuēt, nec propter studium artium à theologiæ studio retrahātur. Visitatores etiam in suis visitationibus diligenter inquirant de lectoribus, quid & quantum legerint in anno, quoties disputauerint, qualiter Priores studia promouerint, & quomodo fratres in studio profecerint, & intenderint, & hoc Prouinciali referant, qui negligentes grauiter corripiat.

In capitulis etiam sæpius hæc studij cura Prælatis commendata fuit. Nam Bononiæ 1564. dicitur. In omnibus Conuentibus vbi sunt iuuenes, sit etiam aliquis lector, qui eos doceat grammaticā, vel artes, iuxta illorum capacitatem, prouideantque Prouinciales, vt temporis ad studium præfixi maior pars theologię impēdatur, quam artibus Romæ 1569. Prouinciales, & Visitatores diligentiam adhibeant ad inquirendum de solicitudine lectorū, tam in legendo, quam in aliis exercitiis literariis exercitatione, & negligentes puniant, & curent, vt Constit. qua cauetur ne studentes in libris gentilium, & philosophorum studeant, executioni mandetur, nec prextetu bonarū (quas vocant) literarum, & politiori slinguæ, Erasmi libros & consimilium legāt, vnde mala dogmata, & prauos mores inbibant. Et Romæ 1571. dicitur. Tēpus lectionis assignetur singulis annis decem mensium ad minimum, nec studentes, nec lectores, ad prædicandum mittantur, sed lectionibus attendant, nisi aliter de licentia Prouincialis fieri expedierit. Barchi. 1574. Romæ 1580. idem repetitur. Et Romæ 1589. dicitur Lectores decem, aut ad minus nouem menses in quolibet anno legant, sitque lectionis quotidianæ spacium.

vnius horæ circiter, vt in pluribus, & qui notabiliter defecerint, lectione priuentur. Qualibet hebdomada tres circulos, seu disputationes iuxta antiquissimam, & laudabilẽ ordinis consuetudinem habeant, quibus omnes discipuli intersint. Romæ 1601 Lectores artium non prædicent, ita vt ob conciones ordinaria lectio impediatur. Et ambo theologiæ lectores eodem tempore prædicationibus non vacent, sed saltem alter eorum domi remaneat perlecturus. Idem confirmatur Valleoleti 1605. vbi etiam additur, vt nulla ratione intermittantur lectiones, nec literaria exercitia, à festo S. Crucis vsque ad festum S. Mariæ Magdalenæ, exceptis hebdomada ante Aduentum, & duabus hebdomadibus ante quadragesimam, dummodo tamen etiam eo tempore singulis diebus vna lectio habeatur. A Dominica autem in ramis palmarum, vsque ad Dominicam in albis, cessare poterunt omnia. In eodem cap. Valeoletano confirmatur, quod Romæ 1601. statutum fuerat, vt quotidie omnium lectionum quæ audiuntur fiant conferentiæ, & circuli etiam singulis diebus proponantur, nisi actus superior impedierit, & lectores in his negligentes, lectionibus priuentur, & Prælatorum conscientiæ in huiusmodi aggrauantur. Item Romæ 1601. ordinatur, vt inuigilent Priores circa studia, & iubeant lectoribus, vt horis statutis, videlicet post primam, & post vesperas perlegant, nec tempora mutent, vel desint lectionibus, & conferentiæ, &c.

Cum dicitur, Nulli certus vsus librorum concedatur, &c. sciendum est vsum rerum duplicem esse, certum. s. & incertum. Certus in proposito dicitur, quando ita conceditur aliquid alicui, quod illud ab eo auferri nõ potest, super quo Prælatus dispensare non potest, nam voluntas religiosi debet semper esse parata, omnia in manu Prælati resignare, quando voluerit, & in hoc sensu prohibetur certus librorum vsus. Incertus vero est, quando repetere potest Prælatus, quod concessit, & hic vsus concedi potest, vnde possunt fratres secum ferre Breuiarium, libros glossatos, & quaternos, ac sacra Biblia. De libris autem concedendis dicitur in regula.

Codices certa hora singulis diebus petantur, extra horam qui petierit non accipiat.

De quibusdam autem lectionibus in particulari tales leges habemus.

Lectio autem casuum conscientiæ præcipuè habenda est. Vnde Bonon. 1564. dicitur, & pro beneficio Confessorum ita disponitur. In Conuentibus in quibus maiora studia non vigent, sint lectiones casuum conscientiæ, & assiduè de illis collationes fiant, & Romæ 1571. Vbi non viget studium theologiæ, habeatur lectio casuum de summa Caietani. Romæ 1569. lectio casuũ habeatur saltem tribus diebus in hebdomada. Barchinone 1574. Habeatur lectio casuum de Caietano, vel huiusmodi Romæ 1580. Ad hanc lectionem, casuum habendam conueniant omnes fratres, sacerdotes, & Confessarij præter graduatos, & Lectores. Qui conuenire neglexerint, munere confessionis priuentur. Venetiis 1592. In quolibet Conuentu, in quo id commode obseruari potest, trina saltem casuum lectio in hebdomada habeatur ab aliquo perito patre, in reliquis vero, aliquam saltem lectionis loco conferen-

tiam de eisdem casibus, inter paucos religiosos in ipsis commorantes, fieri curabunt Superiores.

Habenda est etiam lectio sacræ scripturæ iuxta decretum Concil. Trid. quod est sess. 5.

In Conuentibus regularium, in quibus studia commodè vigere possunt, sacræ scripturæ lectio habeatur, quæ lectio à capitulis generalibus, vel prouincialibus assignetur dignioribus Magistris.

Bononiæ autem 1564. In huius decreti obseruantia statutum fuit, vt in omnibus Conuentibus in quibus studia vigent, & in aliis, qui idonei iudicabuntur, sacræ scripturæ lectio assignetur, ad quam per legendam illi potissimum assumantur, quorum doctrina aduenientes spiritualem fructum referre possint. Et Romæ 1569. dicitur. Festiuis diebus toto anno in nostris Ecclesiis, legatur populo lectio de sacra scriptura, vel de Catechismo, cui lectioni intersint fratres maxime iuniores, & laici. Idem habetur Romæ 1571. Barch. 1574. Venetiis 1592.

Linguam Græcam, vel Hebraicam, non addiscant fratres, sine peculiari licentia Prouincialis in scriptis habenda, in qua fiat mentio expressa præceptoris à quo addiscere eam debent, quod & fuit confirmatum Romæ 1569. Romæ 1571. Barchin. 1574. At Romæ 1608. ordinatur, vt post sex menses ab harum notitia Prouinciales singuli in sua prouincia, teneantur instituere studium linguarum præcipuè Hebraicæ, & Græcæ, conquisitis ad id munus doctissimis preceptoribus, quod si ex ordine nostro haberi non possint, ex secularibus eligant designatis annuis stipendiis ex communibus prouinciæ sumptibus.

Et Parisiis 1611. denuntiatur Paulum 5. circa studium linguarum constituisse vt infra.

Hac perpetuò valitura Constitutione sancimus, vt in cuiuscumque ordinis tam mendicantium, quam non mendicantium studijs omnibus, trium linguarum Hebraicæ. s. Græcæ, & Latinæ, in celebrioribus verò etiam Arabicæ doctores habeantur, regulares quidem eiusdem ordinis si sint illarum notitiam habentes, sin autem alterius ordinis, vel seculares, qui illas doceant, &c. Omnibus regularium Superioribus sub pœna indignationis nostræ, & si ipsi negligentes fuerint, Protectoribus ordinum iniungimus, vt prouideant, quod talia studia instituantur, &c. Et in promotione ad doctoratum, & alios gradus illi cæteris paribus præferantur, qui in cognitione trium dictarum linguarum profecerint.

De studijs generalibus.

CAP. XLII.

QVælibet prouincia, exceptis Greciæ, Daciç, Terræ sanctæ, prouideat, vt semper in Conuentu aliquo idoneo, sit generalé studium, & solemne, & ad illum locum quilibet Prouincialis potestatem habeat mittendi duos fratres idoneos ad studendũ Quod si in aliqua prouincia, Lector sufficiens pro tali studio non fuerit, Magister ordinis de Lectore prouideat compe-

tenti. Statuimus autem vt quælibet prouincia, fratribus suis missis ad studium, ad minus in tribus libris theologiæ teneatur prouidere, in Biblia, Historiis, & Sententiis, & ipsi in his tam in textu, quã in glossis præcipuè studeant diligenter, & intendãt. Tres fratres tantũ mittantur Parisios ad studendũ de prouincia, exceptis prouinciis Hisp. Tolosanæ, Lombar. Teutoniæ, Saxoniç, Dalmatiæ, Franciæ, Poloniæ, Greciæ, Terræ sanctæ, Aragoniæ, Boëmiæ, Prouinciæ, & S. Dominici, de quarum qualibet duo tantum mittantur. Curet autem Prouincialis si habuerit aliquos vtiles ad studendum, qui possent in breui apti esse ad regendum, mittere ad studendum ad loca vbi viget studium extra suas prouincias, de Diffinitorum capituli Prouincialis, vel maioris partis eorum consilio, & assensu. Si verò aliquis missorum studentium infra sex menses à tempore celebrati capituli mori contigerit, vel alias legitimè impediri, Prouincialis loco eius poterit alium subrogare, & illi ad quos mittuntur, eos in aliis non audeant occupare, neque ad prouinciam suam remittere, nisi fuerint reuocati. Postquam autem in aliquo studio, per tres annos ad plus fuerint commorati, ipso facto sint ab ipso studio absoluti, nisi de Magistri ordinis speciali licentia. Et hoc idem circa studentes eiusdem prouinciæ seruetur. *Ex Cap. de studentib.*

Studia generalia, siue vniuersitates determinatæ in diuersis capitulis generalibus, in quibus actus scholastici exerceri debent, extra quas eos exercentes non admittuntur ad gradus, sunt istæ.

In primis Conuentus Parisiensis.

In prouincia:

Hispaniæ, Conuentus, Salmaticensis, Valleoletanus, Segobriensis, & de Trianos.
Tolosana, Conuentus Burdegalensis.
Franciæ, Conuentus Bituricensis, & Remensis.
Lombardiæ, Conu. Bononiensis.
Romana, Conu. Perusinus, & Romanus.
Regni, Conu. S. Dominici de Neapoli.
Prouinciæ, Conu. Aquensis.
Aragoniæ, Conu. Barchinonen. Valentinus, & Cæsaraugustanus.
Dalmatiæ, Conu. Iadrensis.
Trinacriæ, Conu. S. Dominici de Panormo.
Portugalliæ, Collu. Vlixponensis. De bello, Eborensis, & Conimbricensis.
Bethicæ, Conu. Cordubensis, Hispanien. Giennensis.
Germaniæ, Conu. Louaniensis, & Duacensis.
S. Thomæ, Conu. Andriensis.

Calabria,

In prouincia
Calabria, Conu. Consentinus.
S. Crucis Indiarum, Conu. Ciuitatis S. Dominici.
S. Io. Baptistæ del Peru, Conu. Ciuitatis Regum, & della Plata.
S. Dominici, Conu. Patauinus.
S. Petri martyris, Conu. S. Eustorgij de Mediolano.
S. Antonini de nouo regno, Conu. S. Dominici de Tuniæ.
S. Laurentij de Chilæ, Conu. S. Rosarij de Chilæ.
Aprutina, Conuentus Aquilanus.
Occitana, Conu. Tholosanus, & Auinionensis.

In Congregatione Gallicana, Conuentus Nanetensis, Parisiensis,
In Congregatione Rusiæ, Conuentus Leopoliensis.

Prouinciales debent diligenter de iuuenibus, aptis ad studium, qui in breui possunt proficere inquirere, & illos ad studia generalia mittere, si tamen sint benè morigerati, & his parcatur à discursu, & aliis occupationibus, ne à studio retrahantur. Nullo autem modo mittant discolos, & ineptos. Et si qui tales missi sunt, illico reuocentur, ne aliis impedimentum præstent. Fratres missi ad studia generalia extra suas Prouincias sunt de illis Conuentibus à quibus recesserunt, & completo triennio studij taxato à Constit. remanent Conuentuales illius Conuentus in quo erant prius assignati. Si autē est studens suæ prouinciæ completo studio remanet Conuentualis illius Cōuentus in quo fuit studens. Hæc ex declarat. eiusdem capitis de studentibus.

Pius II. vt apparet in suo priuilegio 1. omnibus Generalibus mendicantium concedit, vt reuocare possint, ac punire fratres suos in studiis generalibus, vel vniuersitatibus assignatos, cum discoli, & rebelles euadunt his verbis.

Cum itaque sicut accepimus Prouinciales nonnullos ex fratribus suis idoneos ad literarum studia, in locis vbi vigent, destinare consueuerint, &c. quorum nonnulli discoli, & vagabundi effici solent, &c. & priuilegiis studiorum tueri se satagunt cōtra obedientiam Prælatorum, &c. Nos itaque &c. discretioni vestræ mandamus, quatenus fratres vestros inobedientes tamdiu excommunicatos, ac omnibus gradibus Magisterij, Baccalaureatus, Biblia'us, Lectoriæ priuatos nuntietis, & ab aliis, vbi, & quando, & quoties expedierit nuntiari procuretis, & si eorum contumacia, vel rebellio id exposcerit, carceribus mancipari faciatis, donec humiliter obedire studuerint, &c.

Et in Conc. Trid. sess. 25. de reg. cap. 4. legitur.

Illi etiam (s. regulares) qui studiorum causa ad vniuersitates mittuntur, in Conuentibus tantum habitent, alioquin, ab Ordinariis contra eos procedatur.

Hæc ex capitulis habentur, Iuuenes ad studia mittendi, non præferantur iure antiquitatis, sed à Prouinciali, vel Priore Conuentuali de consilio patrum eligantur, qui probatis moribus, præuio etiam examine magis idonei inuenti fuerint, Romæ 1569. & Barch. 1574. Et Romæ 1589. dicitur. Nullus ad collegia, seu studia mittatur generalia, nisi à patribus Conuentus in quo vixit, & à quo discedit, doctrinæ, & morum testimonium secum detulerit. Item, Studentes formales quadriennales sint, aut ad minus cum Superiorum dispensatione triennales. Et Romæ 1601. statuitur, vt tantum sint triennales. Valleoleti 1605. dicitur. Tēpus studij formalium studentium sit trien-

nium completum, quo finito, non possunt vltra in eodem studio manere, vt aliis locus detur. Romæ 1608. Quolibet anno, tam in principio, quam in fine studiorum, examinentur studentes, ab officialibus studij, seu moderatoribus, & inepti priuentur studio, & in aliis occupentur, & mandatur studentibus aliarum prouinciarum, vt peracto suorum studiorum tempore, quã primum ad suas prouincias reuertantu. Idem confirmatur Parisiis 1611. Omnes studentes, & studij officiales non nisi latino sermone loquantur, & literas scribant, tam in exerercitiis literariis quàm extra, Romæ 1571. & Barchinone apponitur pœna priuationis officiorum.

De lectionibus habendis.

CAP. XLIII.

NVllus fratrum nostrorum legat in prophetis, vel psalmis alium sensum literalem, nisi quem sancti approbant, & confirmant. *Ex Cap. de studentibus.*

Multa tradita sunt circa qualitatem lectionum. Nam Bonon. 1564. dicitur. In studiis generalibus duæ lectiones de sententiis, aut de partibus summæ D. Thomæ semper habendæ sunt, altera speculatiua, altera moralis, & pretextu lectionis sacræ scripturæ nihil immutetur circa theologiæ scholasticæ lectiones. Romæ 1571. Speculatiua sit de 1. parte S. Thomæ, vel etiam, de prima secundæ, aut etiam de Incarnatione, Moralis vero sit de 2. 2. vel de 4. sententiarum. In disputationibus alternis vicibus de vtraque proponantur conclusiones, & in quotidianis exercitiis de vna fiat conclusio, de altera collatio, vt vtriusque rationem habeant studentes. Confirmatur Barchin. 1574. & Romæ 1580. Romæ vero 1589. statuitur. Ne tempus frustra conteratur mandatur sub præcepto formali Regentibus, & Baccalaureis studiorum, vt infra quatuor annos totam S. Thomæ summam ambo simul perlegisse teneantur materias difficiliores, & magis necessarias explicantes, opinionum vero superfluitates, & alia minus necessaria resecantes, & monentur studiorum officiales, ne pretextu prędicationis studia prætermittant, studentes quoque concionibus non vacent vsque quo studium compleuerint, aliterà studio amoueantur. In cap. vero sequenti Veneto 1592. declaratur ablatam fuisse obligationem legendi collectim, totam summam quadriennio, admonenturque prædicti studiorum officiales, & alij Lectores, vt difficiliores, & magis necessarias materias tractent, & minus necessarias dimittant, vt sic discipuli proficere possint.

In exponenda doctrina SS. Patrum seruent fideliter illud sac. Conc. Trid. decretum, quod habetur sess. 4. cap. 2.

Synodus sancta ad coercenda petulantia ingenia decernit, vt nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianę pertinentium, sacram scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum quem tenuit, & tenet S. mater Ecclesia cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum scripturarum, aut etiam contra vnanimem consensum Patrum ipsam sacram scripturam

interpretari audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes, nullo vnquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contra fecerint per Ordinarios declarentur, & pœnis à iure statutis puniantur.

Vbi autem, & quando habenda sit Sacræ Scripturæ lectio dictum est supra cap. de studentibus, ibidem etiam dictum fuit de lectione casuum conscientiæ. Et in decla. cap. de studentibus habetur. Nullus frater audeat recitare, aut confirmare aliquam singularem opinionem contra communem doctorum sententiam, in his quæ ad fidem vel bonos mores pertinere noscuntur, nisi reprobando, & obiectionibus respondendo. Et Valleoleti 1605. mandatur omnibus sub pœna priuationis graduum, ne inter legendum affirment vel tueantur quamcumque singularem opinionem, quæ communi SS. Patrum sententiæ dissona sit, nec eam quouis modo referant nisi ad confutandum. Et omnes inuigilent in voluminibus SS. Patrum euoluendis, & suas opiniones eorundem sententiis corroborare nitantur, & eos in fonte respicere teneantur. De vsu autem sacrarum scripturarum, habenda est præ oculis illa aurea sententia Sac. Conc. Trid. sess. 4. cap. 2.

Post hæc temeritatem illam reprimere volens, qua ad Prophana quæque conuertuntur, & torquentur, verba, & sententia sacræ scripturæ, ad scurrilia. s. fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias & diabolicas incantationes, diuinationes, sortes, libellos etiam famosos mandat ac præcipit (Synodus) ad tollendam huiusmodi irreuerentiã & contemptum, ne de cætero quispiam quomodolibet, verba scripturæ sacræ, ad hæc, & similia audeat vsurpare, & omnes huius generis temeratores, & violatores verbi Dei iuris, & arbitrij penis per Episcopos coerceantur.

Caueant etiam qui docent, ne aliquid statuant, aut asserant, quod sit decretis Conc. Tridentini dissonum. Vnde Romæ 1569. præcipitur omnibus Magistris, Baccalaureis, Lectoribus, & aliis quibuscumque sub pœna priuationis cuiuscumque gradus, vltra pœnas à iure statutas, ne audeant asserere, aut defendere publice vel priuatim, articulum vllum pugnantem cum articulis, seu decretis Conc. Trid. siue ad bonos mores, siue ad dogmata fidei attinentibus, præsertim cum canone illo de confessione necessario præmittenda ante sumptionem corporis Christi, etiam, si aliquem ex nostris insignioribus doctoribus, Durandum. s. & Caietanum vel alium patrocinantem habuerint. Confirmatur Romæ 1571. Barchinone 1574. & Romæ 1580. Et præ cæteris notanda est Constitut. Pij 4. super confirmatione dicti concilij ita disponens.

Auctoritate Apostolica inhibemus omnibus, tam Ecclesiasticis personis cuiuscumque ordinis sint, quam laicis, &c. sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis, ne quis sine auctoritate nostra audeat vllos commentarios, glossas, annotationes, scholia, vllumvè interpretationis genus, super ipsius Conc. decretis, quocumque modo edere aut quicquam quocumque nomine etiam sub prætextu maioris corroborationis, aut executionis aliovè quæsito colore statuere. Si cui vero in eis aliquid obscurius dictum vel statutum fuisse, eamque ob causam interpretatione, aut decisione aliqua egere, visum fuerit: accedat ad sedem Apostolicam omnium fidelium magistram, &c.

De doctrina autem D. Thomæ hæc decernuntur in decl. capitis de studendentibus. Imponitur omnibus lectoribus, quod doctrinam S. Thomæ quæ

aliis sanior est, & communior, ac ordini nostro, & toti mundo vtilis, & honorabilis, legant, & secundum eam determinent, & in ea scholares suos informent, & in disputationibus, conclusiones eiusdem S. Doctoris teneant, & defendant, & rationes contrarias soluant. Districtè etiam prohibetur, ne aliquis frater legendo, disputando aut determinando audeat asserere, aut tenere assertiuè contrarium eius quod communiter tenetur esse de opinione dicti S. Doctoris. Qui autem in hoc deliquerit, officio lectoratus priuetur. Est enim eius doctrina per totum orbem splendens, tanquam clara, firma, & solida, inter alias, per sedem Apostolicam, per principalesque Ecclesiæ doctores, cum testimonio; Vniuersitatis Parisiensis, confirmata. Debent autẽ Lectores Theologiæ, legere totum articulum S. Thomæ, & ex ipsomet illum declarare, & dilucidare. Quicũque autem verbo vel scripto, à solida doctrina D. Thomæ recesserit, contrarium aliquid illi dicendo, officio lectoratus, & quocumque alio gradu, & dignitate priuetur perpetuo. Ita sancitum fuit Bononiæ 1564. & confirmatum fuit Romæ 1569. Romæ 1571. Barchinonæ 1574. Valentiæ 1596. vbi extenditur pœna priuationis etiam ad prædicatores, si aliquid contra eundem S. Doctorem populo proponant. Et Parisiis 1611. decernitur vt Lectores in legendo textum siuè Arist. siuè S. Thomæ non summarie, vel confusè, sed articulate declarent, & exponant, rationem habentes non solum sententiæ, sed etiam ordinis, & connexionis textuum, & hæc à discipulis in examine, & conferentiis exigant, & memoriæ tradi procurent.

De Lectoribus.

CAP. XLIIII.

NVllus fiat publicus doctor, aut disputet, nisi de licentia Prouincialis, & Diffinitorum capituli prouincialis.

Ex cap. de studentibus.

In primis Alexander 4. facultatem concedit Magistro ordinis, & Prioribus deputandi Lectores, etiam ad legendum Sacrã. Theologiam his verbis, vt patet in suo priuilegio 17.

Hinc est quod deuotioni vestræ, præsentium auctoritate concedimus, vt singuli fratres de ordine vestro, quos secundum Constit. ipsius ordinis Conuentibus vestris deputandos duxeritis in Lectores, sine cuiusquam alterius licentia, liberè in domibus prædicti ordinis legere, ac docere valeant in Theologica facultate, illis locis exceptis vbi viget studium generale, ac etiam quilibet in facultate ipsa docturus solemniter incipere consueuit.

Sixtus 4. in Marimagno eadem propriissima verba repetens, illa communit, & corroborat. Ex decl. Per publicum doctorem intelligit Constitutio, publicum, & principalem Lectorem. In capitulo etiam de domibus concedens dicit Constitutio.

Nullus Conuentus admittatur sine Priore, & doctore.

Et declaratio ibidem habet, per doctorem debere intelligi Lectorem qui legat in eo Conuentu, & Venetiis 1592. cum agitur de voto præstando.

à Lectoribus primis in consilio dicit Lectores primi qui, & doctores Conuentuum nuncupantur. Huiusmodi autem principales Lectores, non debent ad lecturam cuiuscumque facultatis promoueri, nisi per Prouincialem, & Diffinitores capituli prouincialis fuerint sufficientes iudicati, & hi debent quotidiè vel saltem quatuor vicibus in septimana legere, legitimo cessante impedimento, alias gratiis Lectorum priuentur. Et quamuis Prouincialis Lectoré principalem possit instituere, & habilitare eum ad legendum in Sacra Theologia in Conuentibus vbi non viget studium generale, dummodo non legat vt Magister, non tamen potest habilitate aliquem ad legendum pro gradu, & forma Magisterij.

Nullus autem ad legendum logicalia approbetur, nisi prius logicam nouam duobus annis audierit, & aliis duobus annis audierit naturalia, & per principalem Lectorem, necnon & Lectorem naturalium idoneus iudicatus fuerit. Ad legendum vero naturalia nemo admittatur nisi duobus annis Theologiam audierit, & in questionum obiectionibus, & responsionibus testimonio principalis Lectoris, & Magistri studentium ad hoc fuerit sufficiens reputatus. Ad legendum vero sententias nullus exponatur, nisi per quatuor annos in aliquo studio Theologiam audierit, & prædictorum testimonio verbo, vel scripto, idoneus fuerit repertus, & totum cursum artium integre, & non interpolate à dialectica incipiendo persoluerit, Barchin. 1574. Romæ autem 1589. dicitur. Ad lectoratus gradum nullus promoueatur, nisi totam S. Thomæ summam integrè audierit. Lectores non occupentur in aliis exercitiis, nec retrahantur à studiis, nec in officio regiminis occupentur, donec aliquibus annis munus Lectoris exercuerint.

Romæ 1571. ordinatur, vt Lectores non assumantur iure antiquitatis, nec ad determinatum tempus assignentur, sed à Prouincialibus, & Diffinitoribus deputentur, qui magis idonei sunt ad docendum, Et qui in hoc munere docendi egregij sunt, etiam causa pręlationis à studiis non arceãtur. Idem confirmatur Barch. 1574. Romæ 1580. Et Romæ 1589. apponitur præceptum formale, & pœna excommunicationis, Prouincialibus, Vicariis, Diffinitoribus, & aliis qui prouisioni studiorum intendunt vt semoto omni particulari affectu, solum Deum, & religionis beneficium sibi proponentes, non nisi idoneos, & tanto muneri aptos, qui suis discipulis prodesse possint admittant, & hoc per vota secreta. Et Valentiæ 1596. Confirmatur ordinatio de examinandis omnibus graduandis, & approbandis per vota secreta, & statuitur, vt inter Lectorum, & aliorum studij officialium examinatores conuocentur Prior conuentus, vbi talis est consuetudo, Regens, Baccalaureus, cum tribus aliis Magistris, si haberi poterunt, vel Baccalaurei, aut Lectores Theologiæ ad arbitrium Prouincialis, ita vt omnino sint quinque examinatores, quibus sub præcepto formali, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ mandatur, ne odio aut amore indignos approbent, & dignos excludant, sed pro conscientia sua vota secreta præbeant. Et Superioribus sub eodem præcepto, & pœna imponitur, ne quempiam ad præfata officia, & gradus admittant, sine huiusmodi præuio examine, & ap-

probatione. Quæ ordinatio confirmatur Romæ 1601. reuocata excommunicationis pœna, Et Valleoleti 1605. additur, vt in prouisionibus studiorum non attendant Prælati ad solam professionis antiquitatem, sed personarum sufficientiam eruditionem, & bonos mores, vt discipulos verbis, & factis instruant. Et Romæ 1608. declaratur, quod Lectores examinati, & approbati in aliquo studio generali, non teneantur amplius examinari in propria vel aliena prouincia. Et Neapoli 1600. statuitur, Lectores in sui institutione sicut & omnes alij graduati, genuflexi coram Prouinciali vel Præsidente Conuentus, professionem fidei emittant, iuxta bullam Pij IV. de cuius fidei professionis emissione testimonium autenticum reportare debebunt. Et si secus factum fuerit, collatio officij nulla sit.

Lectores primi, qui & doctores Conuentuum nuncupantur, per ea quæ in cap. Veneto 1592. sancita sunt, primam post patres graduatos in religione ipsis antiquiores in patrum consiliis vocem habeant. Verum in cap. Neapol. 1600. reprimitur hoc statutum hoc modo. Ita intelligenda est prædicta ordinatio, quod Lectores primi post graduatos, .i. Magistros, eos qui fuerunt Prouinciales illius vel alterius Prouinciæ, Inquisitores, Baccalaureos, Prædicatores generales, Suppriorem, & post eos qui fuerunt Lectores primi, in eo Conuentu, imo & qui fuerunt Priores ibi vel alibi, in religione antiquiores, vocem habeant primam. Et Romæ 1571. dicitur Lectores in quibuscumque Prouinciis, Vicariis, & Congregationibus locum suæ professionis tenere debent, nec permittantur locum superiorem tenere, nisi alius ratione gradus sibi deberetur, non obstante quacumque consuetudine. Confirmatur Barch. 1574. Neque etiam ratione gradus lectoratus à chori sequela exempti sunt. Vnde in declar. cap. de studentibus dicitur, Lectores vt Lectores nullam habent libertatem remanendi à choro, & à refectorio, sed Priores pensatis eorum laboribus in continuitate lectionum, poterunt quandoque cum eis in abstinentiis, & vigiliis dispensare. Et in decl. cap. de officio Ecclesiæ, habetur. Nullus frater ratione paternitatis aut alterius gradus exemptionem prætendat à sequela chori, aut aliis grauaminibus ordinis Lectoribus, Prædicatoribus ac Magistris actu legentibus, & prædicantibus dumtaxat exceptis. Et Venetiis 1592. dicitur omnes fratres cuiuscumque gradus, & conditionis sint, teneri ad sequelam chori, die noctuque & ad alia ordinis grauamina sufferenda, & etiam ad hebdomadariam, respectiuè Magistris in Theologia Lectoribus ac Prædicatoribus, actu legentibus vel prædicantibus, dumtaxat exceptis, circa quos legitimæ consuetudines prouinciarum seruentur. Reliqui vero tam Lectores quam Prædicatores, nullis prorsus gaudeant priuilegiis, & Prælati sub pœna priuationis officiorum, & vocis vtriusque, illos nullis gaudere priuilegiis permittant. Quod, & Parisiis 1611. repetitum fuit, Valentiæ vero 1596. & Romæ 1601. confirmatur tantum illa particula vt graduati teneantur ad sequelam chori, Magistris Lectoribus, & Prædicatoribus actu legentibus, & prædicantibus dumtaxat exceptis circa quos consuetudines legitimæ seruentur. Romæ autem 1608. pro prouincia Lombardiæ ita statutum reperitur. Lectores non actuales nullis prorsus gaudeant priuilegiis,

& exemptionibus lectorum, sed teneantur sequi chorum die noctuque vt alij fratres. Qui autem per integros duodecim annos legerint, ferialibus tantummodo diebus, à matutinis de nocte eximantur.

Aduertant Lectores, id quod traditum fuit Bononiæ 1564. vt in publicis disputationibus quæ in capitulis, tum generalibus, tum prouincialibus fiunt, assertiones proponant, de Sacra Scriptura, vel Theologia speculatiua, siuè morali. Alia verò quæ curiositati potius quam vtilitati seruiunt, aut parcè inserantur, aut omnino dimittantur. Cœtera quæ de Lectorum exercitiis desiderantur habentur capitibus præcedentibus, de studentibus, de studiis generalibus, & de lectionibus.

De patribus à consiliis.

CAPVT XLV.

DE huiusmodi patribus à consiliis non nisi incidenter sermo habetur in Constitutionibus, nam in cap. de domibus construendis, siuè de ædificiorum qualitate, habentur hæc verba.

Mandamus in domibus nostris iam constructis nullam fieri ædificationem notabilem, nisi de licentia Prouincialis, & consilio, & assensu patrum.

Et cap. de electione Prioris dicitur.

Prior autem Conuentualis de Consilio discretorum fratrum sui Conuentus, instituat Suppriorem.

In declarationibus vero multa habentur, & primo ex decla. cap. de recipiendis, de examinatoribus recipiendorũ dicitur eos debere esse de consilio patrum, & subdit. Ad hoc autem consilium vocandi sunt, qui fuerunt Priores vel Lectores primi, vel Vicarij nationum, vel in studio generali sententias legerunt, vel qui sunt actuales Suppriores, & qui per Magistrum ordinis, aut Prouinciales instituti sunt, & in nullo Conuentu, excepto Parisiensi ob multitudinem graduatorum, duodenarium numerum excedant, ad quem ante ætatem quadraginta annorum nullus admittatur, exceptis his qui patres de iure sunt, de quibus supradictum est. Post Priorem autem primo Magistri debent computari, subinde Supprior, & Baccalaureus ordinarius tantum, & successiue cæteri prout iuris ratio postulat, & hi locum suæ professionis teneant, siuè sint patres de iure, siue ex gratia. In declarat. cap. de officio Ecclesiæ, dicitur nullus frater ratione paternitatis exemptionem à choro, & aliis grauaminibus ordinis prætendere potest.

Ex ordinationibus vero capitulorum hæc habentur. Romæ 1569. dicitur. In quolibet Conuentu sint deputati aliqui patres à consiliis viri prudentes, sinè quibus, non liceat Prioribus grauiora Conuentus tractare negocia, quæ in peculiari libro etiam præscribenda sunt, nec possunt Priores ad libitum hos patres instituere, aut destituere, cum hoc ad Prouinciales pertineat, & præter eos qui secundum Constitutiones hoc officio fungi consue-

tiam de eisdem casibus, inter paucos religiosos in ipsis commorantes, fieri curabunt Superiores.

Habenda est etiam lectio sacræ scripturæ iuxta decretum Concil. Trid. quod est sess. 5.

In Conuentibus regularium, in quibus studia commodè vigere possunt, sacræ scripturæ lectio habeatur, quæ lectio à capitulis generalibus, vel prouincialibus assignetur dignioribus Magistris.

Bononiæ autem 1564. In huius decreti obseruantia statutum fuit, vt in omnibus Conuentibus in quibus studia vigent, & in aliis, qui idonei iudicabuntur, sacræ scripturæ lectio assignetur, ad quam per legendam illi potissimum assumantur, quorum doctrina aduenientes spiritualem fructum referre possint. Et Romæ 1569. dicitur. Festiuis diebus toto anno in nostris Ecclesiis, legatur populo lectio de sacra scriptura, vel de Catechismo, cui lectioni intersint fratres maxime iuniores, & laici. Idem habetur Romæ 1571. Barch. 1574. Venetiis 1592.

Linguam Græcam, vel Hebraicam, non addiscant fratres, sine peculiari licentia Prouincialis in scriptis habenda, in qua fiat mentio expressa præceptoris à quo addiscere eam debent, quod & fuit confirmatum Romæ 1569. Romæ 1571. Barchin. 1574. At Romæ 1608. ordinatur, vt post sex menses ab harum notitia Prouinciales singuli in sua prouincia, teneantur instituere studium linguarum præcipuè Hebraicæ, & Græcæ, conquisitis ad id munus doctissimis pręceptoribus, quod si ex ordine nostro haberi non possint, ex secularibus eligant designatis annuis stipendiis ex communibus prouinciæ sumptibus.

Et Parisiis 1611. denuntiatur Paulum 5. circa studium linguarum constituisse vt infra.

Hac perpetuò valitura Constitutione sancimus, vt in cuiuscumque ordinis tam mendicantium, quam non mendicantium studijs omnibus, trium linguarum Hebraicæ. s. Græcæ, & Latinæ, in celebrioribus verò etiam Arabicæ doctores habeantur, regulares quidem eiusdem ordinis si sint illarum notitiam habentes, sin autem alterius ordinis, vel seculares, qui illas doceant, &c. Omnibus regularium Superioribus sub pœna indignationis nostræ, & si ipsi negligentes fuerint, Protectoribus ordinum iniungimus, vt prouideant, quod talia studia instituantur, &c. Et in promotione ad doctoratum, & alios gradus illi cæteris paribus præferantur, qui in cognitione trium dictarum linguarum profecerint.

De studijs generalibus.

CAP. XLII.

QVælibet prouincia, exceptis Gręciæ, Dacię, Terræ sanctæ, prouideat, vt semper in Conuentu aliquo idoneo, sit generalé studium, & solemne, & ad illum locum quilibet Prouincialis potestatem habeat mittendi duos fratres idoneos ad studendū Quod si in aliqua prouincia, Lector sufficiens pro tali studio non fuerit, Magister ordinis de Lectore prouideat compe-

In prouincia
- Calabria, Conu. Consentinus.
- S. Crucis Indiarum, Conu. Ciuitatis S. Dominici.
- S. Io. Baptistæ del Peru, Conu. Ciuitatis Regum, & della Plata.
- S. Dominici, Conu. Patauinus.
- S. Petri martyris, Conu. S. Eustorgij de Mediolano.
- S. Antonini de nouo regno, Conu. S. Dominici de Tuniæ.
- S. Laurentij de Chilæ, Conu. S. Rosarij de Chilæ.
- Aprutina, Conuentus Aquilanus.
- Occitana, Conu. Tholosanus, & Auinionensis.

In Congregatione Gallicana, Conuentus Nanetensis, Parisiensis,
In Congregatione Rusiæ, Conuentus Leopoliensis.

Prouinciales debent diligenter de iuuenibus, aptis ad studium, qui in breui possunt proficere inquirere, & illos ad studia generalia mittere, si tamen sint benè morigerati, & his parcatur à discursu, & aliis occupationibus, ne à studio retrahantur. Nullo autem modo mittant discolos, & ineptos. Et si qui tales missi sunt, illico reuocentur, ne aliis impedimentum præstent. Fratres missi ad studia generalia extra suas Prouincias sunt de illis Conuentibus à quibus recesserunt, & completo triennio studij taxato à Constit. remanent Conuentuales illius Conuentus in quo erant prius assignati. Si autē est studens suæ prouinciæ completo studio remanet Conuentualis illius Cōuentus in quo fuit studens. Hæc ex declarat. eiusdem capitis de studentibus.

Pius II. vt apparet in suo priuilegio 1. omnibus Generalibus mendicantium concedit, vt reuocare possint, ac punire fratres suos in studiis generalibus, vel vniuersitatibus assignatos, cum discoli, & rebelles euadunt his verbis.

Cum itaque sicut accepimus Prouinciales nonnullos ex fratribus suis idoneos ad literarum studia, in locis vbi vigent, destinare consueuerint, &c. quorum nonnulli discoli, & vagabundi effici solent, &c. & priuilegiis studiorum tueri se satagunt cōtra obedientiam Prælatorum, &c. Nos itaque &c. discretioni vestræ mandamus, quatenus fratres vestros inobedientes tamdiu excommunicatos, ac omnibus gradibus Magisterij, Baccalaureatus, Biblia[t]us, Lectoriæ priuatos nuntietis, & ab aliis, vbi, & quando, & quoties expedierit nuntiari procuretis, & si eorum contumacia, vel rebellio id exposcerit, carceribus mancipari faciatis, donec humiliter obedire studuerint, &c.

Et in Conc. Trid. sess. 25. de reg. cap. 4. legitur.

Illi etiam (s. regulares) qui studiorum causa ad vniuersitates mittuntur, in Conuentibus tantum habitent, alioquin, ab Ordinariis contra eos procedatur.

Hæc ex capitulis habentur, Iuuenes ad studia mittendi, non præferantur iure antiquitatis, sed à Prouinciali, vel Priore Conuentuali de consilio patrum eligantur, qui probatis moribus, præuio etiam examine magis idonei inuenti fuerint, Romæ 1569. & Barch. 1574. Et Romæ 1589. dicitur. Nullus ad collegia, seu studia mittatur generalia, nisi à patribus Conuentus in quo vixit, & à quo discedit, doctrinæ, & morum testimonium secum detulerit. Item, Studentes formales quadriennales sint, aut ad minus cum Superiorum dispensatione triennales. Et Romæ 1601. statuitur, vt tantum sint triennales. Valleoleti 1605. dicitur. Tēpus studij formalium studentium sit trien-

nium completum, quo finito, non possunt vltra in eodem studio manere, vt aliis locus detur. Romæ 1608. Quolibet anno, tam in principio, quam in fine studiorum, examinentur studentes, ab officialibus studij, seu moderatoribus, & inepti priuentur studio, & in aliis occupentur, & mandatur studentibus aliarum prouinciarum, vt peracto suorum studiorum tempore, quā primum ad suas prouincias reuertantu. Idem confirmatur Parisiis 1611. Omnes studentes, & studij officiales non nisi latino sermone loquantur, & literas scribant, tam in exerercitiis literatiis quàm extra, Romæ 1571. & Barchinone apponitur pœna priuationis officiorum.

De lectionibus habendis.

CAP. XLIII.

NVllus fratrum nostrorum legat in prophetis, vel psalmis alium sensum literalem, nisi quem sancti approbant, & confirmant. *Ex Cap. de studentibus.*

Multa tradita sunt circa qualitatem lectionum. Nam Bonon. 1564. dicitur. In studiis generalibus duæ lectiones de sententiis, aut de partibus summæ D. Thomæ semper habendæ sunt, altera speculatiua, altera moralis, & pretextu lectionis sacræ scripturæ nihil immutetur circa theologiæ scholasticæ lectiones. Romæ 1571. Speculatiua sit de 1. parte S. Thomæ, vel etiam, de prima secundæ, aut etiam de Incarnatione, Moralis vero sit de 2. 2. vel de 4. sententiarum. In disputationibus alternis vicibus de vtraque proponantur conclusiones, & in quotidianis exercitiis de vna fiat conclusio, de altera collatio, vt vtriusque rationem habeant studentes. Confirmatur Barchin. 1574. & Romæ 1580. Romæ vero 1589. statuitur. Ne tempus frustra conteratur mandatur sub præcepto formali Regentibus, & Baccalaureis studiorum, vt infra quatuor annos totam S. Thomæ summam ambo simul perlegisse teneantur materias difficiliores, & magis necessarias explicantes, opinionum vero superfluitates, & alia minus necessaria resecantes, & monentur studiorum officiales, ne pretextu prędicationis studia prætermittant, studentes quoque concionibus non vacent vsque quo studium compleuerint, aliterà studio amoueantur. In cap. vero sequenti Veneto 1592. declaratur ablatam fuisse obligationem legendi collectim, totam summam quadriennio, admonenturque prædicti studiorum officiales, & alij Lectores, vt difficiliores, & magis necessarias materias tractent, & minus necessarias dimittant, vt sic discipuli proficere possint.

In exponenda doctrina SS. Patrum seruent fideliter illud sac. Conc. Trid. decretum, quod habetur sess. 4. cap. 2.

Synodus sancta ad coercenda petulantia ingenia decernit, vt nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianę pertinentium, sacram scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum quem tenuit, & tenet S. mater Ecclesia cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum scripturarum, aut etiam contra vnanimen consensum Patrum ipsam sacram scripturam

interpretari audeat, etiamsi huiusmodi interpretationes, nullo vnquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contra fecerint per Ordinarios declarentur, & pœnis à iure statutis puniantur.

Vbi autem, & quando habenda sit Sacræ Scripturæ lectio dictum est supra cap. de studentibus, ibidem etiam dictum fuit de lectione casuum conscientiæ. Et in decla. cap. de studentibus habetur. Nullus frater audeat recitare, aut confirmare aliquam singularem opinionem contra communem doctorum sententiam, in his quæ ad fidem vel bonos mores pertinere noscuntur, nisi reprobando, & obiectionibus respondendo. Et Valleoleti 1605. mandatur omnibus sub pœna priuationis graduum, ne inter legendum affirment vel tueantur quamcumque singularem opinionem, quæ communi SS. Patrum sententiæ dissona sit, nec eam quouis modo referant nisi ad confutandum. Et omnes inuigilent in voluminibus SS. Patrum euoluendis, & suas opiniones eorundem sententiis corroborare nitantur, & eos in fonte respicere teneantur. De vsu autem sacrarum scripturarum, habenda est præ oculis illa aurea sententia Sac. Conc. Trid. sess. 4. cap. 2.

Post hæc temeritatem illam reprimere volens, qua ad Prophana quæque conuertuntur, & torquentur, verba, & sententiæ sacræ scripturæ, ad scurrilia. s. fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias & diabolicas incantationes, diuinationes, sortes, libellos etiam famosos mandat ac præcipit (Synodus) ad tollendam huiusmodi irreuerentiã & contemptum, ne de cætero quispiam quomodolibet, verba scripturæ sacræ, ad hæc, & similia audeat vsurpare, & omnes huius generis temeratores, & violatores verbi Dei iuris, & arbitrij penis per Episcopos coerceantur.

Caueant etiam qui docent, ne aliquid statuant, aut asserant, quod sit decretis Conc. Tridentini dissonum. Vnde Romæ 1569. præcipitur omnibus Magistris, Baccalaureis, Lectoribus, & aliis quibuscumque sub pœna priuationis cuiuscumque gradus, vltra pœnas à iure statutas, ne audeant asserere, aut defendere publice vel priuatim, articulum vllum pugnantem cum articulis, seu decretis Conc. Trid. siue ad bonos mores, siue ad dogmata fidei attinentibus, præsertim cum canone illo de confessione necessario præmittenda ante sumptionem corporis Christi, etiam, si aliquem ex nostris insignioribus doctoribus, Durandum. s. & Caietanum vel alium patrocinantem habuerint. Confirmatur Romæ 1571. Barchinone 1574. & Romæ 1580. Et præ cæteris notanda est Constitut. Pij 4. super confirmatione dicti concilij ita disponens.

Auctoritate Apostolica inhibemus omnibus, tam Ecclesiasticis personis cuiuscumque ordinis sint, quam laicis, &c. sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis, ne quis sine auctoritate nostra audeat vllos commentarios, glossas, annotationes, scholia, vllum vè interpretationis genus, super ipsius Conc. decretis, quocumque modo edere aut quicquam quocumque nomine etiam sub prætextu maioris corroborationis, aut executionis aliovè quæsito colore statuere. Si cui vero in eis aliquid obscurius dictum vel statutum fuisse, eamque ob causam interpretatione, aut decisione aliqua egere, visum fuerit: accedat ad sedem Apostolicam omnium fidelium magistram, &c.

De doctrina autem D. Thomæ hæc decernuntur in decl. capitis de studendentibus. Imponitur omnibus lectoribus, quod doctrinam S. Thomæ quæ

aliis sanior est, & communior, ac ordini nostro, & toti mundo vtilis, & honorabilis, legant, & secundum eam determinent, & in ea scholares suos informent, & in disputationibus, conclusiones eiusdem S. Doctoris teneant, & defendant, & rationes contrarias soluant. Districtè etiam prohibetur, ne aliquis frater legendo, disputando aut determinando audeat asserere, aut tenere assertiuè contrarium eius quod communiter tenetur esse de opinione dicti S. Doctoris. Qui autem in hoc deliquerit, officio lectoratus priuetur. Est enim eius doctrina per totum orbem splendens, tanquam clara, firma, & solida, inter alias, per sedem Apostolicam, per principalesque Ecclesiæ doctores, cum testimonio, Vniuersitatis Parisiensis, confirmata. Debent autē Lectores Theologiæ, legere totum articulum S. Thomæ, & ex ipsomet illum declarare, & dilucidare. Quicũque autem verbo vel scripto, à solida doctrina D. Thomæ recesserit, contrarium aliquid illi dicendo, officio lectoratus, & quocumque alio gradu, & dignitate priuetur perpetuo. Ita sancitum fuit Bononiæ 1564. & confirmatum fuit Romæ 1569. Romæ 1571. Barchinonæ 1574. Valentiæ 1596. vbi extenditur pœna priuationis etiam ad prædicatores, si aliquid contra eundem S. Doctorem populo proponant. Et Parisiis 1611. decernitur vt Lectores in legendo textum siuè Arist. siuè S. Thomæ non summarie, vel confusè, sed articulate declarent, & exponant, rationem habentes non solum sententiæ, sed etiam ordinis, & connexionis textuum, & hæc à discipulis in examine, & conscientiis exigant, & memoriæ tradi procurent.

De Lectoribus.

CAP. XLIIII.

NVllus fiat publicus doctor, aut disputet, nisi de licentia Prouincialis, & Diffinitorum capituli prouincialis.

Ex cap. de studentibus.

In primis Alexander 4. facultatem concedit Magistro ordinis, & Prioribus deputandi Lectores, etiam ad legendum Sacrā Theologiam his verbis, vt patet in suo priuilegio 17.

Hinc est quod deuotioni vestræ, præsentium auctoritate concedimus, vt singuli fratres de ordine vestro, quos secundum Constit. ipsius ordinis Conuentibus vestris deputandos duxeritis in Lectores, sine cuiusquam alterius licentia, liberè in domibus prædicti ordinis legere, ac docere valeant in Theologica facultate, illis locis exceptis vbi viget studium generale, ac etiam quilibet in facultate ipsa docturus solemniter incipere consueuit.

Sixtus 4. in Marimagno eadem propriissima verba repetens, illa communit, & corroborat. Ex decl. Per publicum doctorem intelligit Constitutio, publicum, & principalem Lectorem. In capitulo etiam de domibus concedens dicit Constitutio.

Nullus Conuentus admittatur sine Priore, & doctore.

Et declaratio ibidem habet, per doctorem debere intelligi Lectorem qui legat in eo Conuentu, & Venetiis 1592. cum agitur de voto præstando

à Lectoribus primis in consilio dicit Lectores primi qui, & doctores Conuentuum nuncupantur. Huiusmodi autem principales Lectores, non debent ad lecturam cuiuscumque facultatis promoueri, nisi per Prouincialem, & Diffinitores capituli prouincialis fuerint sufficientes iudicati, & hi debent quotidiè vel saltem quatuor vicibus in septimana legere, legitimo cessante impedimento, alias gratiis Lectorum priuentur. Et quamuis Prouincialis Lectorē principalem possit instituere, & habilitare eum ad legendum in Sacra Theologia in Conuentibus vbi non viget studium generale, dummodo non legat vt Magister, non tamen potest habilitate aliquem ad legendum pro gradu, & forma Magisterij.

Nullus autem ad legendum logicalia approbetur, nisi prius logicam nouam duobus annis audierit, & aliis duobus annis audierit naturalia, & per principalem Lectorem, necnon & Lectorem naturalium idoneus iudicatus fuerit. Ad legendum vero naturalia nemo admittatur nisi duobus annis Theologiam audierit, & in questionum obiectionibus, & responsionibus testimonio principalis Lectoris, & Magistri studentium ad hoc fuerit sufficiens reputatus. Ad legendum vero sententias nullus exponatur, nisi per quatuor annos in aliquo studio Theologiam audierit, & prædictorum testimonio verbo, vel scripto, idoneus fuerit repertus, & totum cursum artium integre, & non interpolate à dialectica incipiendo persoluerit, Barchin. 1574. Romæ autem 1589. dicitur. Ad lectoratus gradum nullus promoueatur, nisi totam S. Thomæ summam integrè audierit. Lectores non occupentur in aliis exercitiis, nec retrahantur à studiis, nec in officio regiminis occupentur, donec aliquibus annis munus Lectoris exercuerint.

Romæ 1571. ordinatur, vt Lectores non assumantur iure antiquitatis, nec ad determinatum tempus assignentur, sed à Prouincialibus, & Diffinitoribus deputentur, qui magis idonei sunt ad docendum, Et qui in hoc munere docendi egregij sunt, etiam causa prelationis à studiis non arceātur. Idem confirmatur Barch. 1574. Romæ 1580. Et Romæ 1589. apponitur præceptum formale, & pœna excommunicationis, Prouincialibus, Vicariis, Diffinitoribus, & aliis qui prouisioni studiorum intendunt vt semoto omni particulari affectu, solum Deum, & religionis beneficium sibi proponentes, non nisi idoneos, & tanto muneri aptos, qui suis discipulis prodesse possint admittant, & hoc per vota secreta. Et Valentiæ 1596. Confirmatur ordinatio de examinandis omnibus graduandis, & approbandis per vota secreta, & statuitur, vt inter Lectorum, & aliorum studij officialium examinatores conuocentur Prior conuentus, vbi talis est consuetudo, Regens, Baccalaureus, cum tribus aliis Magistris, si haberi poterunt, vel Baccalaurei, aut Lectores Theologiæ ad arbitrium Prouincialis, ita vt omnino sint quinque examinatores, quibus sub præcepto formali, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ mandatur, ne odio aut amore indignos approbent, & dignos excludant, sed pro conscientia sua vota secreta præbeant. Et Superioribus sub eodem præcepto, & pœna imponitur, ne quempiam ad præfata officia, & gradus admittant, sine huiusmodi præuio examine, & ap-

probatione. Quæ ordinatio confirmatur Romæ 1601. reuocata excommunicationis pœna, Et Valleoleti 1605. additur, vt in prouisionibus studiorum non attendant Prælati ad solam professionis antiquitatem, sed personarum sufficientiam eruditionem, & bonos mores, vt discipulos verbis, & factis instruant. Et Romæ 1608. declaratur, quod Lectores examinati, & approbati in aliquo studio generali, non teneantur amplius examinari in propria vel aliena prouincia. Et Neapoli 1600. statuitur, Lectores in sui institutione sicut & omnes alij graduati, genuflexi coram Prouinciali vel Præsidente Conuentus, professionem fidei emittant, iuxta bullam Pij IV. de cuius fidei professionis emissione testimonium autenticum reportare debebunt. Et si secus factum fuerit, collatio officij nulla sit.

Lectores primi, qui & doctores Conuentuum nuncupantur, per ea quæ in cap. Veneto 1592. sancita sunt, primam post patres graduatos in religione ipsis antiquiores in patrum consiliis vocem habeant. Verum in cap. Neapol. 1600. reprimitur hoc statutum hoc modo. Ita intelligenda est prædicta ordinatio, quod Lectores primi post graduatos, .i. Magistros, eos qui fuerunt Prouinciales illius vel alterius Prouinciæ, Inquisitores, Baccalaureos, Prædicatores generales, Suppriorem, & post eos qui fuerunt Lectores primi, in eo Conuentu, imo & qui fuerunt Priores ibi vel alibi, in religione antiquiores, vocem habeant primam. Et Romæ 1571. dicitur Lectores in quibuscumque Prouinciis, Vicariis, & Congregationibus locum suæ professionis tenere debent, nec permittantur locum superiorem tenere, nisi alius ratione gradus sibi deberetur, non obstante quacumque consuetudine. Confirmatur Barch. 1574. Neque etiam ratione gradus lectoratus à chori sequela exempti sunt. Vnde in declar. cap. de studentibus dicitur, Lectores vt Lectores nullam habent libertatem remanendi à choro, & à refectorio, sed Priores pensatis eorum laboribus in continuitate lectionum, poterunt quandoque cum eis in abstinentiis, & vigiliis dispensare. Et in decl. cap. de officio Ecclesiæ, habetur. Nullus frater ratione paternitatis aut alterius gradus exemptionem prætendat à sequela chori, aut aliis grauaminibus ordinis Lectoribus, Prædicatoribus ac Magistris actu legentibus, & prædicantibus dumtaxat exceptis. Et Venetiis 1592. dicitur omnes fratres cuiuscumque gradus, & conditionis sint, teneri ad sequelam chori, die noctuque & ad alia ordinis grauamina sufferenda, & etiam ad hebdomadariam, respectiuè Magistris in Theologia Lectoribus ac Prædicatoribus, actu legentibus vel prædicantibus, dumtaxat exceptis, circa quos legitimæ consuetudines prouinciarum seruentur. Reliqui vero tam Lectores quam Prædicatores, nullis prorsus gaudeant priuilegiis, & Prælati sub pœna priuationis officiorum, & vocis vtriusque, illos nullis gaudere priuilegiis permittant. Quod, & Parisiis 1611. repetitum fuit, Valentiæ vero 1596. & Romæ 1601. confirmatur tantum illa particula vt graduati teneantur ad sequelam chori, Magistris Lectoribus, & Prædicatoribus actu legentibus, & prædicantibus dumtaxat exceptis circa quos consuetudines legitimæ seruentur. Romæ autem 1608. pro prouincia Lombardiæ ita statutum reperitur. Lectores non actuales nullis prorsus gaudeant priuilegiis,

& exemptionibus lectorum, sed teneantur sequi chorum die noctuque vt alij fratres. Qui autem per integros duodecim annos legerint, ferialibus tantummodo diebus, à matutinis de nocte eximantur.

Aduertant Lectores, id quod traditum fuit Bononiæ 1564. vt in publicis disputationibus quæ in capitulis, tum generalibus, tum prouincialibus fiunt, assertiones proponant, de Sacra Scriptura, vel Theologia speculatiua, siuè morali. Alia verò quæ curiositati potius quam vtilitati seruiunt, aut parcè inserantur, aut omnino dimittantur. Cætera quæ de Lectorum exercitiis desiderantur habentur capitibus præcedentibus, de studentibus, de studiis generalibus, & de lectionibus.

De patribus à consiliis.

CAPVT XLV.

DE huiusmodi patribus à consiliis non nisi incidenter sermo habetur in Constitutionibus, nam in cap. de domibus construendis, siuè de ædificiorum qualitate, habentur hæc verba.

Mandamus in domibus nostris iam constructis nullam fieri ædificationem notabilem, nisi de licentia Prouincialis, & consilio, & assensu patrum.

Et cap. de electione Prioris dicitur.

Prior autem Conuentualis de Consilio discretorum fratrum sui Conuentus, instituat Suppriorem.

In declarationibus vero multa habentur, & primo ex decla. cap. de recipiendis, de examinatoribus recipiendorũ dicitur eos debere esse de consilio patrum, & subdit. Ad hoc autem consilium vocandi sunt, qui fuerunt Priores vel Lectores primi, vel Vicarij nationum, vel in studio generali sententias legerunt, vel qui sunt actuales Suppriores, & qui per Magistrum ordinis, aut Prouinciales instituti sunt, & in nullo Conuentu, excepto Parisiensi ob multitudinem graduatorum, duodenarium numerum excedant, ad quem ante ætatem quadraginta annorum nullus admittatur, exceptis his qui patres de iure sunt, de quibus supradictum est. Post Priorem autem primo Magistri debent computari, subinde Supprior, & Baccalaureus ordinarius tantum, & successiue cæteri prout iuris ratio postulat, & hi locum suæ professionis teneant, siuè sint patres de iure, siue ex gratia. In declarat. cap. de officio Ecclesiæ, dicitur nullus frater ratione paternitatis exemptionem à choro, & aliis grauaminibus ordinis prætendere potest.

Ex ordinationibus vero capitulorum hæc habentur. Romæ 1569. dicitur. In quolibet Conuentu sint deputati aliqui patres à consiliis viri prudentes, sinè quibus, non liceat Prioribus grauiora Conuentus tractare negocia, quæ in peculiari libro etiam præscribenda sunt, nec possunt Priores ad libitum hos patres instituere, aut destituere, cum hoc ad Prouinciales pertineat, & præter eos qui secundum Constitutiones hoc officio fungi consue-

uerunt, alios substituat Prouincialis, ita tamen quod illorum numerus duodenarium non excedat. Et Romæ 1589. statuitur idem de ætate constituendorum, & de numero duodenario, & prohibetur Prælatis sub pœna absolutionis ab officio, ne alios supra prædictum numerum conuocent. Et sit secus fiat, totum sit irritum, & decreta in cõsiliis facta nullius sint roboris. In hoc consilio præter supra nominatos de iure conuocandos, conuocari etiam debent Magistri nouitiorum vt magno honore habeantur, si si tamen sint maturæ ætatis, Romæ 1571. & Barch. 1574. Et Parisiis 1611. Conuocentur etiam Prædicatores, qui per decennium integra quadragesima munus Prædicationis gratiosè exercuerunt, in illis Conuentibus in quibus erunt assignati, ita statuitur Barchin. 1574. & Romæ 1580. Qui fuerunt Priores erunt patres à consiliis semper in illis Conuentibus in quibus præfuerunt. Qui vero fuerunt Prouinciales vbique patres erunt, etiam extra prouinciam in qua fuerunt Prouinciales, ita declaratur Valleoleti 1605.

Neapoli 1600. habetur. Quæ in consiliis tractabuntur, per vota secreta approbentur, & in libro ad hoc deputato conscribentur, per aliquem ex patribus prædictis, vel per alium Sacerdotem ex assignatis in Conuentu loco secretarij, per vota secreta electum. Qui si non erit ex collegio patrum, habebit non vocem decisiuam, sed consultiuam tantummodo, & nihilominus tenebitur ad secretum, sicut & alij. Et Prouinciales in visitationibus id seruari procurent. Qui autem reuelauerit secreta consilij in præiudicium iustitiæ, vel correctionis, aut etiam personæ cuiuscumque, & quomodocumque, sit præsenti statuto in perpetuum priuatus paternitate, nec admitti possit nisi per Capitulum Generale, vel Magistrum ordinis, vt traditur Barch. 1574. & Romæ 1580.

Potissimum autem hæc in consilio patrum pertractanda sunt. Institutio Supprioris, quando fit à Priore, cap. de institutione Supprioris. Ædificia notabilia in Conuentibus, cap. de ædificiorum qualitate, & Romæ 1589. Absolutio Supprioris instituti siuè à Prouinciali siuè à Priore, Valentiæ 1596. Institutio, & absolutio Magistri nouitiorum, quando extra capitulum de hoc discutitur, Electio nouitiorum ab ordine ante professionem, ibidem, & Venetiis 1592. Extractio librorum à cõmuni Bibliotheca Neap. 1600. Romæ 1601. Valleoleti 1605. Alienatio siuè commutatio bonorum immobilium etiam habita licentia Prouincialis. Valleoleti 1605. Electio depositariorum Conuentus. Valleoleti 1605. & Romæ 1608. Licentia ad itinerandum extra fines sui Conuentus ex declarat. cap. de itinerantibus. Admissio fratrum ad collegia siuè ad studia generalia. Romæ 1589. Destinatio Prædicatoris ad instituendam societatem S. Rosarij, & eius institutio, Venetiis 1592. Examen, & admissio fratrum ad audiendas confessiones, tam secularium quam fratrum. Et vniuersaliter, ea omnia quæ à toto capitulo fratrum definienda sunt, prius in consilio patrum discuti solent. Quando autem loqui debeant Lectores primi in consilio, dictum est cap. de Lectoribus. In formulario ordinis cap. de officio consiliariorum dicitur, hæc tractanda esse in consilio præter supradicta, Computatio rationum

officialium

officialium Conuentus, Combinatio fratrum euntium ad prædicandum, siue ad quæstum, Prouisio familiæ recipiendæ vel abiiciendæ, Prouisio de necessariis emendis, Distributio librorum fratrum defunctorum.

De Syndicis, depositariis, & Inuentariis bonorum.

CAPVT XLVI.

PEte quæ supra tradita sunt capite, De administratione bonorum in hac secūda parte, & addes, hæc ex cap. Valleoletano 1605. & Romano 1608. Quoniam longa syndicorum in suo officio perduratio Conuentibus damnosa esse solet, ordinatur vt nullus syndicus, possit in syndicatus officio permanere, plusquam per triennium, quo completo ipso facto sit à dicto officio absolutus, nec ad illud ante biennium eligi possit sine licentia Prouincialis, & præmissa noua electione, & maioris partis vocalium Conuentus consensu. Syndico nunquam concedatur facultas acceptandi pecunias, quę ad extinctionem censuum erogari solent. Qui etiam teneatur singulis hebdomadibus vel mensibus ad summum, reddere rationem Priori, & Depositariis, de omnibus receptis, & pecunias omnes deferre ad depositum, vt in arca deponantur & custodiantur, vnde non poterunt extrahi, nisi in præsentia Prioris, & Depositariorum, & statim in libro maiori scribantur distincte, & clare in quos vsus expendantur. Et syndicus nullas pecunias expendere possit, nisi prius importatæ fuerint in depositum, & inde sibi fuerint, consignatæ à Priore, & Depositariis. Quod si aliter fecerit pœnæ proprietariis debitæ subiaceat. Ex decl. cap de Nouitiis, Fratres qui habent administrationem bonorum Conuentus, vt procuratores, sacristæ, &c. debent prędicta bona, cum vtilitate, & non cum detrimento administrare, & bene custodire à latronibus, & corruptionibus, & diligenter conseruare, &c. Nec debent pro his officiis salaria quærere, cum omnia opera sua, & voluntas in in manu Prælatorum sint, nec possunt illa vendere, distrahere, donare, &c. Et Romæ 1580. Syndici qui semel reperti fuerint furtum fecisse de bonis Conuentus, priuentur officio, & inhabiles reddantur ad quascumque administrationes temporalium bonorum. Et Bono. 1589. Omnes reditus, & prouentus quorumcumque fratrum, vndequaque aduenientes, Conuentibus quibus secundum iura, & Constit. applicari debent, applicentur, & à syndicis seu Procuratoribus exigi debent, non autem à fratribus singularibus, vt potè bona Conuentus non fratrum singularium, & Prælati pro cuiusque indigentia, in eorum vsus religiosos, secundum partem, aut etiam secundum totum conuertere poterunt. Et ex decl. cap. de Itinerantibus. Nullus frater debet in curia, ea quæ sibi annuatim legato relinquuntur, repetere, potest tamen iudici ostendere iura sua, & cartam cautelæ sibi factam, & etiam extra iudicium petere. Et in regula dicitur.

Siue autem qui cellario, siue qui vestibus, siue qui codicibus præponuntur, sine murmure seruiant fratribus suis.

Depositariorum vero officium statuitur Valleoleti 1605. & Romæ 1608.

modo vt infra. In quolibet Conuentu, vel domo deputetur aliquis locus fortis, & securus, quod depositum commune appelletur, cuius clauem habeat semper Prior, vel principalis Præsidens Conuentus. In quo deposito constituatur arca fortis, & valide compacta, quæ claudatur tribus seris, quarum claues habeant singuli singulas, videlicet Prior, siue Præsidens Conuentus, & duo patres Depositarij, moribus, & fidelitate probati, quos maior pars patrum à consiliis, ad hoc munus aptiores esse iudicantes elegerint, & in prædicta arca omnes pecuniæ Conuentus deponentur, & custodientur. In administrando autem deposito hæ leges obseruabuntur. Singulis hebdomadibus vel mensibus, ad prædictum depositum conueniant Prior, & duo Depositarij, quibus syndicus, procurator, sacrista, & alij ad quos ratiocinia Conuentus quoquomodo spectant, rationem reddant de receptis hebdomadæ, vel mensis præteriti. Præcipitur autem in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ obedientiæ, sub formali præcepto sacristis, vt nihil eorum quæ recipiunt, expendere audeant; neque etiam sub prætextu adornandæ Ecclesiæ, vel musicæ, vel alia occasione, sine licentia Prioris. Insuper sub eodem præcepto formali, mandatur omnibus fratribus, vt quascumque eleemosynarum pecunias, tam ad missas celebrandas, quam quauis alia ratione pro Conuentu eis traditas, infra spacium vigintiquatuor horarum, sacristæ consignent, nec apud se retineant. Liber magnus in arca depositi seruetur, à qua non possit extrahi nisi in præsentia Prioris, & Depositariorum, nec inde vllo alio modo, vel per breue tempus exportetur, præterquam tempore visitationis Prouincialis, tunc enim poterit ad eius cellam deportari, vt omnia ratiocinia intueri valeat. In quo libro ex vna parte scribantur omnia recepta, tam syndici, & sacristæ, quam aliorum, ita vt nihil in Conuentu recipiatur, quod in prædicto libro non scribatur, ex alia autem parte omnes expensæ referantur, vt sic tempore ratiocinij collatio fiat recepti, & expensi, & cognoscatur an bona Conuentus recte fuerint administrata. Hæ autem administrationis leges, districte, & inuiolabiliter seruentur.

Inuentaria autem ita formanda sunt, vt traditur Romæ 1601. Mandatur districte omnibus Prioribus, siue Præsidentibus, vt qua poterunt breuitate faciant memorialia, quæ vocantur inuentaria, tum de omnibus scripturis, tum de reditibusqui censuales dicuntur, tum de his, quæ in qualibet officina sunt. Ad quæ inuentaria constituatur liber in deposito, in quo primo, ponantur inuentaria priuilegiorum, & aliarum scripturarum pertinentium ad fundationem, & statum Conuentus, secundo ponatur inuentarium scripturarum censualium perpetuorum, & postea scripturarum censualium temporalium, per ordinem mensium, cum aliquo signo, tam in inuentario, quam in scriptura, vt possint facilè reperiri. Et in alia parte ponatur inuentarium omnium scripturarum pertinentium ad annuos reditus, frumenti, vini, & olei. In alio autem libro ponantur inuentaria sigillatim omnium bonorum, quæ inueniuntur in qualibet officina, in quibus de nouo ponantur, quæ de nouo fieri contigerit, maxime autem in inuentario sacristiæ, in quo debent notari omnia iocalia, & quæ offeruntur, quæ teneantur sacristæ

prȩsentare Priori, vt ponantur in inuentario, quantocius receperint. Et quibus inuentariis detur transumptus subscriptus à Priore cuilibet officiali talis officinæ, & Depositariis Conuentus. Romæ autem 1608. dicitur. I quolibet Conuentu sit locus tutus cum armariis siue capsulis in quibus scripturæ omnes recondantur, etiam liber professionis fratrum, & inuentaria omnium bonorum, &c. duplici autentico exemplari, quorum alterum in archiuio Conuentus, alterum vero in archiuio primarij Conuentus illius prouinciæ, vel Vicariæ, asseruetur.

Instrumenta etiam quæcumque fratrum particularium in archiuio condenda sunt. Vnde Venetiis 1592. mandatur sub præcepto formali, & pœna excommunicationis latæ sententiæ omnibus cuiuscumque conditionis, & gradus sint, aut dignitatis, vt qui apud se habent, vel apud quoscumque retinent, vel quempiam habere, aut retinere sciunt libellaria instrumenta, siue libellarios contractus, vel pecuniarum (vt fertur) inuestituras, siue nomine proprio, aut in propria persona, siuè nomine Conuentus quouis modo factas, teneantur infra spacium viginti quatuor horarum ab harum notitia, reuelare siue respectiue consignare, & effectualiter tradere Priori, aut præsidenti Conuentus, ne ob eorum ignorationem, morte interueniente Conuentus detrimentum patiatur. Priores vero huiusmodi scripturas sibi consignatas in archiuio Conuentus consignabunt, vt cum reliquis scripturis Conuentus seruentur.

In capitulo Valleoletano 1605. præcipitur in virtute Spiritus Sancti, & S. obedientiæ, ac sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Prioribus, siue præsidentibus ac Depositariis Conuentuum siue locorum, qui pensiones, census, reditus, vel alia bona solutioni quinquenni obnoxia possident, vt singulis annis trigesimam partem census, pensionis siue reditus in deposito communi in quadam capsula ad hoc destinata deponant, donec quinquennio completo, absque Conuentus grauamine solui possit, cui debetur, & nullus coaceruatam pecuniam sub eodem præcepto, & censura, quouis titulo aut quæsito colore, etiam ratione mutui, possit tollere, aut in alios vsus conuertere.

De Magisterij in sacra Theolog. gradu.

CAPVT XLVII.

IN surrexerunt ante tempora D. Thomæ Aquinatis quidam, quos ipse vocat impugnantes religionem, contra quos ipse opusculum edidit, quod est vigesimumnonum in ordine suorum. Qui inter alia diuulgabant studium, & Magisterij gradum, siue officium repugnare statui religiosorum, tum quia (inquiebant) religiosi ad hoc instituti sunt, vt sua, & aliorum peccata per pœnitentiam defleant, non vt studeant, & doceant, tum etiam quia Magisterij gradus à Christo D. vetitus apparet Matth. 23. dum Christus Apostolis suis dicit: Non vocemini magistri: vnus est enim Magister vester Christus. Et nolite vocari ab hominibus Rabbi. Contra istos longo progressu inuehitur S. Doctor probans ex multis studium religiosis conue-

autem redditur idoneus per charitatem, quam Deus donat, & qui accipit non potest certo scire an illam habeat. Et ideo Christus Petro futuro Pontifici Ecclesiæ dixit Io. vlt. Petre amas me, & Petrus dixit, Tu scis Domine, &c. Cõclusio igitur prima est. Appetere, seu petere, aut procurare cathedrã Magistralem de se est laudabile, nam licet appetere eas perfectiones, quæ aliquem perficiunt secundum seipsum, & præter ipsam perfectionem scientiæ nil aliud quærit, nisi oportunitatem communicandi aliis scientiam suam. Hoc autem laudabile est, iuxta illud Sap. 8. Quam sine fictione didici, & sine inuidia communico. Potest tamen hic appetitus continere aliquam turpitudinem ratione præsumptionis, si. s. aliquis qui idoneus non est gradum hunc appeteret, vel procuraret. Et ideo honestius esset, vt vnus pro alio, non pro se petat. Cõclusio secunda est. Appetere eminentiam potestatis vitiosum est, quia teste D. Gregor. Contra naturam hominis est superbire, & velle dominari. Et hinc sequitur etiam semper vitiosum esse appetere cathedram Pontificalem, quia cum homo efficiatur aptus ad illam per charitatem, & nemo scire potest, an illam possideat, sicut sciri potest, an habeat scientiam, præsumptuosum est semper se iudicare idoneum ad illam.

De Magistrorum institutione.

CAPVT XLIX.

NVllus Magistretur in sacra Theologia, nisi prius actus exercuerit pro forma, & gradu magisterij prædicti per quatuor annos ad minus in aliqua vniuersitate, oppositum autem faciens, eo ipso sit excommunicatus, atque omnibus gratiis, & officiis ordinis, & exemptionibus perpetuò sit priuatus, nec secum dispensari valeat, nisi per capitulum generale.

Nullus fiat Magister in sacra Theologia, qui non sit ætatis ad minus triginta annorum, & nisi sit sufficiens ad hoc, vt sit regens in aliquo studio generali, vbi viget in veritate studium Theologiæ. Iudicetur autem sufficientia hæc (nisi sit manifesta) per examinatores, qui absolutè referãt. Est vel nõ est iudicio nostro sufficiens, ad legendũ solẽniter sententias, vel vt sit Regens in studio vbi in veritate viget studium Theologiæ Et nihilominus per suæ prouinciç Prouinciale capitulum, vel illius diffinitorium sit expositus. Et à Magistro ordinis, vel capitulo generali assignari; vel licentiari possit. Si quis autem absque dictç sufficientiç iudicio, magisterij gradum (etiam cum licentia Magistti ordinis, vel capituli generalis) assecutus fuerit, pro non Magistro habeatur in nostro ordine in omnibus & per omnia, dantes facul-

tatem cuilibet diffinitorio, constito notoriè de insufficientia promoti sibi subditi, absque iudicio, vel examine suæ sufficientiæ hic statuto, quod declarent ipsum pro non promoto in nostro ordine habendum. *cap. de studentibus.*

Denuntiamus Bonifacium Papam nonum, Constitutionem edidisse, quæ per ordinem nequit immutari tenoris huiusmodi. Auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetua, & irrefragabili Constitutione sancimus, statuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, nullus ex fratribus ordinis Prædicatorum, absque licentia, seu assignatione capituli generalis secundum morem eiusdẽ ordinis, ad honorem Magisterij promoueri, nec gradu huiusmodi Magisterij fungi possit, aut debeat, nisi per dictum capitulũ fuerit approbatus, vel promotus, Contra faciens vero eo ipso excõmunicationis sententiam incurrat. Non obstantibus &c. sub quauis expressione &c. *Ex cap. de Constit. Bonifacij noni.*

Cum in prædicta Constitutione dicitur. Nullus in sacra Theologia Magistretur, nisi prius actus exercuerit pro gradu, & forma magisterij per quatuor annos, &c. addatur, vel legitima exercitia fecerit in lectura, & aliis actibus, qui in eadem vniuersitate in qua promoueri debet, de iure fieri consueuerunt. Quæ additio, vt cap. Romano 1569. habet tria capitula, & ex consequenti vim Constitutionis.

Notandæ hic sunt quædam Apostolicæ Constitu. pro magistris. Martinus V. in suo priuilegio 2. inhærendo decretis cap. Friburgi mandat licentiatos, & Magistratos, ac etiam in posterum licentiandos, & Magistrandos, pro nõ licentiatis, & magistratis haberi qui actus scholasticos pro forma &c. non compleuerunt in aliqua vniuersitate, in qua viget studium, & nisi in eodem studio sufficientes, & idonei iudicati fuerint. Idem Martinus V. priuilegio 3. concedit Magistro ordinis, vt quolibet capitulo generali secundum morẽ ordinis celebrando, vni ex fratribus in sacra Theologia prouecto præmisso examine faciendo per Diffinitores capituli, vel alios Magistros, & ab ipsis approbato, Magisterij honorem, & facultatem docendi conferre possit auctoritate Apostolica, qui quibuscũq; gratiis, & priuilegiis similibus concessis, vti & gaudere valeat. Iulius 2. in suo priuilegio 3. eidem Magistro ordinis indulget, vt binos socios suos quorum vnus solet esse Prouincialis Terræ sanctæ, & alter scriba, promouere valeat ad Baccalaureatus, seu Magisterij gradum. Idem priuilegio 2. concedit eidem, vt possit Baccalaureum ad Magisterium promouere non peracto quadriennio in vniuersitate, seruata tamen consuetudine dicti ordinis.

In declar. cap. De Const. Bonifacij 9. dicitur. Nullus ad Magisterium promoueatur nisi per capitulum generale eius lectura fuerit approbata, & nisi ipse fuerit ad assumendum Magisterium approbatus, & promotus, quæ Con-

stitut. fuit per multa capitula approbata, & renouata. In decl. cap. de studentibus idem fere habetur, & dicitur. Postquam autem aliquis sententias legerit, & actus Baccalaureatus pro gradu, & forma Magisterij perfecerit, non poterit ad magisterium habilitari, & illud assumere, nisi lecturam eius, & actus scholasticos, quos per quatuor annos fecerit, generale capitulum, vel Magister ordinis approbauerit, & oppositum faciens est excommunicatus, &c. Et infra. Protestamur autem actus scholasticos, siue lecturā sententiarum nullatenus in posterum cuiquam suffragari pro suscipiendo Magisterio, nisi fiant in illis Conuentibus, & Vniuersitatibus, quæ sup. notata sunt in cap. de studentibus. Barchinone 1574. Ad petitionem fere omnium prouinciarum ordinatum fuit, vt nullus promoueatur ad Magisterium in illis prouinciis, in quibus multitudo Magistrorum existit, quousque redigantur ad numerum duodenarium, qui nunquam excedi possit. Et alias promoti pro non promotis habeantur. Verum postea auctus fuit hic numerus, vt infra notabitur, & habetur cap. Romæ 1589. Et Romæ 1580 Ordinatur, vt nullus deinceps promoueatur ad gradus Magisterij, aut etiam Baccalaureatus, nisi habeat petitionem suæ prouinciæ, qua obtenta nō nisi præmisso rigoroso examine per quinque examinatores, & per vota secreta admittatur, & subditur id inuiolabiliter obseruari debere in toto ordine. Quæ ordinatio confirmatur Romæ 1583. & 1589. Et in hoc vltimo additur. Cæterum si prouinciæ nomine quis falso gradum petierit ipsa. s. prouincia non petente, inhabilis perpetuo sit ad talem gradum. Petitiones vero nedum à Prouinciali, sed etiam à Diffinitoribus fieri debet. Et hoc habet tria capitula continua. In eodem cap. 1589. declaratur, quod quotiescumque literæ patentes pro Magisterio conceduntur, semper clausula illa generalis (saluis tuæ prouinciæ iuribus) subintelligenda est, etiam si in dictis literis non exprimatur, neque clausulæ generales, quæ in oppositum facere vidētur, cuiquam suffragari debent; nisi particulariter fiat mentio de derogatione priuilegiorum pro illa vice. Romæ 1601. Ordinatur, vt si concessæ fuerint alicui literæ patentes testificantes surreptitie de aliquo, quod legerit, vel alia huiusmodi egerit, quarum vigore aliquos gradus consecutus fuerit, eius gradus non admittantur à capitulo Prouinciali. Idem dicitur etiam de Prædicatoribus generalibus, & hoc extenditur etiam ad eos, qui falsam informationem capitulo generali, aut Magistro ordinis exhibent, & hos à suis officiis absolui debere, & inhabiles declarari decernitur. Confirmatur hæc ordinatio in duobus capitulis immediate sequentibus. Vnde habet tria cap. continua. Nullus gradum Magistri, vel etiam Baccalaureatus assumat ante professionem fidei emissam 1605.

De Magistrorum gratijs.

CAP. L.

VOlumus autem vt electio Prouincialis tantum spectet ad Priores Conuentuales, & ad Prædicatores generales, & vnū

fratrem de quolibet Conuentu eligendum &c.
Ex Cap. de electione Prouincialis.

Capitulum autem Prouinciale appellamus Priores cum singulis sociis, & Prædicatores generales &c. Prædicatores autem generales dicimus Magistros in Theologia, & qui per Prouincialem, & diffinitores capituli Prouincialis fuerint instituti.
Ex cap. de capitulo Prouinciali.

Prouinciales absoluti loca in prouinciis quibus præfuerunt super omnes alios vbique habebunt &c. dummodo Magistri in sacra Theologia non Magistris ex hoc minimè postponantur. Magistris enim in Theologia immediatè post Priorem in cuius Conuentu fuerint locum damus. *Ex cap. de capitulo generali.*

Omnes fratres vbique intus, & extra silentium teneant in mensa, tam Priores, quam alij, &c. exceptis Magistris in Theologia.
Cap. de silentio.

Leuis culpa est, si quis alicui literas miserit, vel sibi missas legerit quas prius Præsidenti non ostenderit, exceptis Magistris in Theologia. *Cap. de leui culpa.*

Ex præcitatis Constit. locis deducitur Magistros habere locum super omnes fratres, excepto Priore Conuentus in quo reperiuntur, & vocem in capitulis Prouincialibus, & ob id in omnibus electionibus quæ fiunt in capitulo prouincialium Diffinitorum capituli generalis, & prouincialis, ac electorum Magistri ordinis, posse loqui in mensa extra refectorium, & mittere ac legere literas, sine assensu Præsidentis. Qualem autem locum tenere possint, aut debeant inter se, dicetur infra cap. De loco seruando inter fratres.

Cum promouentur fratres ad gradum magisterij, promotor dans annulũ vni dicit ex formulario verba hæc. Auctoritate Apostolica mihi per literas commissa instituo te doctorem, & Magistrum, doque tibi potestatem publicè legendi, docendi, interpretandi, exponendi, & declarandi sacram Theologiam &c. Et dans biretum dicit. Accipe infulam, seu biretum nigrum, insigne Magisterij, sic ornet te Deus corona gloriæ. Et Magistri vocantur Prædicat. gen. vt asserit Constitut. supra adducta, & etiam nuncupantur Patres Prouinciæ. Ideo Valleoleti 1605. dicitur. Vbicumque in nostris declarationibus, siue Constitutionib. sermo fit de patribus prouinciæ per tales nedum intelliguntur, qui fuerunt Prouinciales, sed etiam Magistri, qui vtuntur priuilegiis in illa prouincia Romæ 1571. In omni Conuentu vbi viget studium generale, omnes Magistri etiam non Regentes vocem habeant in admissione studentium formalium, & aliorum, qui ad studium mittuntur, & in illorũ remissione. Quod confirmatur Barchinone 1571. vbi additur. Si tamen examini præsentes fuerint Magistri omnes, & Baccalaurei legitimè creati, quãuis non gaudeant priuilegiis iuxta diuersarum prouinciarum cõsuetudinem, tamen Magistri, & Baccalaurei vocari debent Venetiis 1596. Et Valentiæ 1596. Ad-

1596. Admonentur Prouinciales. & Diffinitoria capituli prouincialis auctoritatem non habere promouendi fratres ad Baccalaureatum, vel Magisterium, sed tantum eos exponendi capitulo generali, siue Magistro ordinis, quod si contrarium fiat, illud sit irritum, & inane. Cauere tamen debent Magistri à quibusdam, quæ eis interdicuntur, & hæc sunt.

Magistri in sacra Theologia etiam actu regentes in cameris non comedant, sed in communi refectorio, vel in hospitio, aut infirmorum domo. *Cap. de infirmis.*

Ex declar. cap. de officio Ecclesiæ habetur. Nullus ratione cuiuscumqne gradus exemptionem prætendere possit, à sequela chori, aut aliis grauaminibus. Lectoribus Prædicatoribus, ac Magistris actu legentibus, & prædicantibus dumtaxat exceptis. Circa quos legitimæ consuetudines prouinciarum seruentur.

Ex declar. cap. De c. generali habetur. Magistri nō debēt pronuntiari omisso nomine fratris dicendo Magister talis, sed semper hæc dictio (Frater) præferatur nomini, & cognomini, & subsequi poterit verbum Magister dicendo Fr. talis de loco tali Magister.

De Baccalauleorum institutione, & officio.

CAP. LI.

NVllus habilitetur, aut assignetur in aliqua vniuersitate ad legendum pro gradu, & forma Magisterij in sacra Theologia, nisi sit sufficiens ad lecturam huiusmodi solemniter perficiendam, &c. Si quis autem absque dictę sufficientiæ iudicio Baccalaureatus gradum, etiam cum licentia Magistri ordinis, vel capituli generalis assecutus fuerit, pro non Baccalaureo in nostro ordine habeatur in omnibus, & per omnia, dantes facultatem cuilibet Difinitorio constito notoriè de insufficientia promoti sibi subditi, vt declarent ipsum pro non promoto habendum in nostro ordine. Poterit tamen Magister ordinis si aliquem talem assignatum legitimè impediri contigerit, loco eius alium deputare, cuius actus valeant pro forma, & gradu Magisterij, dummodo per sequens capitulum generale fuerit approbatus.
Cap. de studentibus.

Ex decl. cap. de studentibus, hæc veniunt consideranda, licet Prouincialis, & capitulum prouinciale, possint habilitare, & assignare fratres ad legendū in sacra Theologia & principalem Lectorem instituere in Conuentibus, in quibus non viget studium generale, dummodo non legat, aut doceat tanquam Magister, non tamen possunt habilitare ad gradum Baccalaureatus, aut ad legendum in Theologia pro forma & gradu Magisterij, sed hæc habilita-

tio pertinet ad capitulum generale. Hæc autem habilitatio fieri non debet, nisi ille per tres annos ad minus in Theologia in aliqua vniuersitate studuerit, & per capitulum Prouinciale, capitulo generali expositus fuerit tãquam sufficiens, &c. oppositum autem faciens eo ipso est excommunicatus, atque gratiis, & officiis ordinis priuatus, nec secum dispensari valeat, nisi per cap. generale. Non obstantibus, &c.

Ex decl. cap. De Constitut. Bonifacij 9, habetur. Per sedem Apostolicam fuit ordinatum quod nullus frater possit gradum Baccalaureatus assumere, nisi ad illum per capitulum generale fuerit promotus, & assignatus, nec postea ad Magisterium assumi, nisi per dictum capitulum eius lectura super sententias fuerit approbata, & si secus factum fuerit, assumptio nulla sit, & irrita. Et assumentes ipso facto sint excommunicati, quæ Constitutio fuit per multa capitula confirmata. N cap. 1600. ordinatur Baccalaureos in qualibet vniuersitate teneri ad legendũ pro gradu, & forma Magisterij per quadriennium, alioquin promoueri non poterunt ad Magisterium, nec frui priuilegiis Baccalaureorum siue præsentatorum. Quæ ordinatio confirmatur Romæ 1601. Et Romæ 1580. Confirmatur id quod præcedenti etiam capitulo fuerat ordinatum, vt non assignentur in Baccalaureos, nisi idonei; non antiquitatis, vel professionis ratione pensata, sed longo vsu, & peritia docendi. Et qui in munere docendi egregij fuerint non amoueantur à studio, etiam causa prælaturæ. Ibidem etiam ordinatur, vt nullus ad Baccalaureatum assumatur, nisi habeat petitionem suæ prouinciæ, & præmisso rigoroso examine per quinque examinatores, & per vota secreta. Perspice quæ infra traduntur in cap. de Moderatoribus studiorum vbi multa colliguntur, quæ pertinẽt ad promotionem, & officium Baccalaureorum, ac etiam Magistrorum. De loco vero Baccalaureorum dicitur cap. de capitulo generali.

Baccalaureis, qui legitimè incorporati in aliqua vniuersitate sententias solemniter legerint, aut legunt, post Suppriorem vbiquè in toto ordine locum damus.

De Moderatoribus studiorum, & eorum institutione.

CAP. LII.

TRes vocantur moderatores studij. s. Regens Baccalaureus, & Magister studij, de quorum institutione, & officio multa statuta fuerunt. In capitulo Romano 1571. statuitur, vt Regentes, Baccalaurei, Magistri studentium, & alij Lectores, non iure antiquitatis assumantur, nec ad determinatum tempus assignentur, sed à Prouincialibus, & Diffinitoribus constituantur, qui magis idonei fuerint ad discipulos instruendos. Qui vero in docendo egregij fuerint non amoueantur à studio, etiam prælaturæ causa confirmatur Barch. 1574. & Romæ 1580.

Barchinonæ 1574. Nulli assumantur ad Magisterium studij, nisi per sex annos Theologiam legerint. Ad Baccalaureatum per decem. Ad Regentiam

per duodecim, actusque publicos disputationum solemnes ad minus quinquies habuerint Magistri autem studentium postquam functi fuerint officio suo, statim Lectores sint in aliquo Conuentu vsque ad tempus sui Baccalaureatus.

Romæ 1589. Auctoritate Apostolica ordinatum fuit, & ordinatio habet vim perpetuæ Constit. Primo. Præcipitur in virtute Spiritus sancti, & S. obedientiæ omnibus Prouincialibus, Vicariis, & aliis, qui prouisioni studiorum intendunt, vt Lectores, & studiorum officiales non nisi per vota secreta admittant, & promoueant, eorum conscientias ac etiam Diffinitorum in diem Christi aggrauantes, nec non & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, hac vna pro trina canonica admonitione præmissa, vt semoto omni particulari affectu, solum Deum, & religionis decorem sibi præponentes, non nisi idoneos, ac huic operi aptos qui discipulis prodesse possint, admittant. Confirmantes ordinationem alias factam, vt Regentes, Baccalaurei. Magistri studentium, & alij Lectores, non iure antiquitatis, aut professionis ratione, assumantur, nec ad determinatum tempus, &c. vt supra. Ita tamen, vt suppositis æqualibus meritis, & æquali sufficientia, nemini fiat iniuria, quod etiam in Prouincia vtriusque Lombardiæ seruari debet. Secundo sub eodem præcepto formali mandatur studentium Magistris, & aliis Lectoribus, vt qualibet hebdomada tres circulos, siue disputationes ad minus habere procurent, quibus omnes discipuli, & studij officiales respectiuè interesse debebunt. Tertio. Ne tempus frustra conteratur minus vtilia tractando, sub eodem præcepto formali mandatur Regentibus, & Baccalaureis, vt infra quatuor annos totam D. Thomæ Theologiæ summam perlegisse teneantur, materias difficiliores, & magis necessarias explicantes, & opinionum superfluitates, & minus necessarias resecando, & ob id monemus omnes Lectores & studiorũ officiales, vt tempore studiorum lectiones non prætermittant etiam prædicationis causa. Et etiam studẽtes lectionum tempore, prædicationibus non vacent, alioquin priuilegiis studentium priuentur, & à studio expellantur. Quarto. Ordinatur, & mandatur sub eodem formali præcepto, vt à Prouincialibus, vel à prouinciis nullus in Magistrum, vel Baccalaureum, aut Prędicatorem generalem petatur, nisi sufficienter legerit, prædicauerit, & alios actus fecerit, & omnes conditiones requisitas iuxta Constitut. & ordinationes capitulorum generalium habuerit, locusque vacauerit, præcipientes etiam, vt stantibus æqualibus meritis, & æquali sufficientia antiquiores præponantur, & nulli fiat iniuria. Et in petitionibus exprimatur quot annis, & quibus in locis legerint, aut prædicauerint, & an maiores æquè meritos habeant.

In cap. sequenti. f. Veneto 1592. Eadem auctoritate Apostolica interueniente ad varios scrupulos tollendos declaratur, sublatam esse obligationem Regentibus, & Baccalaureis, legendi totam summam D. Thomæ quadriennio, Adhibere tamen debent diligentiam, vt oportunis temporibus legant, sub pœna absolutionis officiorum, & magis necessaria tractent, minus necessariis reiectis, vt discipuli proficere possint: A reliquis vero ordinationi-

bus declaratur ablata fuisse præcepta simplicia. Contrafacientes tamen illis ordinationibus incurrant pœnam priuationis officiorum. Valentiæ 1596. Ordinatur post confirmatas præcedentes dispositiones, quod nullus possit non modo in Lectorem, sed neque in Magistrum studij, aut Baccalaureum assumi in quocunque studio ordinis, non præmisso examine. Quorum examinatores esse debebunt, Prior Conuentus (vbi consuetudo est vt ipse interueniat) Regens, & Baccalaureus præcedens, cum tribus Magistris, vel Baccalaureis, ita vt omnino quinque sint, quod si Magistri aut Baccalaurei, haberi nequiuerint, Lectores aliqui sacræ Theologiæ assumantur. Quibus examinatoribus sub præcepto formali in virtute S. obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ mandatur, nec odio, vel amore aliquem à prædictis officiis, & gradibus excludant, siue admittant, sed pro conscientia vota sua secreto ferant. Et sub eodem præcepto, & pœna excommunicationis latæ sententiæ mandatur Superioribus, ne quempiam ad gradus prædictos exponere, aut promouere possint, nisi præuio examine, & approbatione, vt supra. Non obstante quacumque consuetudine cuiuscumque prouinciæ, In capitulo Romano 1601. Confirmatur prædicta ordinatio, sed additur non esse id intelligendam de Baccalaureis, & Magistris, qui secundum nostras Constitut. tempus præfixum legerunt, & ab ea tollitur pœna excommunicationis. Idem reperitur Valleoleti 1605.

De Moderatorum studij distinctis officiis.

CAP. LIII.

ROmæ 1569. ordinatum reperitur, vt infra, circa officiales studiorum generaliũ. Quoniam passim suboriuntur quæstiones inter Priores & officiales studij circa ea, quæ ad studium pertinent, necessarium est declarare, & Regentis, & Baccalaurei, & Magistri studentium officium cum nihil de illorum officio speciatim ordinatum appareat in Constitutionibus, &c. Et primo in omnibus vniuersitatibus nostri ordinis Regens sit caput studij, & non modo studentes cuiuscumque facultatis, sed etiam omnes alij officiales studij, & Lectores, ei subditi sint in omnibus quæ ad studium pertinent, cuiusmodi sunt lectiones, disputationes publicæ, circuli quotidiani, casus conscientiæ, & quicumque alij actus literarij, & ad eum maximè pertinet, declarare, terminare, soluere, & diffinire quascumque quæstiones in disputationibus propositas, omnibusque silentium imponere, hac lege, vt post datã ab eo resolutionem nulli penitus, exceptis Prouincialibus, liceat quippiam in medium adducere. Ad officium etiam Regentis pertinet legere præcipuam Theologiæ lectionem, aliisque Lectoribus præscribere quid legere debeant. Leget autem ipse hora quæ magis sibi placuerit, & eius lectionibus interesse debebunt, nedum studentes formales, sed etiam dantes operam Metaphysicæ. Alij vero Lectores legent horis ab eo designandis.

Ad ipsum etiam primario pertinent ea omnia quæ de Magistro studentium scripta sunt, tam in Constitut. quam in ordinario ordinis. Cum autem Regenti disputandum est in capitulo generali, aut Prouinciali, liberum omnino ei sit, hunc vel illum in respondentem eligere.

Secundus locus pertinet ad Baccalaureum, seu ad secundum Lectorem Theologiæ, exceptis illis vniuersitatibus in quibus sunt plures Regentes, vbi Regentes se inuicem, & Baccalaureos præcedent, secundum ordinem suum, & Lectorem secundum Theol. & absente primario Regente vna cum omnibus aliis Regentibus, ad Baccalaureum pertinebit omnia Regentis munia modo prædicto explere. Peculiare autem officium eius est legere secundam Theologiæ Lectionem, & in quotidianis circulis, & disputationibus, argumentatores dirigere, & eorum argumenta prosequi.

Tertius locus in studij exercitiis Magistro studentium debetur, & ad eum pertinet proponere conclusiones disputandas in quotidianis circulis, & respondentibus assistere. Ad ipsum etiam pertinet temporibus statutis casus conscientiæ, & quæstiones super Epistolas, & Euangelia proponere, & illa ad vtranque partem ventilare, relicta Regenti vltima resolutione, nec non scribere literas dimissorias pro studentibus, completo eorum studio, de consensu Regentis, curareque vt à Regente, & Baccalaureo vna cum ipso subscribantur. Eritque exemptus à choro etiam si non actu legat. Curet etiam habere registrum in quo continuatim notentur omnes officiales, & studentes, & eorum receptiones, & remissiones, nec non, & ordinationes circa studium. Confirmata fuerunt hæc omnia in sequentibus capitulis. s. Romano 1571. Barch. 1574. & Romæ 1580. Vbi additur. Et licet Priori Conuentus primus locus conueniat in sedendo, tamen Regenti in proponendis studentibus, & examinandis, primus locus conuenit præsenti statuto.

Ex Constitut. cap. de studentibus hæc spectant ad Magistrum studij.

Locus vero proprius, secundum quod Magistro studentium videbitur, statuatur, in quo post disputationem, vel vesperas, vel alio tempore, prout vacauerit, ad dubitationes vel quæstiones proponendas vel collationes faciendas ipso præsente conueniant studentes. Et vno quærente siuè proponente, alij taceant, ne loquentem impediant. Si quis inhonestè vel clamosè vel proteruè quærens vel proponens vel respondens offenderit, statim ab eo qui tunc inter eos præest, corripiatur.

Cellæ quibus Magistro studentium expedire videbitur, assignentur. Quod si aliquis in studio infructuosus inueniatur, cella eius alteri detur, & ipse in aliis officiis occupetur.

Ex decl. eiusdem capitis habetur, quod Magister studentium debet frequenter studentes maximè iuniores conuocare, & eos saltem semel in septimana examinare de lectionibus, & quæstionibus, quas per hebdomadas audierunt. Valleoleti 1605. Si contingat in aliquo studio generali Regen-

tem vel Baccalaureum aliquo legitimo impedimento legere non posse, Magister studij loco impediti lectiones habeat. Quid autem, & quibus diebus legere debeant Regens, & Baccalaureus, & circulos disputationum habere, satis dictum est supra cap. de studentibus, & de studiis generalibus.

De numero Magistrorum, Baccalaureorum, & Prædicatorum generalium cuilibet Prouinciæ præfixo.

CAPVT LIV.

ROmæ 1583. & 1589. Præfixus fuit numerus graduatorum in qualibet prouincia, ita vt supra dictum numerum, prouinciæ alios petere non possint, & nunquam, nisi Magister ordinis aliter ex vrgenti causa disposuerit, hic numerus excedatur, quod si secus factum fuerit totum sit irritum, & inane. Hic autem est numerus.

In prouincia:

Hispaniæ, Magistri 16. Præsentati 36. Prædicatores generales, quot sunt Conuentus.
Tolosanæ, nullus præfigitur numerus, sed quæ de more sunt seruentur.
vtriusque Lombardiæ idem.
Romanæ, idem.
Regni Magistri. 12. Præsentati 10.
Poloniæ, Magistri 8. Baccalaurei 9. Prædicatores generales quot Conuentus.
Arragoniæ, Magistri 25. Præsent. 30. Prędicatores generales quot Conuentus.
Prouinciæ, Magistri 10. Baccal. 8.
Dalmatię Magistri 6. Baccal. 4. Prædicatores generales 3.
Trinacriæ, Magistri 25. Baccal. 12.
Portugaliæ, Magistri 15. Bacc. 10. Prædicat. generales quot Conuentus.
Bethicę, Magistri 15. Pręsentati 30. Prædicat. generales quot Cōuētus.
Germaniæ inferioris, Magistri 12. Baccal. 12. Prędicatores generales 12.
S. Thomæ, Magistri 25. Baccal. 12. Prædicatores generales 6.
Calabriæ, Magistri 20. Baccal. 6. Prædicatores generales 6.
Sancti Iacobi de Mexico, Magistri 4. Præsentati 6. Prædicatores generales 4.
S. Ioan. Bap. del Peru, Magistri 6. Baccal. 6. Prædicatores generales.
Sancti Vincentij de Chiappa, Magistri 4. Præsentati 6.
Sancti Antonini de nouo regno; Magistri 8. Pręsent. 12. Prædicatores generales 2.
Occitana, Magistri 15. Baccal. 8.
Sancti Dominici Magistri 16. Baccal. 6. Prædicatores generales 10.
S. Catharinæ de Quito, Magistri 2. Pręsent. 6. ex quibus duo Prædicatores erunt.
Sancti Petri Martyris, Magistri 12. Baccal. 6.

In Vicaria Romana Magistri 5. Baccal. 4. Præd. 4.
In aliis prouinciis desolatis non potuit præfigi numerus.
In aliis non desolatis, nec nominatis, curent Præsidentes, vt præfigatur.

De Prædicationis officio.

CAPVT LV.

QVam competenter ordini nostro munus prædicationis conueniat ex ipsa nominis ratione deducatur, quippe qui à Romanis pontificibus etiam in sui confirmatione vocatus fuerit ordo Prędicatorum, sed magis ex fine, quia per se, & essentialiter à D. Patre Dominico collectus fuit, vt per prædicationes, & consilia saluberrima animarum salutem attenderet. Hoc autem prædicationis officium præcipuum est in ecclesia Dei, & multis priuilegiis dotatum fuit, vt habetur cap. Ex iniuncto. De hæreticis, &c. & cap. 1. & 2. extra de excessibus Prælatorum.

Debet autem Prædicator, vt dignè fungatur suo officio, primo interius habere dilectionem ardentem, qua salutem animarum in omnibus suis actionibus, & studiis principaliter intendat. Secundo debet exterius habere conuersationem relucentem vita & honestate morum, vt religiosis exemplis populum ædificet. Tertio debet scientiam, & cognitionem scripturarum habere competentem, & magis vtilia quam curiosa docere. Ex decl. cap. de Prædicat.

Quantam autem puritatem, siue sanctitatem habere debeat Prædicator dum Dei verbum annuntiat, ex doctrina S. Thomæ perspici potest, 4. sen. dist.19. q.2. art.2. quæstiunc.2. ad 4. quo in loco habet hæc verba notatu digna. Docere sacram scripturam contingit dupliciter. Vno modo ex officio prælationis, vel ex auctoritate alicuius prælationem habentis, iuxta illud Rom.10. Quomodo prædicabunt nisi mittantur. Alio modo ex officio magisterij, sicut Magistri in sacra Theologia docent. Dicunt ergo quidam, quod illi qui primo modo docent, peccant mortaliter, si sunt in peccato mortali notorio, non autem qui secundo modo docent, sed hoc est falsum. Quia idem est finis eorum qui sacram scripturam ediderunt, & eorum qui illam prædicant, qui finis est, vt credentes salui fiant. Qui autem impedit finem doctrinæ docendo peccat, Et quia qui prædicat scripturam in peccato, impedit finem eius, dum ore profitetur se nosse Deum, factis autem negat, ideo dicendum est, quod ille qui est in peccato notorio, peccat docendo sacram scripturam tum primo tum secundo modo. Ille autem qui est in peccato occulto, peccat si primo modo doceat, non autem si secundo. Et quamuis videatur S. Doctor oppositum dicere de fraterne corrigente 2. 2. q.33. art.5. & de iudicante q.60. art.2. aliter tamen sustineri potest de Prædicatore publico. Et Caietanus 3. p. q.64. art.5. dicit, videtur mihi modo dicendum, actum prædicationis esse de numero actuum consecratorum (quos supra dixerat fieri non posse in peccato mortali sine nouo peccato) quia est actus ad quem minister consecratur, nam eius minister ex officio est Episcopus primo, secundario sacerdos. Nec obstat hunc actum esse annexum sacerdotio ex institutione Ecclesiæ; quia hoc ponit differentiam in origine à diuina institutione non autem in turpitudine, quia etiam institutio Ecclesiæ obligat ad mortale.

Ad hoc autem vt prædicator efficaciter loquatur, tria attēdere debet, vt tradit S. Thomas 2. 2. q. 177. art. 1. Primo quidem vt instruat intellectum, quod fit dum aliquis loquitur vt doceat. Secundo vt moueat affectum, quod fit dum aliquis loquitur vt delectet, non propter fauorem suum, sed vt homines alliciantur ad libenter audiendum Dei verbum. Tertio vt animum flectat ad adimplendum ea quæ docet, quod fit dum aliquis sic loquitur, vt moueat. Ideo dici solet quod tres sunt actus Prædicatoris, docere, delectare & mouere.

Valleoleti 1605. ordinatur, vt Prædicatores qui tempore quadragesimæ à carnibus abstinere non valent, eo tempore ad populum conciones non habeant, ne plus tanto scandalo offendant, quam verbis ædificent.

Tale etiam est hoc munus, vt non nisi à Superioribus destinati prædicare debant. Vnde Romæ 1598. ordinatum fuit ex mandato Apostolico, sub pœna suspensionis ab officio per decennium ipso facto incurrenda, ne quis locum ad concionandum sibi procuret, sed tendat quo à Prouincialibus destinatur. Idem repetitur Romæ 1608. tam pro tempore aduentus quam per quadragesimam. Et Parisiis 1611. pariter confirmatur cum additione, quod si qui perquisiti sunt pro aliquo loco, nō acceptēt sine licentia.

De Prædicatorum institutione.

CAPVT LVI.

PRouideant diligenter Priores, ne committant prædicationis officium, nisi fratribus ad hoc idoneis, & moribus ac scientia approbatis, ne ex insufficientia Prædicantium, ordo veniat in contemptum, & vergat in periculum animarum.

Statuimus autem vt in qualibet prouincia à Præsidentibus, & diffinitoribus instruantur aliqui viri docti, & zelum religionis habentes examinatores, & approbatores omnium eorum Prædicatorum, & Confessorum, quos non constat manifestè esse doctos, ita quod nullus talium nisi approbatus à duobus eorum in scriptis, vel declaratus à Diffinitorio in scriptis sufficiens & idoneus ad Prædicandum, vel Confessiones extraneorum audiendum, prædicet populo etiam in villulis, & confessiones extraneorum audiat sub pœna carceris. Et nihilominus Præsidentes hoc permittentes ab officiis suis absoluantur.

Nullus assumatur ad prædicationis officium extra claustrum, & fratrum consortium, infra vigintiquinque annos nec prædicet populo, aut confessiones extraneorum audiat, sine licentia Prioris sui, in capitulo de consilio discretorum sibi data. *Ex cap. de Prædicatoribus.*

Ordini

Ordini nostro collata est facultas destinandi Prædicatores, nam Martinus IV. in suo priuilegio vnico indulget vt infra.

Tibi fili Magister per te, vobis vero Prouincialibus cum Diffinitoribus capituli prouincialis, plenam damus, & concedimus auctoritate præsentium facultatem, committendi fratribus vestri ordinis in sacra pagina eruditis, & approbatis à vobis, prædicationis officium, Districtius inhibentes, ne quis eos in exercitio siue executione officiorum suorum, quomodolibet audeat impedire.

Benedictus 11. idem concedit in suo priuilegio 2. hac serie.

Quare decernimus, vt Magister generalis, & Priores Prouinciales, ac eorum Vicarij, de discretorum consilio, ad tam salubre officium prædicandi, fratres diuina scientia doctos, discretione vigentes, vita probatos, & expertos moribus, eligant, & assumant.

Gregorius XIII. bulla sua 28. apud Rodericum societati Iesu hanc amplam gratiam concessit.

Nos igitur, &c. præsentium tenore declaramus, vt vnicuique vestrum etiam ad sacros ordines non promotis, primumque tonsura tantum insignitis à Præposito tamen approbatis, prædicationis munus ad populum exercere posse liceat, districtius inhibentes vniuersis locorum Ordinariis, ac alijs quacunque dignitate fulgentibus, ne vos in huiusmodi impedire, aut molestare audeant.

De modo tenendo in eorum institutione hæc tradita fuerunt, Bononiæ 1564. In exponendis Prædicatoribus magna adhibeatur diligentia, & non liceat Superioribus mittere iuuenes non sacerdotes ad prædicandum etiam in villulis infra ætatem vigintiquinque annorum. Et Romæ 1569. & 1571. Et Barchinone 1574. dicitur. Nullus mittatur ad prædicandum nisi sit Sacerdos, & per biennium Theologiam audierit, etiam in oppidis S. Tho. 3. p. q. 67. art. 1. ad 1. dicit. Ad diaconum pertinet recitare Euangelium in Ecclesia per modum cathechizantis, sed docere, & exponere Euangelium pertinet proprie ex auctoritate ad Episcopum, ex commissione ad Sacerdotem. Romæ 1589. auctoritate Apostolica ordinatum fuit vt infra, & ordinatio habet vim perpetuæ Constitutionis. Item ordinamus sub eodem formali præcepto, & eadem censura. s. pœna excommunicationis, vt nullus titulo aut officio Prædicatoris donetur, seu Prædicator instituatur, nisi saltem per integrum triennium Theologiam audierit, & per quinque deputatos examinatores, qui, & ipsum concionantem audierint, vt nedum in litteris, & moribus, verum etiam in aptitudine prædicandi iudicium facere possint. Cui ordinationi additum fuit, quod & confirmatur Romæ 1601. & Valleoleti 1605. vt Prædicatores approbentur per vota secreta. Venetiis vero 1592. statutum fuit. Vt in qualibet prouincia, Congregatione, & Vicaria teneantur illarum Præsidentes respectiue de grauiorum patrum consilio, infra vnius mensis terminum ab harum publicatione, deputare vnum vel plures Conuentus, in quo seu quibus per designandos idoneos patres, instruantur iuniores specialiter ad id munus apti, in officio prædicandi, quatenus tempore debito fructuose ad Dei gloriam, & animarum salutem prædicantes, Prædicatorum nomen sibi vendicare videantur. Nullusque in posterum titulo Prædicatoris insigniri queat, nisi artium cursum perfecerit,

Sacram Theologiam per triennium audierit, casibus conscientiæ operam dederit, & in modo concionandi in aliquo Conuentu ad id deputando, examinatorum iudicio per vota secreta in generali studio ferenda, non parum profecerit, & sit religiosorum morum, vt virum decet Euangelicum.

De Prædicatoribus in ordine ab Episcopos.

CAPVT LVII.

CVm fratres nostri diœcesim alicuius Episcopi ad prædicandum intrauerint, primò si poterunt visitabunt Episcopum, vt secundum eius consilium in populo faciant fructum, quem facere intendunt. Et quandiu in eius Episcopatu fuerint, ipsi deuotè obedientes erunt. Prædicare vero non audeat in diœcesi illius Episcopi, qui ne prædicet interdixerit ex causa rationabili, nisi litteras, & mandatum habeat summi Pontificis. *Cap. de Prædicat.*

Honorius III. in suo priuilegio 3. commendat Episcopis Prædicatores nostris his verbis videlicet.

Rogamus deuotionem vestram, ac per Apostolica scripta vobis mandamus, quatenus filios latores præsentium ordinis Prædicatorum, &c. in eorum laudabili proposito confouentes, ad officium prædicationis, ad quod deputati sunt, curetis benignè recipere, & habentes eos pro nostra, & sedis Apostolicæ reuerentia commendatos, in suis eis necessitatibus assistatis, qui verbum Dei gratis proponentes, Dominum solum secuti paupertatis titulum prætulerunt, preces & mandatum nostrum impleturi, in districti examinis die, positi ad dexteram cum electis, regnũ cum eis percipiatis æternum.

Gregorius IX. priuilegio suo primo idem fere ad verbum constituit.

At quia successu temporis cõtrouersiæ suscitatę fuerant inter Episcopos, seu Ecclesiarum rectores, & Prædicatores, Bened. XI. in priuilegio 2. ita decreuit.

Statuimus de fratrum nostrorum consilio, vt fratres ipsorum ordinum (.s. Prædicatorum & minorum,) qui ad prædicandum deputati fuerint in Ecclesiis, & locis eorum quæ in præsentiarum habent, & in posterum obtinebunt, ac in plateis communibus, siuè publicis, absque diœcesanorum, vel quorumcumque Prælatorum petita licentia, valeant clero, & populo verbum Dei prædicare: Caueant tamen omnino, ne ea hora qua diœcesani prædicant, aut coram se facerent prædicari, prædicent ipsi fratres: putamus enim dignum, vt maiori minor deferat, nisi forsan, &c. Vbi vero diœcesani conuocarent ad se clerum generaliter, &c. ea hora semper prædicare cessabunt.

At his temporibus attendenda sunt sacri Concilij Tridentini decreta, quę sessione 5. cap. 2. habentur.

Regulares vero cuiuscumque ordinis, nisi à Superioribus suis de vita, & moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia etiam in Ecclesiis suorum ordinum prædicare non possint, cum qua licentia personaliter se præsentare coram Episcopis, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Ecclesiis vero quæ suorum ordinum non sunt, vltra licentiam suorum Superiorum

etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in Ecclesiis quæ suorum ordinum non sunt nullo modo prædicare possint. Ipsam vero licentiam gratis Episcopi concedant.

Aliud decretum habetur sess.24. cap.4. huiusmodi.

Nullus autem secularis, aut regularis etiam in Ecclesiis suorum ordinum, contradicente Episcopo prædicare audeat.

Super his decretis emanauit talis declaratio.

Congregatio concilij censuit, regulares, qui absque licentia Episcopi, in Ecclesiis quæ suorum ordinum non sunt prædicauerint, tametsi decreto prædicto Concilij contrafecerint, non posse puniri ab Episcopo, sed tantum à suis Superioribus.

Pius V. post prædictum Concilium in bulla declarationis priuilegiorum nostrorũ quæ est 3. apud Confectium, ita disponit de Prædicatoribus.

Perpetuo inuiolabiliter obseruari decernimus, quod fratres dicti ordinis. (.s. Prædicatorum) ab eorum Superioribus approbati, in eorum Ecclesiis quando eis placuerit, etiã quod in Cathedrali Ecclesia, (non tamen ab Episcopomet) prædicatur, liberè, & licite absque aliquo impedimento, sine etiam ipsius Episcopi contradictione, & absque eo quod coram dicto Episcopo se non præsentauerint, nec eisdem licentiam prædicãdi exhibuerint, & ab eodem benedictionem non obtinuerint, prædicare, & munus prædicationis exequi valeant.

Verum Gregorius XIII. successor Pij V. vt habetur in sua bulla 38. apud Rodericum prædictum priuilegium ac alia multa ab eodem summo Pontifice collata, annullauit, reducendo ea ad terminos iuris veteris, & decretorum concilij, ac si prædictæ literæ Pij V. non emanassent. Et quamuis à successoribus Pontificibus plurimorum ordinum confirmata fuerint priuilegia, semper tamen superaddita fuit illa particula, dummodo non obstent decretis concilij, & sint in vsu. Et Clemens VIII. addidit in confirmatione nostrorum, & non sint reuocata, &c.

Refert aut. Rodericus tom.3. quæst.32. art.6. Gregorium XIII. concessisse Societati Iesu vt infra.

Quod huius societatis Confessores & Prædicatores ab aliquo Ordinario semel approbati, & à suis Superioribus ad huiusmodi munera deputati, quandocumque siuè mari, siuè terra iter faciunt, possint non repugnantibus tamen Curatis parochialium Ecclesiarum, verbum Dei prædicare, & Christi fidelium confessiones audire dummodo id non faciant in oppidis, aut locis in quibus Ordinarij existunt, nisi eorum licentia desuper obtenta.

Posset tamen suboriri difficultas quomodo simul cohærere possint illa duo dicta Concilij. V. quod regulares in Ecclesiis suorum ordinum prædicantes prius solam benedictionem ab Episcopo obtineant, & quod in suis Ecclesiis non prædicent contradicente Episcopo. Hoc enim plus est quam benedictionem tantum obtinere. Cui dubio satisfacit Rodericus tom. 3. quæst.32. art.1. dicens, in quodam Capitulo generali Toletano ordinis minorum declaratum fuisse, Episcopum posse contradicere in casibus expressis in priuilegio Benedicti 11. supra in hoc capite notato .s. quando Episcopus vult prædicare, aut coram se facere prædicari. Cui etiam addi posse videtur, quando prædicatores in suis Ecclesiis concionantes, errores aut scan-

dala disseminant per dicenda cap. sequenti. Ex decl. cap. de prædicatoribus habetur. Fratres nostri tam Priores quàm Prædicatores, & alij ad Dominos, & Prælatos Ecclesiarum in verbis, & factis se reuerenter habeant, & quantum possunt, litigia vitent clericorum, nec quæstiones aut causas de quibus scandalum vel perturbatio oriri posset contra eos moueant. Et in cap. Bononiæ 1564. in specie dicitur Prædicatores non præsumant prædicare etiam in Ecclesiis nostris, contradicente Episcopo, &c. Notabis tamen decretum hoc Congreg.

Congregatio regularium decreuit, regularibus Concionatoribus in eorum propriis Ecclesiis concionandi hora à quoquam non præscribatur, sed liberum sit eis quandocumque voluerint officium prædicationis peragere.

De his quæ cauere debent Prædicatores in concionibus.

CAPVT LVI.

CAueant fratres nostri ne ponendo os in cœlum, in suis prædicationibus, religiosos, & Clericos scandalizent, sed ea quæ in ipsis emendanda viderint obsecrando vt patres seorsum emendare procurent. *Ex cap. de prædicatoribus.*

Quicumque in publica prædicatione, vel in communi coram secularium multitudine vllo tempore summum Pontificem diffàmauerit, vel ipsius processus, & facta: vel irreuerentiam notabilem fecerit, carcerali custodiæ mancipetur, nec indè liberetur, nisi per capitulum generale, & cogatur si commodè fieri poterit publicè reuocare. *Ex cap. de certis detractionibus vitandis.*

Leo X. in sua Constitutione, Superne sacro approbante Concilio Lateranensi hæc vetuit. Quam refert Quaranta verbo, Prædicator.

Mandamus omnibus qui onus prædicationis sustinent, aut sustinebunt, vt Euangelicam veritatem, & sacram scripturam, iuxta interpretationem doctorum, quos Ecclesia vel vsus diurnus approbauit, legendosque recepit aut recipiet, prædicent, nec quicquam proprio sensu adiiciant, contrarium aut dissonum, sed semper insistant illis interpretationibus, quæ ab ipsius sacræ scripturæ verbis, & præfatorum doctorum interpretationibus ritè, & sanè intellectis, non discordant. Tempus quoque futurorum malorum, vel Antichristi aduentum, aut certum diem iudicij prędicare, non præsumant, &c. Neque alia futura quæcumque ex litteris sacris constanter prædicere, nec illa à Spiritu sancto vel diuina reuelatione se habuisse, & alias vanas diuinationes, &c. Item ab Episcoporum, & aliorum Superiorum scandalosa detractione, quos coram vulgo non modo incaute, sed etiam intemperanter reprehendunt, abstineant. Sed ex diuinæ vocis præcepto Euangelium omni creaturæ cum vitiorum detestatione, & virtutum commendatione enucleent, & dilectionem mutuam vbique commendatam faciant, nè scindant Christi vestem inconsutilem. Cæterum si quibusdam eorum Dominus futura quædam prędixerit, cum dicat Apostolus, Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite spernere, idem etiam dicit. Nolite omni spiritui credere, sed

probate vtrũ ex Deo sit, volumus vt lege ordinaria tales assertæ inspirationes antequam publicentur, & populo prædicentur, Apostolicæ sedis examini reseruatæ sint. Quod si periculum esset in mora Ordinario loci notificentur, qui adhibitis tribus aut quatuor viris doctis, & grauibus, & cum eis negocio huiusmodi examinato, licentiam eas prædicandi concedere possit, si ita ei expedire videbitur. Contrafacientes pœnam excommunicationis reseruatam incurrant.

Concilium etiam Trid. sess. 5. cap. 2. de prædicatione, decernit.

Si vero, quod absit, Prædicator errores, aut scandala disseminauerit in populum, etiamsi in monasterio sui, vel alterius ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicat. Quod si hæreses prædicauerit contra eum iuxta iuris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat, quo casu Episc. auct. Apost. tanquam sedis Apostolicæ Delegatus procedat, Caueant tamen Episcopi ne quis Prædicator, vel ex falsis informationibus vel alias calumniosè vexetur, iustamque de eis conquerendi occasionem habeat.

Item idem Concilium sess. 25. cap. de purgatorio decernit vt infra.

Præcipit S. Synodus Episcopis, vt sanam de purgatorio doctrinam à sanctis Patribus, & sacris Conciliis traditam à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & vbique prædicari studeant. Apud rudem vero plebem, difficiliores ac subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, à popularibus concionibus secludantur. Incerta vero, vel quæ specie falsi laborant, euulgari ac tractari non permittant. Ea vero, quæ ad curiositatem quandam, aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala, & fidelium offendicula prohibeant.

Pius V. specialem edidit Constitutionem de prædicatione controuersię Conceptionis, vel sanctificationis B. Virginis his verbis.

Motu proprio &c. de potestatis Apostolicæ plenitudine mandamus, quatenus nemo cuiuscumque conditionis existat in popularibus concionibus, vel vbicumque promiscua virorum, & mulierum multitudo conuenire solet, de huius controuersia (s. Conceptionis, & sanctificationis B. Virginis) alterutra parte disputare, rationibus, aut Patrum auctoritatibus, asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo, vel de hac quęstione vulgari sermone scribere præsumat sub pœna suspensionis officiorum, &c.

Et in cap. Valleoletano 1605. dicitur. Abstineant omnes Prædicatores in concionibus festiuitatis sanctificationis B. Virginis à quæstionibus de peccato originali, caueantque ne quid dicant, quod aures pias offendere possit, sed fiant conciones de laudibus B. Virginis, & seruẽtur decreta Pontificum. Ex decl. cap. De certis detractionibus vitandis, habetur. Cum ex fauore, & gratia Prælatorũm, ordo noster plurimum promoueatur, debemus illos in magna reuerentia habere, & nullo modo eis detrahere, aut lites cum eis habere, imo eorum famam defensare, & populos ad eorum obedientiam, & reuerentiam inducere, nec vllo modo laicos ab Ecclesiarum suarum frequentia vel accessu auertere, qui oppositum fecerit pœna grauioris culpæ puniatur. Romæ 1571. Venetiis 1592. Romæ 1601. Admonentur concionatores, vt inter alia deuotionis exercitia quantum fieri poterit societatem Sanctiss. Rosarij commendent, & pium hoc institutum foueant, & promoueant. Idem etiam faciant de societate Sanctiss. nominis Dei. Valẽtiæ 1596. dicitur

Tam in quadragesima, quam in Aduentu, & per annum concionatores in nostris Ecclesiis non possunt aliud Euangelium prædicare, nisi quod in nostro missali habetur. Postea mandato Clementis 8. in missali reformato conuenimus cum Romano in Euangeliis, & Epistolis vnde euanescit prædictum decretum Bononiæ 1564. Prædicatores apertè, & animosè pro fide loquantur contra hæreses, & fidei dogmata constanter, & explicite proponant sicut loci, & temporis ratio postulauerit, & contra scelera strenue clament, & inter cætera blasphemiarum, periuriorum prauitatem frequentissimè insectentur, vt indulgentiarum, & priuilegiorum societatis nominis Dei participes efficiantur.

De Prædicatorum quæstu.

CAP. LIX.

ILli vero, qui apti sunt cùm exire debuerint in prædicationem, eis socij dabuntur à Priore secundum quod moribus eorum, & honestati iudicauerit expedire, qui socij sibi dati ipsis tanquam Priori suo obediant. Illi vero accepta benedictione exeuntes, tanquam viri, qui suam, & aliorum salutem procurare desiderant, religiosè, & honestè se habeant, sicut viri Euangelici, sui sequentes vestigia Saluatoris, cum Deo vel de Deo, secum, vel cum proximis vtiliter loquendo, vitabunt suspecti comitatus familiaritatem, Placitis, & causis, (nisi pro fidei negociis) non intersint. *Cap. de Præd.*

Euntes ad prædicationis officium exercendum, aurum, vel argentum pecuniam, aut munera, excepto victu, & necessariis indumentis, & libris, nec accipient, nec portabunt. Si quis autem de prædictis aliquid acceperit, cum redierit teneatur Prælato suo liberè præsentare. Statuimus autem, ne fratres nostri in prædicationibus suis, dari, vel colligi pecuniam admoneant pro domo, vel aliqua persona speciali. Nullus frater audeat quæstus facere aut bullas aliquas prædicare, nisi de licentia Magistri ordinis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quam sedentes pro tribunali in his scriptis ferimus, & sub pœna priuationis omnium bonorum eis ab ordine concessorum, & communitati applicandorum. *Ex cap. de itinerantibus.*

Gregorius 9. in suo priuilegio primo, postquam fratres nostri ordinis Episcopis, & aliis Ecclesiæ Prælatis commendauit contra quæstuantes Prædicatores, hæc ipsis Episcopis mandat.

Quia verò vitia sub specie subintrant virtutis, &c. præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus si qui de Prædicatorum ordine fratres se dicentes, in partibus ve-

ſtris prædicauerint, ad quæſtum ſe pecuniarum conuertendo, per quos religio illorum, qui paupertatem profeſſi ſunt infamari contingit, vos eos capiatis tanquam falſarios, & condemnetis.

In declar. cap. de Prædicatoribus dicitur, Cum Prædicatores ſe tanquam veros religioſos, & viros Apoſtolicos exhibere debeant, & nulli materiam ſcandali præbere, & ab omni ſpecie mali abſtinere, idcircò nullo modo debent permittere, vt dum actu prædicant colligantur pecuniæ, ſiue pro domo, ſiuè pro quacumque perſona, ne notam cupiditatis, vel auaritiæ incurrant, & prædicationis officium in vilipendium veniat. Et ob id ſub pœna excommunicationis mãdatur omnibus fratribus, ne de cætero prætextu cuiuſcumque extranei quæſtus, & indulgentiæ prædicandæ quouis modo diſcurrant, precium, aut ſalarium, pro huiuſmodi prædicationibus accipiant, vel ad hoc fratrem aliquem inducant. Et nihilominus tales diuini verbi corruptores, qui labe cupiditatis, & quæſtuaria illuſione ſplendorem noſtræ religionis offuſcant, officio prædicationis, & bonis ad vſum conceſſis, ſint ipſo facto priuati, & per annum ad carceres deputentur. Poterunt tamen Prædicatores, & fratres Conuentum commendare, & populo paupertatem, & neceſſitatem exponere, vt ſuo tempore eis eleemoſynas conferat, & adhoc adhortari.

Concil. Trid. ſeſſ. 5. cap. 2. in fine habet hoc mandatum.

Quæſtores vero eleemoſynarij, qui etiam quæſtuarij vulgo dicuntur cuiuſcumque conditionis exiſtant, nullo modo, nec per ſe, nec per alium, prædicare præſumant, & contrafacientes ab Epiſcopis, vel locorum Ordinariis arceantur, priuilegiis quibuſcumque non obſtantibus.

In declar. cap. Itinerantibus dicitur. Mandamus fratribus noſtri ordinis ſub pœna grauioris culpæ, ne quis extra terminos ſuæ prouinciæ, aut Conuentus prædicet, in noſtris, vel alterius Eccleſiis, aut quæſtus faciat, ſine licentia Magiſtri ordinis, ſiue Prouincialis, aut Prioris in quorum terminis prædicare, aut quæſtus facere contigerit, Et ſi quid acquiſierint reſtituant. Romæ 1571. idẽ confirmatur, & additur, quod ſiqui ſponte in alterius terminis prædicauerit, aut quæſtus fecerit, à Prælatis loci comprehendantur, & pænis grauioris culpę ſubdantur, & repetitur Romæ 1608. Et Valentiæ 1596. mandatur Prouincialibus, & Præſidentibus Conuentuum ne mittant fratres extra terminos ſuarum Prouinciarum, etiam prædicationis cauſa, excepto ſi cõtingeret aliquem fratrem ſuæ Prouinciæ ab aliqua ciuitate, vel oppido in prædicatorem deſiderari, & peti: tunc enim poterit concedi, alias aufertur ab ipſis poteſtas id agendi.

Tenentur tamen Prædicatores iuxta multorum capitulorum decreta, quicquid ſibi datum fuerit pro eleemoſyna, Prælatis fideliter præſentare, & præcipue annotetur ordinatio capituli Valleoletani 1605. quę ita habet, Omnes pecunię, & quæcumque alia Prædicatoribus, & Cõfeſſariis elargita, quã primum Prælatis ſuis conſignentur, realiter, ſub pœna proprietariis debita. Ex quibus poterit Prẹlatus ſi iuſtum iudicauerit, aliquam partem iuxta eius indigentiam illi dare. Qui verò ad paupertatem parentum ſubleuandam maiore eleemoſyna indiguerit, à Prouincialibus petant, qui ſe liberales ex-

hibeant circa indigentes, præcauendo tamen, ne eas in proprios vsus conuertant.

Neque prędicare debent fratres propter lucrum, & obseruent id quod tradit S. Thom. 4. sentent. dist. 25. q. 3. art. 2. quæstion. 2. ad 4. & quolibet 2. art. 12. f. Habere oculos ad terrena in prædicatione contingit dupliciter, vno modo sicut ad mercedem, & præmium prædicationis, & hoc modo nō licet, quia prædicator faceret Euangelium venale, alio modo tanquam ad stipendia pro necessitate sustentationis vitæ, & hoc modo licet. Accipiant ergo sustentationem à populo, mercedem vero à Deo. Hæc S. Thom. Et sub nomine lucri terreni, nedum comprehenditur pecunia, & quæ pecunia appreciabilia sunt, sed etiam laus humana, siuè propria, siue etiam religionis, quia & hæc infra mundana bona connumerantur. Ideo cogitent prædicatores prædicare magis fructuose, quam gratiose. Et ad hæc bona inquit Caiet. in summula, verbo, Prædicator, gesticulationes, cantilenæ, facetiæ, fabellæ, & huiusmodi, quæ afferuntur, vt placeant hominibus, referuntur.

De quibusdam exemptionibus Prædicatorum.

CAP. LX.

PRædicatores, vel itinerantes dum in via sunt, officium suum dicant prout sciunt, & possunt, & sint contenti officio Ecclesiarum ad quas declinauerint. *Ex cap. de Itinerantibus.*

Nullus frater ratione paternitatis, aut cuiuscumque gradus, exemptionem prætendere possit à sequela chori aut aliis grauaminibus ordinis, Lectoribus, Prædicatoribus, ac Magistris in sacra Theologia, actu legentibus, & prædicantibus dumtaxat exceptis. Circa quos legitimæ consuetudines prouinciarum seruentur. Ex decl. cap. de officio Ecclesiæ.

Rodericus Tomo 3. quæst. 33. art. 12. refert concessionem Leonis X. infra scriptam.

Prędicatores verbi Dei, & Confessores, ord. minorum de obseruantia, quando actu prædicant in Aduentu, & Quadragesima, possunt officium feriale anticipare, & festa illis diebus reseruare, quibus eos amplius laborare necesse est, non tamen in fraudem diuini officij, vt liberius studio, aut consolationi spirituali fidelium incumbere possint.

Et addit hic doctor huic priuilegio non obstare præceptum de dicendo officio iuxta formam Breuiarij reformati, quia vere non immutatur forma officij, sed tantum anteponitur, vel postponitur, officium diei particularis. Idem Rodericus ar. 3. eiusdem quæstionis refert aliud priuilegium Leonis X. circa ieiunium tenoris huiusmodi.

Fratres minores actu prædicantes possunt sine scrupulo diebus ieiunii anticipare, & retardare horas comestionis, & serotinæ collationis, iuxta suam consolationem.

Prædicatores, qui per decennium integra quadragesima gratiosè prædicauerunt, sint, & habeantur patres à consiliis in locis vbi erunt assignati, Romæ 1580. & antea Barchin. 1574. Cum dicitur Prædicatores actu Prædicantes, à se-

à ſequela chori exemptos eſſe, declaratur Pariſiis ita eſſe intelligendum, vt dicantur Prædicatores actu prædicare, quando in aliquo Conuentu deſignati ſunt ad habendas per totum annum conciones, quas & habent.

De Prædicatoribus generalibus.

CAP. LXI.

STatuimus autem, vt nullus fiat Prædicator generalis antequam Theologiam audierit per tres annos, & niſi ſit maturus, & diſcretus ad negocia ordinis pertractanda in capitulis, & niſi in prouincia illa glorioſe prædicet, ita quod ſaltem per tres quadrageſimas, in aliqua bona ciuitate, ſeu terra vel aliquibus bonis ciuitatibus ſiue terris prædicauerit. *Cap. de Prædicatoribus.*

Statuimus, & diſtrictè præcipimus, ac prohibemus, ne fiat aliquis Prędicator generalis, niſi ſit maturus, & diſcretus, & ſufficientis literaturæ, qui conuenienter ſciat proponere verbum Dei, & qui ſit idoneus ad negotia ordinis pertractanda, nec numerum Conuentuum excedant. Et non fiant aliqui in aliqua Prouincia habente numerum exceſſiuum, donec ad dictum numerum ſint redacti, Magiſtris in Theologia, & in illis dũtaxat exceptis, qui ratione antiquitatis, vel infirmitatis ad capitula prouincialia venire non poſſunt. Quod ſi ſecus factum fuerit totum ſit irritum, & inane. *Ex cap. de certis detract. & ſingul. vitandis.*

Capitulum prouinciale appellamus, Priores Conuentuales cum ſingulis ſociis, & Prædicatores generales. Prædicatores autem generales dicimus, Magiſtros in Sacra Theologia, & qui per Prouincialem, & Diffinitores capituli prouincialis fuerint inſtituti, quos inſtituendi nullus Vicarius cum Diffinitoribus habeat poteſtatem. Dicti autem Prędicatores generales non fungantur officio ſuo, niſi in prouincia in qua fuerunt inſtituti.
Ex cap. De capitulo Prouinciali.

Sine Prouincialis aſſenſu, Diffinitores non poſſunt Prædicatorem generalem inſtituere, poteſt tamen id facere Prouincialis cum duobus Diffinitoribus. Et quicumque inter Diffinitores conſtitutus ſeipſum de aſſenſu duorum aliorum, aliis diſſentientibus Prædicatorem fecerit generalem, pro nõ Prædicatore habeatur, & de cætero niſi ſuper hoc attentetur. Cum autem Prædicatores generales ſunt inſtituendi debent in actis capituli prouincialis promulgari, & nõ per literas fieri. Et ſi qui hactenus per literas facti ſunt, pro non factis habeantur. Et præter notata in Conſt. Inſtituendi Prædicatores generales debent eſſe ſufficientes, nedum in literis, ſed etiam in moribus

& vita, neque de aliquo crimine conuicti, & ætatis vigintiquinque annorum. Ex declar. cap. de capitulo prouinciali. Romæ 1589. auctoritate Apostolica mandatur sub præcepto formali, vt nullus in posterum à Prouincialibus, vel Prouinciis in Magistrum, Baccalaureum, aut Prædicatorem generalem petatur nisi sufficienter legerit, prædicauerit, actusque legitimos fecerit, & omnes conditiones requisitas habuerit, locusque vacauerit, & stantibus æqualibus meritis, & sufficientia, antiquiores præponãtur, & in petitionibus exprimatur quot annis prædicauerit, & vbi, & an vacet locus, aliter petitiones non admittantur. Venetiis 1592. Dicitur iuxta prædicta numerũ Prædicatorum generalium in nulla prouincia posse excedere numerum prioratuum illius prouinciæ. Et si qui modo reperiuntur instituti vltra præfatum numerum, eos non esse tales decernitur, neque gratiis & priuilegiis illorum vti posse. Hi tamen in locum decedentium succedent successiue secundum ordinem suæ institutionis, habitis requisitis. Et si quid contrarium attentatum fuerit, totum sit irritum, & inane. Et Romæ 1589. declaratur, quod cũ dicitur Prædicatores generales non debere excedere numerũ Conuentuum Prouinciæ, inter Cõuentus non connumerantur Vicariatus. Et Romæ 1608. declaratur Suppriores, qui sunt Prædicatores generales, habere vocem in capitulo Prouinciali, & posse illud adire. Item Romæ 1589. præfixus fuit numerus Prædicatorum generalium pluribus prouinciis cum numero Magistrorum & Baccalaureorum, quem habes supra, cap. De numero Magistrorum.

De Confessarijs fratrum.

CAPVT LXII.

EX priuilegiis summorum Pontificum ordini nostro collàtis, apertissimè habetur, Prælatos ordinis ritè institutos habere facultatem audiendi confessiones fratrum suorum subditorum, & eos à peccatis absoluendi, ita vt extra ordinem existentibus fateri non valeant, nisi in quibusdam casibus infra notandis. Quanta autem sit Prælatorum potestas supra subditos suos in absoluendo eos à casibus reseruatis, & censuris, dicetur infra à capite suo. In proposito igitur hæc priuilegia notanda sunt.

Alexander 4. in suo priuilegio 3. ita disponit.

Cum Magister, & Priores ordinis Prædicatorum, more periti medici vinum, & oleum sciant infundere vulneribus sauciatis, auctoritate præsentium inhibemus vobis fratribus dicti ordinis, ne aliquis vestrum alijs quàm prælatis suis peccata sua confiteri præsumant, nisi necessitatis vrgente periculo, nisi forsan Magister ordinis, aut Prior, alicui fratri suo licentiam dederit, fratri alteri eiusdem ordinis confitendi, &c.

Sixtus 4. in Mari magno per eadem formalia verba idem inhibet. Ex priuilegio concesso à Iulio 11. ordini Minimorum relato inter nostra fol. 231. habetur.

Præterea caueatur ne quis fratrum huius ordinis confessiones audiat, absque licentia, vel permissione Correctoris generalis, aut Vigilis siue Prouincialium vel eorum vicesgerentium.

Neque etiam fratres confessoribus extraneis confiteri possunt virtute quorumcumque priuilegiorum generaliter à sede Apostolica concessorum, vt patet ex his, Iulius 2. priuilegio suo 3. ita disponit.

Insuper vt ipsius ordinis (.s. Prædicatorum) Præsidentes vultum pecoris sui agnoscere queant, nolumus eiusdem ordinis personas, confessionalibus, vel indulgentiæ literis per sanctam sedem emissis, vel emittendis, nisi tuo ò Magister accedente, & durante consensu, gaudere posse.

Iulius 3. suo priuilegio 3. confirmat id quod Iulius 2. concesserat. in cap. Romano 1601. publicatur breue Clementis 8. ad instantiam ordinis Carmelitarum emanatum, ad omnes tamen ordines mendicantium extensum, talis seriei.

Nos igitur supplicationibus inclinati, concessiones .s. Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium, quantum ad articulum eligendi confessorem, & absoluendi à casibus reseruatis, cum fratribus, & sororibus ordinũ mendicantium, & nõ mẽdicantium, &c. locum minimè habere neque censeri, sed nostræ intentionis esse, vt prædicti fratres, & sorores quantum ad Sacramentum pœnitentiæ, & confessionis, dispositioni suorum Prælatorum subditi sint, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo declaramus. Non obstantibus &c. Eisdem tamen Prælatis mandamus, vt in vsu huius potestatis benignos, & faciles se suis subditis exhibeant.

In fine compendij priuilegiorum ord. minorum reformati à F. Hieronymo à Sorbo Capucino affertur quoddam priuilegium Pij V. concessum ordini nostro ad instantiam Prouincialis Hispaniæ, in quo præcisa verba Clementis 8. nunc relata continentur. Posset forsan his dictis opponi decretũ Congregationis Concilij, quod affert Rodericus post bullas Gregorij 13. tenoris huiusmodi.

S.D. Gregorius 13. declarauit tempore iubilei posse omnes regulares confiteri peccata sua sacerdotibus approbatis ab Ordinario ad audiendas confessiones. In bulla enim non fit mentio, nisi de Ordinario eorum, qui audiunt confessiones, non autem de Ordinario pœnitentium.

Cui decreto posset dici primo, quod priuilegium concessum à Clemente 8. nunc relatum, est posterius hoc decreto, ideo præualet. 2. quod oporteret videre bullas Iubileorum si derogant priuilegiis in debita forma 3. Idem Gregorius concessit societati Iesu hoc priuilegium, quod habetur, to. 1. q. 62. ar. 11. Roderici, & est tenoris, vt infra.

Gregorius Papa 13. declarauit, non fuisse, nec vnquam esse, mentis suæ, aut sedis Apostolicæ vt personæ societatis absque Superiorum licentia vtantur facultatibus, quæ in Iubileis & bullis Cruciatæ, ac aliis indultis Apostolicis, communitatibus, aut personis, seu locis pijs concessæ sunt, aut in posterum concedentur, non obstante quod in ipsis expressè indulgeatur, vt omnes Regulares etiam mendicantes, huiusmodi facultatibus vti possint.

Casus vero in quibus possunt nostri fratres confiteri peccata sua extraneis exprimuntur in his priuilegiis. Innocentius 7. priuilegio suo 2. concedit vt infra.

Nos igitur huiusmodi supplicationi inclinati auctoritate Apostolica præsentium tenore, ex speciali gratia indulgemus fratribus huiusmodi (.s. ord. Præd.) quos pro tẽpore iti-

nerare, & mitti contigerit per suos Superiores, vt si aliquem presbyterum idoneum ex professoribus sui ordinis habere non possint, quemcumque alium idoneum, & discretum regularem, vel secularem, in eorum confessorem eligere valebunt, qui confessiones illorũ audire, beneficium absolutionis impẽdere, & salutarẽ pœnitentiam impendere valeat liberè, & licitè, nisi talia essent, propter quæ sedes Apostolica merito esset consulenda.

Et Iulius 2. Magistro ordinis nostri in priuilegio 2. indulget vt infra.

Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, tenore præsentium concedimus, quod tu, tuique successores omnes ad tuum ordinem vtriusque sexus pertinentes licentiare valeas ad confitendũ peccata aliis sacerdotibus, deficiente idoneo dicti ordinis confessore.

In decl. prologi Const. dicitur. Priores in conuentu suo, & in eorum absentia Suppriores, & eorum Vicarij omnes fratres nostri ordinis ad suos Conuentus declinãtes, absoluere possunt ab omnibus peccatis, & censuris, &c.

Ex decl. cap. de Nouitiis habetur. Fratres nostri non possunt peccata sua aliis, quã Prælatis suis confiteri, nisi forte de licentia sui Prælati alteri fratri ordinis confiterẽtur. Et potest quilibet Prior in suo Conuentu cũ habeat iurisdictionem quasi Episcopalem quemcumque fratrem nostri ordinis, etiam non subditum, à quocumque peccato absoluere, nec potest quantum ad hoc eorum potestas per Prouincialem arctari, quia quod per Superiorem conceditur ab inferiori arctari non potest, hoc autem habent Prælati à Papa. Et potest etiam Prior concedere fratri suo vt confiteatur Priori, vel fratri alterius Conuentus, sed non alterius ordinis.

De Confessorum approbatione per Prælatos ordinis.

CAP. LXIII.

STatuimus, quod in qualibet prouincia à Præsidente, & Diffinitoribus instituãtur aliqui viri docti, & zelum religionis habentes, examinatores, & approbatores omnium Prædicatorum, & Confessorum, quos non constat manifeste esse doctos, ita quod nullus talium, nisi approbatus à duobus illorum in scriptis vel declaratus à Diffinitorio in scriptis sufficiens, & idoneus ad prædicandum, vel confessiones extraneorum audiendum, prædicet populo etiam in villulis, vel confessiones extraneorum audiat sub pœna carceris, & Pręsidentes hoc permittentes ab officiis absoluantur.

Benedictus 2. ex nostro ordine assumptus suo priuilegio 2. proponit conditiones Confessorum his verbis.

Quare decernimus, vt Magister, & Minister generalis, Priores, & Ministri Prouinciales ord. Pręd. & minorum, vel eorum Vicarij de discretorum consilio, ad tam salubre officium (.s. audiendi confessiones) diuina scientia doctos, discretione vigentes, vita probatos, & expertos moribus eligant, & assumant, alioquin districtam reddent in futuro examine rationem.

In decl. cap. de Prædicatoribus dicitur. Ad audientiam confessionum

nullus à Prælatis exponi debet, qui non sit vita, moribus, & scientia approbatus, maturus, discretus, securus, & sufficienter instructus de casibus conscientiæ sedi Apostolicæ, & Diœcesanis reseruatis, & de aliis, quę ad salutem animarum pertinent, ita vt sine scandalo, & periculo possit huiusmodi officium exercere, habeatque specialem licentiam à suo Prælato. Romæ 1571. ex mandato Pij V. Statuitur, vt Prælati, & examinatores Confessorum omnem adhibeant diligentiam, vt ad hoc officium saluti animarum ita necessarium non admittant, nisi eos, qui moribus, & scientia fuerint idonei, memores diuini iudicij, in quo sunt reddituri rationem de periculo animarum, quæ defectu Confessorum damnationem incurrent. Quod & confirmatum fuit Barch. 1574. & Romæ 1580. Romæ 1589. auctoritate Apostolica statutum fuit cum robore perpetuæ Constitutionis, vt nullus admittatur ad audientiam confessionum tam fratrum, quam secularium, nisi per quinque examinatores, vel vbi tot non suppetant per tres ad minus sufficiens iudicatus fuerit, Præcipiētes ipsis Confessorum examinatoribus, sub eodem præcepto formali, & pœna excommunicationis latæ sententiæ, vt per vota secreta sua dantes suffragia, secluso omni particulari affectu, insufficientes excludant, & sufficientes, ac idoneos admittant. Quod confirmatur Valentiæ 1596. Romæ 1601. Valleoleti 1605. In decl. cap. de Præd. habetur. Non debent fratres audire confessiones secularium maximè mulierum ante trigesimum annum. Idem repetitur Romæ 1608. & additur. Si in aliqua prouincia fuerit arctior consuetudo, ea seruetur. Idem Parisiis repetitur tum de examine rigoroso præmittendo, tum de ætate triginta annorum pro audientia confessionum mulierum, & adhuc prohibetur, vt in actu confessionis, vel proximo, nihil à pœnitente recipiatur, quod ante etiam Romæ 1608. statutum fuerat. Et Neap. 1600. ordinatum fuit, vt Confessarij virorum essent annorum triginta, & mulierum annorum triginta quinque.

De Confessorum approbatione per Ordinarios locorum.

CAPVT LXIV.

Difficilis valde redditur perscrutatio hæc, ob multitudinem, & varietatem concessionum Apostolicarum, quæ successu temporis emanarunt. In principio quidem religionis, fuit indultum ordini nostro, vt possent fratres confessiones secularium audire, absque requisitione Ordinariorum. Nam Gregorius IX. qui & B. Patrem Dominicum Sanctorum catalogo ascripsit de anno 1227. talem præbuit concessionem, per primum eius priuilegium, Prælatis Ecclesiæ directum.

Charitatem vestram rogantes per Apostolica scripta mandamus, quatenus dilectos filios fratres ordinis Prēd. pro reuerentia diuina ad officium prēdicandi benigne recipiatis, & populos vobis commissos, vt de ore ipsorum verbum Dei suscipiant, & confiteantur eisdem, cum ipsis auctoritate nostra liceat confessiones audire, & pænitentias iniungere, sedulo admoneatis, & pro reuerentia Sedis Apostolicę in suis necessitatibus eis assistatis.

Martinus IV. suo priuilegio vnico disponit vt infra.

Vt fratres eiusdem ordinis (.s. Prædicatorum) prędicationis, & audiendi cōfessiones officio eo liberius, & efficacius exequi valeant, quo certius de ipsorum circa hęc auctoritate constabit, tibi fili Magister per te, vobis verò Prouincialibus cum Diffinitoribus in capitulis vestris congregatis committendi, auctoritate Apostolica fratribus eiusdem ordinis in sacra pagina eruditis, &c. Audiendi verò confessiones absoluendi confitentes, & iniungendi pœnitentias salutares etiam fratribus idoneis concedendi, & eisdem fratribus sic electis, dicta officia sibi commissa aut committenda libere exercere valeant, plenam damus tenore præsentium facultatem: Districtè inhibentes, ne quis ipsos fratres in exercitio, & executione officiorum ipsorum audeat impedire.

Hoc idem ab aliis successoribus Pontificibus confirmatum fuit.

Insurrexerunt quidam contra Regularium mendicantium statum, multa contra eos excitantes, & inter alia, quod vana erat illorum absolutio in confessionibus impensa propter quod asserebant, quod qui confessi fuerant sua peccata Confessoribus mendicantium, tenebantur adhuc illa iterum confiteri suis Parochis. Quorum caput fuit Ioannes de Poliaco Magister, qui etiam addere ausus est, quod stante statuto, Omnis vtriusque sexus, &c. nec Deus nec Romanus Pontifex facere possunt, quod parochiani non tenerentur saltem semel in anno confiteri peccata sua proprio Sacerdoti, sed opportebat vt ipsimet Parochi talem facultatem præberent, & audientes confessiones sine licentia Parochi fures erant, & latrones. Quam doctrinam tanquam hæreticam, aut suspectam de hæresi, de DD. Cardinalium consilio reprobauit Ioan. 22. vnde dictus Ioannes de Poliaco coactus fuit illam reuocare. Quæ omnia habes in bulla Calixti III. inserta priuilegiis nostris. Qua propter Pontifices successores constituerunt, vt Confessarij electi à Magistro ordinis, vel Prouincialibus coram Episcopo præsentarentur modo infrascripto.

Bonifacius VIII. cuius Constitutio incipit Super cathedram, & habetur in Clementina, Dudum. De sepult. ita disponit, relatis prius controuersiis inter Parochos, & fratres ord. Præd. & minorum.

Statuimus auctoritate prædicta, vt in singulis ciuitatibus, & diœcesibus, in quibus sunt loca dictorum fratrum, aut locis eorum vicinis, Magistri, & Priores Prouinciales ordinis Prædicatorum, ac eorum Vicarij ad præsentiam Prælatorum eorundem locorum se conferant, per se vel fratres quos ad hoc idoneos fore putauerint, humiliter petituri, vt fratres qui ad hoc electi fuerint in eorum ciuitatibus, & diœcesibus, confessiones subditorum suorum confiteri sibi volentium, audire, liberè valeant, & eisdem pœnitentias salutares imponere, & beneficium absolutionis impendere, de licentia, gratia, & beneuolentia eorundem, &c. Et ipsi Magistri, & Prouinciales siuè Vicarij eligere studeant personas sufficientes idoneas, vita probatas, discretas, modestas, atque peritas, &c. Extra quas ciuitates, & diœceses, in quibus fuerint deputatæ, per quas, & non per prouincias volumus deputari, confessiones non audient. Numerus autem personarum assumendarum ad hoc officium exercendum, esse debebat prout cleri, & populi multitudo vel paucitas exigit eorundem. Et si Prælati petitam licentiam concesserint, illam cum gratiarum actione recipiant, & personæ sic electæ officium suum exequantur. Quod si fortè dicti Prælati quempiam ex electis, & præsentatis fratribus, non du-

cerent admittendum, eo subtracto, loco ipsius poterit alius subrogari. Si Vero dicti Prælati sic electis, & præsentatis licentiam exhibere noluerint, nos ex nunc ipsis vt confessiones sibi volentium confiteri libere audire valeant & eisdem pœnitentias salutares imponere, ac beneficium absolutionis impendere, gratiosè concedimus de plenitudine potestatis. Per huiusmodi autem concessionem nequaquam intendimus fratribus ipsis ad id taliter deputatis, potestatem ampliorem impendere, quam Curatis, & Parochis à iure est concessum, nisi forte Prælati vberiorem gratiosè impenderent.

Benedictus XI. in priuilegio suo 2. ampliat prædictam facultatem his verbis.

Vt autem Diœcesanis honor debitus reseruetur, præcipimus, vt Priores Prouinciales ord. Præd. & minorum per se vel per alios, verbo vel scripto eis significent, se fratres ad huiusmodi officium audiendarum confessionum elegisse, & non nominando aut coram ipsis consistendo, nec illorum numerum exprimendo, petant humiliter vt de eorum licentia in eorum Ciuitatibus, & diœcesibus possint dictum officium exercere. Quod si denegent, aut infra triduum non concedant, ex tunc dicti fratres electi officium dictum exerceant. Datam vero licentiam, nolumus per Diœcesanorum mortem terminari.

Eugenius IV. Monachis S. Benedicti facultatem concedit audiendi confessiones forensium, absque quacumque præsentatione illorum Episcopis facienda Hanc bullam habes inter priuilegia f. 252.

Nos volentes deuotioni populorum satisfacere, &c. vt liceat Prælatis congregationis S. Iustinæ, & monachis à suis Superioribus deputatis pro audientia confessionum dictorum populorum confessiones audire, absque alia suorum superiorum licētia, ac Eucharistiæ Sacramentum administrare, de speciali gratiæ dono licentiam elargimur.

In Concilio Lateranensi modificatæ fuerunt huiusmodi concessiones. Vnde Leo X. in bulla quæ incipit Sacro approbante Concilio, quæ est eius 3. inter priuilegia ita disponit.

Superiores ord. Præd. fratres quos ad audiendas confessiones secularium pro tempore elegerint, Prælatis eorum personaliter præsentent, si eos præsentari petierint, alioquin præsentent coram Vicariis, dummodo ad Prælatos (.i. Episcopos.) vltra duas diætas accedere non cogantur, possuntque illi per Episcopos super sufficienti literatura, & huiusmodi Sacramenti peritia dumtaxat examinari, talibusq; præsentatis, & admissis, aut indebitè recusatis, confitentes, Constitutioni, quæ incipit, Omnis vtriusque sexus, &c. satisfecisse censeantur. Ipsique fratres etiam forensium confessiones audire valeāt.

Postremo Conc. Trid. prædicta moderatur sess. 23. cap. 15. his verbis.

Quamuis presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant, decernit tamen S. Synodus nullum etiam Regularem, posse confessiones secularium etiam Sacerdotū audire, nec ad id idoneū reputari, nisi, habeat parochiale beneficium aut ab Episcopis per examen si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem quo gratis detur, obtineat. Priuilegiis, & consuetudine etiam immemorabili non obstantibus.

Pius V. Concesserat, vt Lectores, & Magistri in Theologia mendicantes, non subiicerentur examini Episcoporum quando admitterentur ad audientiam confessionum, sed postea hanc gratiam reuocauit his verbis, in bulla sua apud Confectium 11.

Tenore præsentium, hac nostra perpetua constitutione decernimus, Conc. Trid-

decretum de approbatione regularium Confessorum ab Episcopis facienda, obseruari debere in omnibus mendicantibus, etiam Lectoribus, & Magistris, etiam à Generalibus approbatis. Volumus tamen eos qui semel ab Episcopo præuio examine in Ciuitate, & diœcesi approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari.

Iuxta cuius bullæ tenorem exiit decretum à sac. Congregatione huiusmodi.

Congregatio concilij censuit; Regulares ad audiendas confeßiones secularium in ciuitate & diœcesi ab Episcopo semel præuio examine approbatos, iterum ab eodem Episcopo non esse examinandos. Cęterum à successore posse examinari iuxta Constitut. Pij V. quæ non fuit à Gregorio XIII. per redactionem priuilegiorum regularium ad terminos Concilij reuocata.

Aliud etiam decretum in proposito exiit à sac. Congregatione regularium, quod huiusmodi est.

Congregato regularium censuit Regulares qui ad confeßiones audiendas idonei generaliter ab Ordinariis, eorumuè examinatoribus approbati fuerint, generaliter quoque & indistrictè absque aliqua limitatione temporis; certorumuè locorum, aut generis personarum admittantur in diœcesi propria. De Cęteris vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur, ipsos cum limitata facultate prout Ordinariis magis expedire videbitur probare, & admittere. Qui autem in domibus laicorum confeßiones causa infirmitatis audierint, statim Parochum admonere teneantur, & fidem auditę confeßionis pro medico relinquere.

Eadem Congregatio censuit, vt seruetur prædictum decretum, corripianturque Ordinarij, qui in articulo mortis id fieri probibent, vel in licentiis conceßis id excipiunt.

Bononiæ 1564. dicitur. Diligenter attendant Prælati, & quicunque alij fratres, vt omnia quæ circa Episcoporum obseruantiam, à S. Synodo fuerunt statuta, obseruent. Et si examinare volunt expositos ad audiendas confessiones, humiliter pareant, &c.

Qua ordinatione stante, non est à nobis audiēdus Rodericus tom. 1. quęst. reg. q. 59. art. 2. qui existimat per dictum decretum Concilij non esse reuocatum id quod nostri ordini, & minorum concessum fuit in Clementina, Dudum, supra relata, quia decretum (inquit) asserit. Non obstantibus priuilegiis, &c. Clementina autem Dudum, non est priuilegium sed lex, vt sunt aliæ decretales, igitur non est reuocata. Neque (inquit) dici potest quod lex posterior legem priorem reuocat, & decreta Concilij per modum legis traduntur, quia tunc posterior lex priorem euacuat, quando vtraque generalis est, non autem quando altera specialis est. Clementina autem illa specialis lex est, lata pro ordinibus Præd. & minorum tantum, igitur, &c. At patres nostri ordinarunt quod si Episcopi volunt approbatos à nobis examinare, humiliter pareant.

Præterquam quod in eodem Conc. Trid. sess. 25. de reg. cap. 22. habetur omnia decreta Conc. in quibus de regularibus agitur inuiolabiliter obseruanda esse, non obstantibus priuilegiis, & Constitutionibus Apostolicis. Et Pius IV. in confirmatione decretorum dicti Concilij reuocat omnes concessiones, indulta, &c. etiam regularibus concessa, inter quæ connumerandum videtur quod conceditur per dictam Clementinam, Dudum.

Aliud

Aliud tradit idem Rodericus non satis tutum, quod est Magistros, in Theologia non debere examinari ab Episcopis pro audientia confessionis, quia decretum concilij eos excipit. Nam dicit nullum præsbyterum posse audire confessiones nisi, vel beneficium obtineat, vel per examen approbetur ab Episcopo si velit, vel alias idoneus iudicetur. Et quis alius potest iudicari idoneus nisi Magister in Sacra Theologia approbatus in aliqua solemni vniuersitate? aut doctor sacrorum Canonum? Hi enim publicam fidem ferunt de illarum sufficientia. At quia hoc negatur à Pio V. relato supra, ideo etiam à nobis reiicitur.

De Confessorum auctoritate super fratres.

CAPVT LXVI.

COlligenda hic sunt præcipua priuilegia ordini nostro concessa super absolutione fratrum.

Innocentius IV. priuilegio suo 23. concedit Magistro ordinis, & Prouincialibus vt infra.

Nos itaque auctoritate præsentium, facultatem concedimus, vt singuli vestrum in prouinciis sibi commissis, fratribus ibidem constitutis, absolutione, & dispensatione indigentibus, siuè priusquam ordinem intrauerint, siuè post, in casibus excesserint memoratis, (.s. quibus annexa est censura excommunicationis, & nota irregularitatis) *de consilio discretorum fratrum vestrorum, qui literati sint, & Deum timentes, impartiri valeant beneficium absolutionis, & dispensare cum eis iuxta formam Archiepiscopis, & Episcopis à Sede Apostolica traditam, nisi adeo fuerit grauis, & enormis excessus, vt meritò sint ad Sedem Apostolicam destinandi, &c.*

Alexander IV. in suo priuilegio 30. idem de verbo ad verbum confirmat.

Gregorius XI. in Bulla relata à Sixto IV. in Mari magno eandem facultatem quam prædecessores concesserant Magistro ordinis, & Prouincialibus, extendit etiam ad Priores conuentuales, & eorum Vicesgerentes. Et addit facultatem absoluendi à casibus, quibus nedum annexa est censura excommunicationis, sed etiam suspensionis & interdicti.

Sixtus IV. in Mari magno, relatam Constitutionem Gregorij approba,t & addit talem declarationem.

Et quia sæpe reuocatur in dubium, qui sint merito ad sedem apostolicam destinandi. Vt absoluentium ac dispensantium, necnon absoluendorum & dispensandorum puritati conscientiæ consulamus, declaramus, hæreticos relapsos, Schismaticos & qui literas Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent, dumtaxat esse meritò ad Sedem Apostolicam destinandos.

Et quia idem Sixtus IV. in bulla quæ dicitur Aurea, restrinxerat prędictam facultatem, ita vt ea solum vti possent Magister ordinis, & eius Vicarius, ac illi quibus ipse duxerit committendum. Ideo aliam Constitutionem ipsemet Sixtus IV. promulgauit quæ est eius vltima in libro nostrorum priuilegiorum talis tenoris.

Dilectis filiis Vicariis fratrum obseruantiæ Hispaniæ, & Lombardiæ ord. Præd. ac omnibus Prioribus, & Vicegerentibus eorumdem fratrum salutem, &c. Volentes ve-

stræ quieti consulere, supplicationibus inclinati, vobis, & cuilibet vestrum facultatem & potestatem concedimus absoluendi, & dispensandi cum fratribus, sicuti alias ex priuilegio quod dicitur Maremagnum poteratis, antequam bulla aurea emanasset, illa cæterisque contrariis nonobstantibus.

Iulius II. in priuilegio suo 4. directo fratri Thomæ Caietano Magistro ord. prædicta declarans dicit.

Exponi nobis fecisti, quod Sixtus IV. prædecessor noster, declarauit in quibus casibus sit recurrendum ad Sedem Apostolicam, pro absolutione, & dispensatione à censuris, & irregularitate, &c. super fratres tuos, nihilominus propter clausulas deregatorias positas in bulla Cœnæ Domini, quæ singulis annis publicatur, dubitas facultatem ordini concessam, esse ademptam, &c. Nos igitur, &c. volentes tollere occasionem vagandi, attendentes multa contineri in prædicta declaratione quæ etiam in bulla Cœnæ Domini habentur, decernimus quod illi, quibus in prædicta declaratione Sixti IV. concessa est potestas absoluendi, & dispensandi, licite possint perpetuis futuris temporibus absoluere ac dispensare, ob omnibus, & singulis, ac si prædicta bulla Cœnæ facta non fuisset nec fieret, præterquam à conspiratione in Pontificem Romanum, & ab illis propter quæ Sixtus IV. declarando voluit ad dictam sedem merito esse recurrendum.

Diligenter tamen considerandæ sunt clausulæ derogatoriæ quæ nunc bullis Cœnæ apponuntur singulis annis.

Leo X. in priuilegio 5. directo omnibus generalibus ordinis mendicantium ita ordinat.

Nos cupientes fratres potius in suis claustris Deo pro peccatis sacrificium offerre, quam cum periculo animarum, & scandalo per longinqua itinera discurrere, vestris supplicationibus inclinati, vobis concedimus, & vobis per obitum, aut per amotionem à generalatu absolutis, Vicariis vestris pro tempore, ac illis quibus vos specialiter duxeritis esse concedendum, subditos vestros ab omnibus, & singulis casibus, & censuris secundum concessionem, & declarationem Sixti IV. & Iulij II. prædecessorum nostrorum, absoluere possitis, non obstantibus restrictionibus, reseruationibus & ordinationibus Apostolicis super his in Conc. Lateranensi factis, quibus quoad præmissa derogamus.

Pius V. bulla sua apud Confectium 10. ordini nostro concessit vt infrà.

Quia sacrum Concilium Trid. concessit Episcopis, vt absoluere possint in foro conscientiæ tantum ab omnibus peccatis, & dispensare super irregularitate, vt habetur sess. 24. cap. 6. ne Priores conuentuales, & alij Superiores deterioris conditionis sint, quam laici, & clerici, concedimus eis, vt ipsi per seipsos idem omnino possint in fratres, & moniales sibi subditos, quod possunt Episcopi in Clericos, & Laicos sibi subiectos, quoad absoluendum, & dispensandum, & alia ibidem concessa, &c.

Concessio ista non est contra Concilium Triden. sed est eius interpretatio, quod patet per illa verba, ne regulares sint deterioris conditionis, &c. ideo non est censenda reuocata à Gregorio XIII. quando omnia priuilegia Pij V. ad terminos Concilij reduxit. Quod etiam sentiendum est de prædictis omnibus gratiis hic adductis super facultate absoluendi, & dispensandi cum fratribus, quæ etiam post Concilium sunt in suo robore. Tanto magis quia plures Pontifices etiam post Concilium confirmauerunt nostra, & aliorum mendicantium priuilegia, quæ in vsu sunt, & decretis Concilij non sunt contraria, qualia sunt ista de absolutione, & dispensatione fratrum.

Ex declaratione prologi Constit. habetur quod Priores in Conuentu suo, & Suppriores in absentia eorum illorumque Vicarij omnes fratres ordinis ad eos declinantes ab omnibus peccatis, & censuris tam à iure quam ab homine generaliter prolatis. Sedi Apostolicæ non reseruatis, possunt absoluere, & sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis ministrare iuxta priuilegia. Et supra cap. de Nouitiis dicitur. Potest quilibet Prior in suo Conuentu, cum habeat iurisdictionem quasi Episcopalem, quemcumque fratrem nostri ordinis etiam non sibi subditum à quocumque peccato absoluere, & ab omni sententia iuris, & iudicis generaliter, & non in particulari prolata, nisi excessus esset talis quod meritò esset recurrendum ad sedem Apostolicam. Et hoc intelligitur de sententiis iudicis tam alterius ordinis quam nostri. Et quantum ad hoc auctoritas Priorum arctari non potest per Prouincialem; quia quod conceditur per Superiorem, non potest per inferiorem reuocari. Et super cap. de elect. Magistri ordinis dicitur, quod Magister ord. illico quod est electus habet curam animarum omnium fratrum, & potest illos absoluere ab omnibus excessibus, & censuris, etiam sedi Apostolicæ reseruatis, & irregularitatibus dispensare, &c. De Prouincialibus vero dicit Constitutio cap. de electione Prouincialis, quod tantam habet potestatem in sua prouincia, quantam habet Magister in ordine.

Si autem post prædictas concessiones emanauerint aliquæ Constitutiones Pontificiæ: quibus aliquid prohibeatur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, cuius absolutio reseruata sit sedi Apostolicæ, nonobstantibus priuilegiis quibuscumque etiam mendicantibus conuersis, prospiciant Confessarij num post tales Constitutiones confirmata fuerint priuilegia nostra in quocumque ordine, cum illa etiam clausula quatenus sint in vsu, & decretis Concilij non obstent, quia data hac confirmatione quæ ad omnes ordines extenditur, poterunt absoluere fratres ab huiusmodi excommunicationibus reseruatis. Extat autem inter alias confirmatio priuilegiorum monachorum ordinis S. Benedicti in Hispania relata à Roderico. Et est bulla Clem. VIII. 23. cum illis solis clausulis quatenus sunt in vsu & decretis Concilj non obstant, quamuis in Confirmatione nostrorum idem Pontifex apponat, & aliam .s. Et non fuerint, reuocata.

De auctoritate Prælatorum super fratres, in quibusdam casibus determinatis. CAPVT LXVI.

GRegorius XI. in bulla sua inserta in Mari magno, promulgata à Sixto quarto dat facultatem Magistro, & Prouincialibus, Prioribus, & Vicariis eorum, dispensandi super irregularitate contracta, celebrando diuina, in locis interdicto suppositis.

Innocentius IV. priuilegio suo 20. concedit Magistro ordinis, & Prouincialibus, vt eos ex suis fratribus, qui ex iniectione manuum in seipsos incurrerint excommunicationem, absoluere valeant, dummodo iniuriam passis competenter satisfaciant, illis tamen exceptis, quorum adeo grauis, & enormis esset excessus, vt merito recurrendum sit ad sedem Apostolicam. Idem habet Bonifacius IX. in suo priuilegio 5.

Clemens IV. in suo priuilegio 4. facultatem præbet Magistro ordinis, & Prouincialibus vt possint dispensare super irregularitate contracta, eo quia sententiam excommunicationis, interdicti, & suspensionis, ex quadam incautela proferunt sine scriptis, contra quandam Constitutionem super hoc editam, & postmodum ex quadam simplicitate, diuina celebrant infra mensem, imposita eis competenti pœnitentia, & quod de cætero in similibus non excedant, quod si etiam ipsi Magister, & Prouinciales in hoc modo dicto deliquerint, à suis Confessoribus dispensari possint.

Bonifacius IX. priuilegio 5. concedit Magistro ordinis, & Prioribus vt possint dispensare super irregularitate contracta, cum his qui vinculo excommunicationis ligati ob percussionem clerici diuina celebrant.

Martinus V. priuilegio 3. concedit Magistro ordinis, vt possit fratres qui forsan ante legitimam ætatem procurauerint, aut permiserint ad quoscumque sacros ordines promoueri, ab omnibus sententiis, & pœnis absoluere, quas propterea incurrerint, & dispensare super irregularitate per eos contracta.

Sixtus IV. in Mari magno concedit Magistro ordinis, Prouincialibus, & Prioribus vt possint dispensare super quacunque irregularitate, excepta ea quæ contracta fuerit causa homicidij voluntarij, mutilationis membrorum & bigamiæ.

Alexander IV. priuilegio. 13. concedit Magistro, Prouincialibus, Prioribus, & eorum Vicariis, vt sicut possunt suos subditos absoluere ab omnibus casibus & censuris, & dispēsare super omni irregularitate, nisi ob enormitatē esset recurrendū ad sedē Apostolicā, ita & ipsi absolui hoc modo possint, ac dispensari à suis Confessariis. Idem habetur in Mari magno. Sixti IV.

Quoad eos qui religionem intrant ita disponit. Sixtus IV. in Mari magno, vt conferat, Magistro ordinis, Prouincialibus, Prioribus & eorum Vicariis, facultatem absoluendi eos qui habitum nostrum sunt recepturi, à sententiis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, à iure vel à iudice generaliter promulgatis, & etiam post susceptum habitum, & professionem emissam, si recoluerint se talibus sententiis in seculo irretitos fuisse, & super irregularitate dispensare.

Sixtus IV. prout refert Rodericus tomo 1. q. 61. art. 6. concessit omnibus fratribus ordinis Prædicatorum, & minorum, præsentibus, & futuris, vt Confessor ab eis electus de licentia Superiorum, possit semel in vita, & in articulo mortis, pro commissis excessibus eos absoluere plenariè in forma confessionalis. Et in articulo mortis plenariam absolutionem peccatorum impendere ab omnibus casibus nullo excepto, ac si in illo actu ille confessor esset summus Pontifex. Ita dicit haberi in monimento ordinum.

Idem Sixtus IV. referente eodem Roderico art. 10. eiusdem quæst. concessit quod fratres Carthusienses possint eligere confessorem idoneum sui ordinis, qui semel in anno in festo Natiuitatis B. Virginis, possit omnes absoluere ab omnibus peccatis etiā sedi Apostolicæ reseruatis in perpetuum.

Vrbanus IV. priuilegio suo 1. concedit Magistro ordinis, & Prioribus, vt possint commutare vota eorum qui assumunt habitū nostrum, & pœniten-

tias illis impositas in obseruantias religionis, dummodo vota non fuerint de transeundo ad arctiorem religionem.

Leo X. concessit Confessoribus ordinis Minimorum facultatem commutandi, & relaxandi omnia vota & imponendi pœnitentias salutares quod priuilegium inter nostra habetur fol. 229.

S. Tho 2.2. q 88. ar. 12. ad primum dicit per ingressum religionis hominē liberari ab obseruantia cuiuslibet voti emissi ante, quia in religione totā vitam suam Dei obsequio deputat, in quo omnia continentur vota, & art. 8. eiusdem quæst. asserit. Cum Prælato subdatur religiosus secundum omnes suas operationes ex professione regulę, etiamsi ad horam aliquid facere possit, quando à Prælato non occupatur, quia tamen nullum tempus est in quo religiosus non possit à Prælato occupari nullum votum religiosi est firmum, nisi sit de consensu Prælati factum.

De reseruatione casuum.

CAP. LXVII.

PRiores possunt aliquos casus determinatos peccati mortalis sibi reseruare, vt viderint expedire animabus.

Ex prologo.

Nulla potestate in nostro ordine in communi vel particulari aliquid ordinetur, aut prohibeatur, cum hac pœna, quod non possit absolui à peccatis suis. *Ibidem.*

Hic notandum est decretum Clemētis 8. super reseruatione casuum quod huiusmodi est.

Sanctiss. D. Clemens 8. qui iam pridem accuratè perpendit, quod reseruatio facultatis absoluendi Religiosos pænitentes à quibusdam grauioribus delictis, nisi moderatè fiat nonnullos infirmiores in æternæ damnationis periculum; & desperationem inducere posset. Ideo decreuit, vt nemo Superior regularis peccatorum absolutiones sibi reseruet exceptis his quæ sequuntur, aut omnibus, aut aliquibus illorum prout in domino expedire iudicauerit.

Veneficia, Incantationes, & Sortilegia.

Apostasia, à religione siuè habitu dimisso, siuè retento, quando eo peruenerit, vt extra septa Conuentus fiat egressio.

Nocturna, & furtiua à Conuentu egressio, etiam non animo apostatandi facta.

Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit mortale peccatum.

Iuramentum falsum in iudicio regulari, siuè legitimo.

Procuratio, auxilium siue consilium: ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.

Falsificatio manus, aut sigilli officialium Conuentus.

Furtum de rebus Conuentus, in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.

Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.

Occisio, vulneratio, seu grauis percussio cuiusque personæ.

Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

Si quod aliud peccatum graue pro religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat, quam generalis capituli in toto ordine, aut prouincialis in prouincia matura discussione, & assensu. Non liceat Superioribus regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum commiserint, aut ipsemet subditi sponte id petierint. Superiores in singulis domibus duos vel tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero maiori, vel minori designent. Iiq; sint docti, prudentes, & charitate præditi, qui à non reseruatis eos absoluant, & quibus etiam reseruatorum absolutio comitatur, quando casus occurerit, in quo casu debere committi ipse in primis Confessarius iudicauerit. Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarij qui postea ad superioritatis gradum assumpti fuerint, caueant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur. Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graues quibusdam peccatis etiam non reseruatis, à Confessariis imponendas, quæ subditos ab illis cohibere possint. Et ita mandat seruari ab omnibus. Non obstantibus &c.

De Confessorum regularium auctoritate super seculares.

CAP. LXVIII.

Bonifacius 8. Clementina, Dudum, de sepulturis, postquam statuit modum quo Prælati ordinum Præd. & minorum præsentare debent Episcopis regulares pro audientia confessionum, subdit etiam auctoritatem, quam habent dicti Confessarij sic præsentati, his verbis.

Per huiusmodi autem concessionem, nequaquam intendimus fratribus ipsis ad id taliter deputatis, potestatem in hoc impendere ampliorem, quam Curatis, vel Parochialibus Sacerdotibus est à iure concessum, nisi forsan eis Ecclesiarum Prælati vberiorem in hac parte gratiam specialiter ducerent faciendam.

Ex quo priuilegio deducunt Theologi, fratres sic præsentatos posse absoluere sibi confitentes à quolibet peccato, & casu, exceptis tantum casibus de iure Episcopis reseruatis, quod si Episcopus alios sibi reseruat prӕter ius, ab eis absoluere possunt fratres non autem curati, ratio est, quia in dicta Constitutione excipiuntur, solum illi, qui à iure reseruati sunt, & super quos de iure Parochi potestatem non habent. Hanc difficultatem enucleat Rodericus tomo 1. q. 61. ar. 2. Qui autem sint casus à iure reseruati Episcopo explicat Bened. 11. priuilegio suo 2. & sunt Crimina pro quibus esset indicenda solemnis pœnitentia. Crimina, quæ irregularitatem ingerunt in clericis, vel excommunicationem maiorem, Incendiarij Bened. 11. addit etiam casus reseruatos Episcopis ex consuetudine, & hos dicit esse, Homicidas voluntarios, Falsarios, Libertatis, & immunitatis ecclesiasticæ violatores.

Vrbanus 4. concessit Patribus Carmelitis, vt infra, quod priuilegium est inter nostra. folio 248.

Nos vestris supplicationibus annuentes, præsentium vobis auctoritate concedimus, vt confratrum, & familiarium vestrorum, ac aliorum Christi fidelium causa deuotio-

nis ad vos recurrentium, de suorum licentia Prælatorum confessiones audire, & pro commissis eis salutarem penitentiam iniungere, valeatis, nisi forte talia commiserint, propter quæ sedes Apostolica sit meritò consulenda.

Et quia facit difficultatem in hac concessione illud verbum, de licentia suorum Prælatorum, ideo Sixtus 4. in Mari magno Carmelitarum, quod est bulla 37. eiusdem Sixti 4. apud Rodericum declarat illud, modo infra scripto.

Declaramus licentiam suorum Prælatorum illam intelligi debere, quam Ordinarij præsentatis ad confessiones audiendas iuxta eiusdem Concilij Viennensis Constitutionem. 1. iuxta formam cap. Dudum, de sepulturis, dare sunt astricti.

Eugenius 4. vt habetur in nostris priuilegiis. fol. 251. monachis Benedictinis. S. Iustinæ dat tale priuilegium circa absolutionem secularium.

Præterea cum sæpè contingat ob deuotionem quam ad monachos præfata congregationis, nonnullæ personæ habent, ad eos pro salute animæ suæ recurrere, &c. Nos earum deuotioni satisfacere volentes, licentiam elargimur monachis à suis Superioribus ad audiendas confessiones harum personarum deputatis, vt possint illos audire, & quoties oportuerit absoluere ab omnibus, & singulis peccatis, præterquam sedi Apostolicæ reseruatis dumtaxat, necnon à quibuscumque excommunicationum, suspensionum, & interdicti, sententiis, alijsque censuris, & pœnis à iure, vel ab homine latis, satisfactione iniuncta. Insuper, & vota omnia commutare, ac in omnibus, & singulis casibus, etiam Ordinarijs per synodales, vel Prouinciales Constitutiones reseruatis, cum eis dispensare, præter Censuras pœnas, vota, casus, pro quibus meritò sedes Apostolica consulenda esset.

Leo 10. in sua Const. 5. apud Confectium, concedit indulgentiam 10. annorum visitantibus Ecclesias, Minimorum in festis omnium Sanctorum. Assumptionis B. Virginis, Annuntiationis eius, Pentecostes, & postea subdit hæc verba.

Et vt Christi fideles, qui ad ipsas Ecclesias pro huiusmodi consequenda indulgentia confluunt illius participes esse possint, Correctoribus nunc, & pro tempore existentibus dictarum Ecclesiarum, deputandi annis singulis sex, aut plures idoneos presbyteros siue seculares, siue dicti ordinis fratres, qui dictis diebus confluentium &c. auditis confessionibus, eis pro commissis delictis etiam in casibus Episcopalibus absolutionis beneficium impendere, & salutarem pœnitentiam iniungere, & vota per eos emissa (Religionis castitatis, & vltra marino, necnon liminum Apostolorum Petri, & Pauli ac S. Iacobi in Compostella, votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare, valeant, licentiam tenore præsentium concedimus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Non obstantibus reuocationibus, &c.

Idem Leo X. eisdem fratribus ord. Minimorum Constitutione sua. 9. apud Confectium cum concessisset indulgentiam plenariam, illorum Ecclesiam S. Trinitatis in Vrbe visitantibus quadragesimæ tempore, subdit hæc verba.

Et Christi fideles huiusmodi indulgentiæ participes esse possint, Correctori dictæ domus pro tempore existenti, confessores religiosos dicti ordinis, qui eosdem ad dictam Ecclesiam pro indulgentia confluentes, dictis singulis diebus Dominicis quadragesimæ cuiuslibet anni, in confessionibus audire possint, & eorum Confessionibus diligenter au-

ditis, eosdem à quibuscumque casibus etiam Apostolicæ sedis reseruatis (exceptis contentis in bulla Cœnæ Domini absoluere possint, & valeant, deputandi auctoritate Apostolica tenore presentium de speciali gratia facultatem concedimus.

Pro quibus concessionibus nota, quod non satis est prædictos Confessores deputari à Correctore, sed bebent etiam per Episcopum approbari ob decretum Conc. Trid.

Paulus 3. concessit societati Iesuitarum hanc facultatem, quam refert Rodericus tomo 1. q. 61. art. 5. quam dicit collegisse ex compendio priuilegiorum societatis.

Concessit dictus Paulus 3. sacerdoti societatis Iesu, qui ad onus confessionum secularium per societatis Præpositum pro tempore existentem deputatus fuerit, posse quorumcumque vtriusque sexus fidelium, ad eum vndique accendentium confessionibus diligenter auditis ipsos ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcumque grauibus, & enormibus, etiam sedi Apostolicæ reseruatis, à quibusuis ex eis resultantibus sententijs, censuris, & pœnis ecclesiasticis, (exceptis contentis in bulla Cœnæ Domini) potestatem absoluendi, & salutarem pœnitentiam imponendi.

Gregorius 13. vt refert Confectius titulo 17. cap. 6. Collectionis priuilegiorum in margine ad finem capituli, fecit hanc concessionem societati prædictæ.

De anno 1580. die 10. Maij à Gregorio 13. declaratum fuit R. P. Iesuitas non esse comprehensos sub Cardinalium Congregationis declaratione, neque facultatis eis concessæ absoluendi à casibus Episcopo reseruatis fuisse derogatum, imo illam confirmauit, & denuo concessit.

Paulus 4. in bulla Confirmationis priuilegiorum ordinis minorum, quæ est 1. apud confectium facultatem præbet vt infra.

Et insuper confirmamus, & de nouo concedimus, pro tempore deputatos confessores fratres ord. minorum obseruantiæ, omnium quorumcumque diœcesum Christi fidelium ad eos recurrentium confessiones audire eosque etiam in casibus, & censuris quibus eis per priuilegia sedis Apostolicæ, etiam per modum communicationis, & extensionis quorumcumque ordinum, etiam minorum hactenus concessum est, posse absoluere & pœnitentias iniungere, ac Sacramentum Eucharistiæ ministrare, excepto die Resurrectionis Domini.

Leo X. facultatem concessit confratribus. S. Rosarij, vt infra, quam concessionem confirmauit Sixtus V. & habetur in libellis societatis.

Concedimus, quod omnes, & singuli confratres in Pascha resurrectionis, & prædictis festiuitatibus B. Virginis, s. Natiuitatis, Annuntiationis, Visitationis, & Purificationis, & Assumptionis, & tribus diebus earundem festiuitatum præcedentibus, cuicumque presbytero ordinis Præd. ab ipsis eligendo, sua peccata confiteri valeant, qui eos omnes, & singulos ab omnibus excommunicationibus, alijsque censuris ecclesiasticis, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione latis, nec non sacrilegiis, adulteriis, incestibus, alijsque delictis, & excessibus quantumcumque grauibus, ac etiam casibus sedi Apostolicæ reseruatis (exceptis dumtaxat contentis in bulla Cœnæ Domini) absoluere valeant. Et iuramenta sine aliorum præiudicio, ac vota quæcumque (exceptis votis religionis castitatis, & peregrinationis vltra mare ad limina Apostolorum, & S.

Iacobum in Compostella) in alia pietatis opera commutare valeant, licentia aliorum Prælatorum minimè requisita.

Pius 4. Confratribus societatis nominis Dei, vt in eius libello habetur concessit, vt infra.

Vt dicti confratres indulgentiam plenariam eis concessam pro die S. Circumcisionis possint consequi perpetuo, concedimus, vt dicto die occurrente, quoscumque sibi benevisos presbyteros, siuè seculares, siuè cuiusuis ordinis regulares per Ordinarium approbatos in suos confessores eligere possunt, qui auditis eorum confessionibus, ab excommunicatione, etiam maiori & ab omnibus aliis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine latis, saluo iure tertij, necnon ab omnibus peccatis excessibus, quantumcumque grauibus, etiam locorum Ordinariis, & sedi Apostolicæ reseruatis (præterquam in bulla Cœnæ Domini absoluere, & pœnitentiam salutarem iniungere valeant, ac vota omnia (exceptis supra nominatis) in alia pietatis opera commutare.

Confirmatur à Greg. 13. bulla 3. apud Confectium.

Quibus omnibus concessionibus nullum decretum sac. Concil. Trid. obstat, nisi quod Confessarij volentes his vti erga seculares oportet eos admitti per Ordinarios locorum.

De moderatione auctoritatis Confessorum regularium super seculares.

CAP. LXIX.

CIrcumferebatur ante aliquot annos, quoddã decretum publicatum per literas directas Illustriss. Sancto Carolo Cardinali Borromeo, tunc Archiespiscopo Mediolani, scriptas ab illustriss. Cardinale. S. Sixti tenoris huiusmodi.

Cum Illustriss. Dominatio tua perquisiuisset, an regulares ex priuilegio à S. sede impetrato, præsertim autem ex eo, quod dicitur Mare magnum possint in casibus, quos sibi Episcopus reseruauerit absoluere confitentes. Hac de re vbi Congregatio Concilij egisset accurate, & inde ad S. D. N. retulisset, sanctitas sua etiam de consilio congregationis, censuit ex facultatibus per Mare magnum, & alia priuilegia concessis, regulares non posse absoluere à casibus Episcopo reseruatis, &c. Datum Romæ 10. Septembris 1577.

Opponebatur huic decreto, quod in quibusdam concessionibus capite præcedenti notatis, non obscure habebatur. Regulares posse absoluere à casibus quos sibi non de iure, sed de facto reseruant Episcopi propter quod emanauit aliud decretum cuius summa hæc est.

Sacra Congregatio Episcoporum, & regularium de mandato speciali. S. D. Clementis 8. omnibus Confessariis, tam secularibus, quam regularibus quorumcumque ordinum etiam mendicantium, etiam societatis Iesu, iubet, ne qui eorum sub prætextu quorumcumque priuilegiorum à S. sede Apostolica quomodolibet concessorum quibuscumque etiam singularibus personis, ab vllo ex casibus dubiè, vel clarè contentis in bulla Cœnæ Domini vel alias sedi Apostolicæ reseruatis, nec etiam à casibus Ordinariis reseruatis, vel reseruandis, quocumque casu, nisi in mortis articulo, sine noua licentia à sede Apostolica, vel ab Ordinariis respectiuè obtenta absolutionis beneficium impendere audeant, quam licentiam à S. sede obtentam, teneantur Ordinariis ostendere &c. sub pœna ex-

communitationis, priuationis officiorum, & dignitatum, & inhabilitationis ad audiendas Confessiones, & ad quæcumque officia, & Prælaturas ipso facto incurrenda absque alia declaratione, &c. à quibus non nisi à Romano Pontifice absolutionem obtinere valeant. Et quatenus opus sit Sanctitas sua tales facultates nullas esse voluit. Datum die 9. Ianuarij 601.

Deinde aliud decretum exiit, quod moderatur præcedens his verbis.

Eadem sacra Congregatio speciali mandato eiusdem S.D. Clementis 8. similiter viuæ vocis oraculo super ea re habito, ipsum decretum ita moderatur ac declarat, videlicet. Sub eadem prohibitione eos tantum comprehendi casus qui in bulla Cœnæ Domini, legi consueta continentur, ac præterea, Violationis immunitatis ecclesiasticæ in terminis Const. Greg. 14. quæ incipit. Cum alias nonnulli &c. Violationis clausuræ monialium ad malum finem. Prouocantium, & pugnantium in duello, iuxta decretum Conc. Trid. & Const. Gregorij 13. incipientem. Ad tollendum. Iniicientium manus violentas in clericos iuxta Canonem, Si quis suadente diabolo, &c. ac iuris dispositionem. Simoniæ realis scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Item omnes casus quos Ordinarij locorum sibi reseruarunt, ac in posterum reseruabunt. In quibus omnibus enumeratis casibus dumtaxat, & sublata etiam pœna inhabilitatis audiendi confessiones, eadem sacra Congregatio vult & mandat dictum decretum in sua firmitate, & pristino robore permanere, & præterea declarat eos sacerdotes tam seculares, quam regulares, qui aliquo ex priuilegij indultis facultatibus, in dicto decreto expressis suffulti fuerint, posse iuxta eorum priuilegia, indulta, & facultates, vsu ante idem decretum recepta, & quæ sub aliis reuocationibus non comprehenduntur, tantum & non aliter absoluere à casibus in præsenti declaratione non comprehensis, aliis vero sacerdotibus talia priuilegia non habentibus nihil de nouo concedi. Deinde admonentur Episcopi ne multitudinem casuum sibi reseruent, nec eos, qui in bulla Cœnæ, aut alias sedi Apostolicæ reseruati sunt. Cæterum ne quis sacerdotum tam secularium, quam regularium sub prætextu, quod per primum decretum non fuerit sufficienter eorum priuilegiis specialibus derogatum, eidem decreto contrauenire audeat, &c.

Et subdit derogationem omnium ne dum priuilegiorum, sed & Constitutionum apostolicarum in ampliss. forma.

Referuntur etiam aliæ declar. eiusdem sacræ Congregationis à Roderico tomo.1.q.61.ar.13.cum simili moderatione, quæ sunt.

Congregatio Concilij declarauit, Confessores vi priuilegiorum Rosarii, neque etiam Patres Iesuitas posse absoluere pœnitentes à casibus reseruatis Episcopis, nisi priuilegia talem tradant facultatem, vel sint obtenta, aut confirmata post Concilium Tridentinum.

Eadem sacra Congregatio perquisita, an per bullas ordinarias in quibus conceditur facultas absoluendi à casibus sedi Apostolicæ reseruatis, comprehendantur etiam casus reseruati Episcopis, & Prælatis religiosorum, fuit responsum, quod non, nisi fiat de eis specialis mentio.

Item dubitanti, quid sentiendum sit de bulla Sanctiss. nominis Dei, in qua fit mentio specialis de casibus Episcopalibus, respondit Illustriss. Caraffa nomine Congregationis, neque per illam bullam fieri posse, sed solum ratione pleniss. Iubilei indicti à summo Pontifice cum potestate, absoluendi à quibuscumque casibus reseruatis etiam in bulla Cœnæ Domini.

At hic sciendum est priuilegium concessum fratribus sanctiss. Rosarij per Leonem X. fuisse confirmatum post Concilium à Sixto V. Et illud concessum confratribus nomini Dei à Paulo 4. fuit post Concilium confirmatum à Gregorio 13. vt patet in bulla eius 3. apud Confectium. Et idem Gregorius declarauit non fuisse suæ intentionis comprehendere Iesuitas in declaratione Congregationis, qua declaratum fuit, Regulares vi priuilegiorum non posse absoluere à casibus reseruatis Episcopis. Imo quatenus opus sit hanc facultatem eis concedit.

Attamen in declar. super cap. de Prædicatoribus dicitur. Confessores fratres non debent se intromittere de casibus iure reseruatis Ordinariis, & etiam de his quos Prælati Ordinarij ex causa rationabili duxerint reseruare, nisi de licentia ipsorum.

De quibusdam notandis in absolutione.

CAP. LXX.

PIus V. prout refert Rodericus tomo 1. q. 61. ar. 6. in quodam Iubileo per eum collato anno 1568. declarat absolutiones, quæ sunt vi priuilegiorum à peccatis, censuris, & pœnis, habere vim tantum in foro conscientiæ his verbis.

Declarantes tam præsentes quascumque alias concessiones similium, vel dissimilium indulgentiarum à nobis, & prædecessoribus nostris hactenus emanatas, & in futurum emanandas, Christi fidelibus ipsis, non suffragari, ad effectum earum nisi in foro conscientiæ, & pænitentiali, non autem in foro fori, & contentioso, nisi satisfecerint.

Leo X. oraculo viuæ vocis, allato à Roderico post eius bullas, concessit Confessoribus ordinis minorum, vt absoluentes aliquem in foro conscientiæ à vinculo excommunicationis, non teneantur seruare illam formam flagellandi pœnitentem, & dicendi psalmum.

Benedictus 11. bulla sua 2. Modum præfigit his qui aliquem absoluunt ab excommunicatione in articulo mortis, & dicit.

Subeant iuramentum qui in articulo mortis absoluuntur, quod liberati se suis Episcopis & excommunicatoribus præsentabunt, ipsi super his pro quibus excommunicati fuerunt pro peccato huiusmodi parituri mandatis.

Romæ 1569. Admonentur omnes Prouinciales iussu S. D. Pij V. vt publicare faciant in Conuentibus bullam Cœnæ Domini, prouiso quod omnes Confessarij habeant penes se copiam illius, & eius tenorem fideliter obseruent, & si qui illam non habuerint, confessionum audientia priuentur. Romæ 1575. idem cōfirmatur, & additur, vt bis in anno legatur coram toto Conuentu, & in sacristia semper affixa remaneat. Idem Barch. 1574. Et Venetiis 1592. apponitur, vt qualibet sacristia in loco patenti adsint duæ tabellæ, in quarum vna affixa sit bulla Cœnæ Domini, in alia vero sit nota casuum summo Pontifici, & Episcopis quouis modo reseruatorum.

Valleoleti 1905. dicitur. Omnes pecuniæ, & alia quæcumque quauis ratione fratribus data maximè Confessariis, quamprimum realiter, & vere

Prælatis suis consignentur, ex quibus poterit Prælatus si iustum videbitur, aliquam partem pro indigentiis dare. Quod & Venetiis 1592. ordinatum fuerat, Romæ 1608. statuitur. Cum in actu confessionis, vel proximo pœnitens eleemosynam dare voluerit, eam non accipiat Confessarius, sed significet reponendam esse in communi arcula Ecclesiæ. Qui contra fecerit, ipso facto sit priuatus officio per triennium. Conf. Parisiis 1611.

De Itinerantibus: & illorum licentiis.

CAP. LXXI.

FRatres viatores litteras testimoniales secum deferant. *Cap. de Itinerantibus.*

Grauis culpa est, si qui postquam missi fuerint, sine licentia reuerti præsumpserint, vel vltra terminum sibi assignatum moram fecerint sine rationabili causa.

Cap. de graui culpa.

De regularibus itinerantibus sine debitis licentiis agit Conc. Trid. sess. 25. cap. 4.

Prohibet S. Synodus, ne quis regularis, sine licentia sui Superioris prædicationis, vel lectionis, aut cuiusuis pij operis prætextu, subiiciat, se seruitio alicuius Prælati, Principis, vel Vniuersitatis, &c. quod si contra fecerit, tanquam inobediens arbitrio sui Superioris puniatur. Nec liceat regularibus à suis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad suos Superiores accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui vero sine prædicto mandato in scriptis obtento, repertus fuerit, ab Ordinariis locorum, tanquam desertor sui instituti puniatur. Illi autem qui studiorum causa ad Vniuersitates mittuntur, in Conuentibus tantum habitent, alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur.

Sixtus V. duas edidit Constitut. quarum vna est alterius declaratoria contra illegitimos ad habitum regularem non admittendos, in quibus agit etiam de itinerantibus religiosis sine licentia, & de eos recipientibus, vt infra.

Prohibemus atque interdicimus, ne quis regularis ex vna prouincia ad aliam transeundo, etiam in itinere ad aliquod monasterium, siue domum alterius prouinciæ ad habitandum tanquam hospes recipi, aut ad modicum tempus diuertere possit, nisi à Superiore eius loci vbi residet, expressam licentiam recedendi in scriptis obtentam, seu litteras obedientiæ, vel commendatitias habuerit, & exhibeat, vel nisi cognitus sit iis ad quos diuerterit, vt de eius persona nullus omnino dubitationis locus, aut suspitionis relinquatur. Ideoque præcipimus vniuersis, & singulis locorum Ordinariis, eorumque Vicariis, generalibus in spiritualibus, vt per suos officiales ministros, vel executores, curent, ab omnibus personis regulari habitu indutis quas per suas ciuitates, vel diœceses iter facere, vel transire, & ad quæcumque hospitia, vel diuersoria se recipere, contingerit, diligenter perquiri, num huiusmodi litteras obedientiæ, vel commendatitias habeant, quod si eas non habere, vel ignotos esse deprehenderint, contra

eos, tanquam dictorum criminum suspectos procedere, & tamdiu illos sub custodia detinere debeant, donec de eisdem notitia habeatur.

In alia vero Constitutione ita habet.

Cum interdicimus ne quis regularis ex vna prouincia ad aliam sui ordinis transeundo, &c. ita obseruari volumus, non solum in religiosis itinerantibus ex vna prouincia ad aliam, sed in his quoque qui proficiscuntur de vno in aliud monasterium Prouinciæ, tam sui quam alterius ordinis, &c.

Ex decl. cap. de Itinerantibus. Fratres vero, qui absque huiusmodi litteris testimonialibus ad Conuentus quoscumque declinauerint per Priores, vel Superiores Conuentuum ad quos peruenerint, auctoritate nostra voce per vnum annum priuentur, & pœna grauis culpæ mulctentur. Et ipsi Conuentui de quo sunt, hanc pœnitentiam eis impositam significare teneantur per speciales litteras. Et qui, hoc facere neglexerint officio priuentur, & voce per annum careant. Bononiæ 1564. Nullus frater nostri ordinis, maximè iuniores, neque sine socio ei à Prælato deputando, nec sine testimonialibus litteris à suo Conuentu recedat, quas Præsidentes Cõuentuum, ad quos declinauerit, legere teneantur. Idem confirmatur. Barch. 1574. Romæ 1580. Nullus frater discurrere audeat extra Conuentum, aut Prouinciam suam, sine litteris testimonialibus suorum Superiorum Prouincialis autem, & Priores, ad quos huiusmodi vagabundi declinauerint sine huiusmodi litteris, eos in carceribus includant, & punitos ad suos Conuentus, vel Prouincias remittant. Et quod huiusmodi fugitiui vel sine licentiis vagantes recipi non debeant, nec possint sub pœna priuationis officiorum, nisi in carceribus, ordinatum fuit Romæ 1589. Venetiis 1592. Romæ 1601. & Valleoleti 1605.

Licentiæ autem huiusmodi difficulter à Prælato concedi debent. Vnde Romæ 1601. ordinatur, & præcipitur Conuentuum Præsidentibus, sub pœna absolutionis ab officio, ne facile facultatem præbeant, etiam de consilio Patrum, fratribus vagandi extra Conuentum, vel eundi ad alios Conuentus, seu oppida, etiam prætextu alicuius necessitatis, nisi vera sit, & vrgentissima, cum constet huiusmodi discursus magna parere incommoda, & scandala. Idem confirmatur Romæ 1608. Venetiis 1592. Admonentur fratres, quod tunc ab vna prouincia ad aliam pergunt sine licentia quando eam non obtinuerunt à Prouinciali, vel capitulo Prouinciali, Priorum enim particularium Conuentuum non est huiusmodi licentias dare, quia illorum auctoritas extra Prouinciæ limites non extenditur.

Pœnæ autem graues Prælatis imponuntur, cum fratres sine licentiis recipiunt, & præ cæteris notandum est, quod dicit Sixtus V. in Constitut. supra allegatis 5.

Et tamen volumus, vt hi qui hospitalitatis vel pietatis prætextu regulares alterius prouinciæ (& iuxta secundam etiam alterius Conuentus) *ignotos, aut sine licentia, & literis vt supra receperint, dictas pœnas priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, nec non officiorum, & graduum ac honorum, & dignitatum obtentorum, atque inhabilitationis perpetuæ pariter incurrant. Decernentes sic in præmissis omnibus, per quoscumq; iudicari debere, & irritum, & inane existens quicquid à quoquam scienter, vel ignoranter attentatum fuerit.*

Eadem pœna absolutionis ab officio Præsidentibus recipientibus fugitiuos imponitur in capitulis Romæ 1583. 1589. 1601. & Valleoleti. Et Romæ 1589. huic pœnæ additur præceptum formale.

Ex declar. cap. de Itinerãtibus. Cum ex nimio, & inordinato discursu fratrum dispendia, & turbationes plurimæ subsequantur, & obseruantia regularis relaxetur, pluribus ideo in capitulis ad hæc inconuenientia tollenda ordinatum fuit, quod Prȩsidentes Conuentuum non possunt fratres suis Conuentibus deputatos, licentiare extra limites suorum Conuentuum, nisi pro graui infirmitate ipsorum, vel suorum parentum, vel pro euidente necessitate aut vtilitate Conuentus, seu etiam fratrum singularium, & tunc de consensu discretorum. Et in licentiis specialiter aut generaliter terminus exprimatur. Quicumque autem Præsidens inuentus fuerit prædicta non seruasse, teneatur, infra quindenam in pane, & aqua per triduum abstinere, quod si cessante infirmitate non impleuerit, absoluatur ab officio. Valleoleti 1605. Nullæ dentur fratribus licentiæ absque temporis designatione, quo præterito ipso facto nullæ sint, confirmatur Romæ 1608. Romæ 1601. dicitur Præsidentes Conuentuum sine causa, & voluntariè itinerantes à suis officiis absoluantur, & in expensis condemnentur, nisi certissimè constet in communem vtilitatem Conuentus cedere.

Vltra dietam non conficiant iter, sinè licentia Prouincialis, nisi sit tale negocium quod dilationem non patiatur, & tunc tenebuntur Prouincialem admonere. Confirmatur Valleoleti 1605.

De euntibus ad curiam.

CAPVT LXXII.

NVllus frater ad curiam vadat nisi de licentia Magistri ordinis, vel capituli generalis, sed mittatur nuntius ad fratres qui sunt ibi vel per aliquem alium, prout melius fieri poterit, negocium procuretur. *Cap. de Itinerantibus.*

Extant decreta Apostolica super hoc, nam Romæ 1589. fit huiusmodi denuntiatio. Denuntiamus à sacra Congregatione Regularium emanasse decretum 1587. tenoris sequentis.

Quoniam nonnulli regulares vagandi studio, siuè dum imminentem pœnam admissorum criminum ex Constitutionibus, aut alias debitam sibi metuunt, falsa & commentitia grauamina causati, non ad immediatè sui ordinis Superiores .s. à grauamine sui Prioris ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem prout Constitutionibus cuiusque religionis disponitur, sed ad hanc Romanam curiam absque licentia sæpius fugiunt, potiusquam recurrant, ex quo ordinum disciplina relaxatur. Prælati contemnuntur, & ipsi in dies audaciores euadunt.

Placuit sacræ regularium congregationi ex ordine Sanctiss. statuere, vt si quis regularium in posterum temere, leuiuè ex causa hanc alienam vrbem, seu curiam, absque sui Superioris licentia, & supradicta forma prætermissa, adire præsumpserit, ad suos eosdem Superiores seuiori pœna plectendus, remittatur.

Aliud decretum nomine Sanctiss. D. Clementis VIII. denuntiatum fuit in cap. Romano 1601. huius seriei.

Nullos fratres Romam venire Superiores permittant, nisi prius à Generali dumtaxat licentiam in scriptis impetrauerint. Si quis autem sinè huiusmodi facultate Romam venire praesumpserit, voce actiua, & passiua biennio priuatus existat, subiturus etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas. Quæ item omnia aduersus eos qui supradictos admiserint, & receperint, sinè vlla exceptione locum habeant. Inter pœnas autem arbitrarias hanc idem Sanctiss. expressit, huiusmodi fratres in carceribus per sex menses detineantur, prohibetque, ne huiusmodi pœnæ possint ab eorum Superioribus remitti, cum earum dispensationem, & relaxationem sua sanctitas sibi reseruauerit.

Repetitur hæc denuntiatio Romæ 1608.

Ex constitut. supra nominata Sixti V. hæc habentur in proposito.

In alma vero vrbe nostra, religiosi aduenæ, & peregrini, de grauaminibus sibi illatis conquerentes, nullibi sine litteris dimissoriis, aut licentia, recipiendi erunt, nisi prius ad Congregationem Cardinalium super negotiis regularium deputatorum, vel ad suos Protectores remittantur, vbi ipsis auditis pro rerum, & personarum qualitate, quid agendum sit statuetur. Quod si dicerent se ad Apostolicam sedem confugere ob grauamina sibi à suis Superioribus illata, & ideo à Superioribus licentiam, litteras obtinere non potuisse, non propterea vllomodo recipi valeant, nisi fide dignorum testimonio, de petita ab eis licentia, & per Superiores denegata, constiterit.

Ex declarat. cap. de Itineranribus. Quilibet frater vadens ad Prouincialem sine licentia sui Prioris, vel ad Magistrum ordinis sine licētia sui Prouincialis si non vadat recto tramite, sed solus vagando, & hinc inde discurrendo tanquam apostata puniendus erit, & carceri includendus. Et Procurator ordinis potestatem non habet vocandi fratres ad Curiam, vel licentiandi fratres ad eandem, sed retinendi in eadem, nisi pro exequendis negociis. Ad Magistrum vero ordinis, vel Prouincialem, fratres ire non possunt, sine speciali licentia sui Prælati. Caueant igitur fratres ad Curiam ire sine licentia Magistri ordinis. Et qui de eius licentia iuerint, vadant pedites secundum formam nostri ordinis, & literas secum deferant, causas, & negocia pro quibus vadunt, plenariè cōtinentes. Et id etiam præcipitur sub formali præcepto in virtute S. Obedientiæ. Similiter etiam nullus accedat ad Curias Regum, seu dominorum Legatorum, vel Prælatorum, seu Principum, aut Baronum, pro causis litigiosis, seu pro quibuscumque negociis de se odiosis secularium procurandis.

Ex Constitut. etiam hæc habentur.

Nullus Prior conuentualis ducat secum plures fratres ad capitulum generale vel prouinciale sine vrgenti causa. *Cap. de capitulo Prouinciali.*

Solus autem Magister ordinis, & Prouincialis prouinciæ in qua capitulum generale celebratur potest dare licentiam veniēdi ad capitulū generale, qui contrafecerit grauiter puniatur. Ex cap. de solemni celeb. capituli.

Romæ 1601. Et Valleoleti 1605. Si fratres eundo ad curiam, vel curias, aut redeundo, aliquas pecunias expenderint, nihil omnino de expensis illis soluatur, nisi forte propter bonum commune Conuentus illas adierint.

De non equitando, nec pecuniis portandis.

CAPVT LXXIII.

GRauis culpa est, si quis sine magna necessitate equitauerit, vel etiam in via pecuniam portauerit, vel portari procurauerit. *Ex cap. de graui culpa.*

Euntes ad prædicationis officium exercendum, vel alias itinerantes, aurum, & argentum, pecuniam, aut munera, excepto victu, & necessariis indumentis, nec accipient, nec portabunt. Si quis autem de prædictis acceperit, teneatur cùm redierit, Prælato suo liberè præsentare. *Ex cap. de Itinerantibus.*

Cum dicitur itinerantes in via non debere portare aurum, argentum, & pecuniam, &c. id debet intelligi sine licentia Prælati sui, vt sit conforme regulæ in qua dicitur. Si quis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur, & repetitur, capite de grauiori culpa. Videnda sunt ea, quæ supra tradita sunt capitulo de vsu pecuniarum.

Ex dicto cap. de graui culpa habetur. Cum equitare maximè repugnet statui mendicantium, nullus frater ordinis nostri debet sine magna necessitate equitare, & sine licentia suorum Prælatorum, quando eos habet in promptu, sed pedes vadat, aliter grauiter puniatur. Et hæc Constitutio strictissime seruari debet, maxime vbi habemus Conuentus.

Romæ 1569. Constitutio de non equitando seruetur, & qui sine licentia in scriptis equitauerit, conformiter ad eam puniatur, & Prælati ad quos cum equis declinauerint, teneantur, inquirere de huiusmodi licentia, & necessitate, & transgressores punire. Hoc idem repetitur Romæ 1608.

Venetiis 1592. Pedestres omnes incedant, maximè conuersi, quod si necessitas equitandi aderit, licentiam à suis Superioribus equitandi obtinebũt, quam, & ostendere possint requisiti. Ocreas nihilominus, & penulam quam vulgo vocant (il feltro) nemo deferat præsertim conuersi, sed religiosè omnes incedant, ita vt habitus patenter feratur, & pro religiosis ex ipso dignosci possint. Contrafacientes autem præter amissionem mobilium, pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, vel scapularis priuatione per triennium, vel sedendi ter in pane, & aqua respectiuè, puniantur.

De itinerantium sociis, & aliis per viam seruandis.

CAPVT LXXIV.

FRatres quando recedunt à capitulis, per Superiores conbinentur, ne vagando discurrant, sed directè ad suos vadant Conuentus. Et arceantur Priores qui malè combinant fratres, & saltem vna pars copulæ sit bonæ famæ, & sufficientis ætatis, & vnus illorum sit de lingua patriæ, vbi hoc commodè poterit seruari. *Ex cap. de certis detractionibus, &c.*

Prædi-

Prædicatoribus cum in prædicationem exire debuerint, eis socij dabuntur à Priore, secundum quod honestati, & moribus eorum iudicauerint expedire. Qui accepta benedictione, exeuntes vbiquè tanquam viri qui suam, & aliorum salutem procurant religiosè, & honestè se habeant. Socius autem datus Prædicatori, ipsi tanquam Priori obediat. *Ex cap. de Prædicatoribus.*

Itinerantes cum in via existunt officium suum dicant prout sciunt, & possunt, & sint contenti officio Ecclesiarum ad quas declinant, Prior in ordine sit Prior in via, nisi fortè Prædicatori adiungatur, vel cum egrediuntur Prior de eis aliter ordinauerit. *Ex cap. de itinerantibus.*

Ex decl. cap. de certis detractionibus, &c. Cum discursus inutilis, & vagus fratrum turbationem, & scandalum pariat, & ex defectu combinationis fratrum, dissolutiones, & insolentiæ crescant, ideo neque sine licentia, neque sine socio itinera conficiant fratres, & combinati nullo modo se separent ab inuincem, quin se videre possint, & valeant mutuo testimonium perhibere, in quocumque sint loco, vel negocio, & transgressores acrius puniantur.

Venetiis 1592. fratres nostri bini semper incedant, maximè quando de vna ciuitate ad alium locum accedunt, & specialiter quando non ex obedientia, & religionis seruitio, sed recreationis, aut cuiuscunque alterius particularis negocij causa iter assumunt. Et Superiores licentiam non concedant, nisi etiam socium illis consignent, cum quo redire ad Conuentum tenebuntur, sub pœna sedendi ter in pane, & aqua.

Bononiæ 1564. fratres nostri maximè iuniores, neque sine socio à Prælato designando, neque sine litteris testimonialibus à suis Conuentibus recedant. Idem Romæ 1608.

Cum dicitur in Constitutione socium datum Prædicatori debere ei obedire, vt Priori, non intelligitur quod Prædicatori aliqua iurisdictio detur supra socium, sed solum quod socius debeat ei obedire, & seruire sponte in his quæ ad personam, & officium eius pertinent.

Cum etiam dicitur: Prior in ordine sit prior in via, neque intelligitur dari aliquam iurisdictionem super socios Priori in ordine, nisi sit Prælatus. Romæ 1601. sub præcepto formali mandatur, vt in ciuitatibus, & oppidis in quibus Conuentum habemus aut domos, nullus possit pernoctare extra Conuentum neque etiam in suburbanis, sine licentia Prælati, confirmatur Valleoleti 1605.

De hospitibus fratribus, & extraneis.

CAPVT LXXV.

IN quacumque prouincia fratres itinerantes deliquerint. Prior Prouincialis aut Conuentualis, seu Vicarij, Supprior, aut

ditis, eosdem à quibuscumque casibus etiam Apostolicæ sedis reseruatis (exceptis contentis in bulla Cœnæ Domini absoluere possint, & valeant, deputandi auctoritate Apostolica tenore præsentium de speciali gratia facultatem concedimus.

Pro quibus concessionibus nota, quod non satis est prædictos Confessores deputari à Correctore, sed bebent etiam per Episcopum approbari ob decretum Conc. Trid.

Paulus 3. concessit societati Iesuitarum hanc facultatem, quam refert Rodericus tomo 1. q. 61. art. 5. quam dicit collegisse ex compendio priuilegiorum societatis.

Concessit dictus Paulus 3. sacerdoti societatis Iesu, qui ad onus confessionum secularium per societatis Præpositum pro tempore existentem deputatus fuerit, posse quorumcumque vtriusque sexus fidelium, ad eum vndique accendentium confessionibus diligenter auditis ipsos ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcumque grauibus, & enormibus, etiam sedi Apostolicæ reseruatis, à quibusuis ex eis resultantibus sententijs, censuris, & pœnis ecclesiasticis, (exceptis contentis in bulla Cœnæ Domini) potestatem absoluendi, & salutarem pœnitentiam imponendi.

Gregorius 13. vt refert Confectius titulo 17. cap. 6. Collectionis priuilegiorum in margine ad finem capituli, fecit hanc concessionem societati prædictæ.

De anno 1580. die 10. Maij à Gregorio 13. declaratum fuit R. P. Iesuitas non esse comprehensos sub Cardinalium Congregationis declaratione, neque facultatis eis concessæ absoluendi à casibus Episcopo reseruatis fuisse derogatum, imo illam confirmauit, & denuo concessit.

Paulus 4. in bulla Confirmationis priuilegiorum ordinis minorum, quæ est 1. apud confectium facultatem præbet vt infra.

Et insuper confirmamus, & de nouo concedimus, pro tempore deputatos confessores fratres ord. minorum obseruantiæ, omnium quorumcumque diœcesum Christi fidelium ad eos recurrentium confessiones audire eosque etiam in casibus, & censuris quibus eis per priuilegia sedis Apostolicæ, etiam per modum communicationis, & extensionis quorumcumque ordinum, etiam minorum hactenus concessum est, posse absoluere & pœnitentias iniungere, ac Sacramentum Eucharistiæ ministrare, excepto die Resurrectionis Domini.

Leo X. facultatem concessit confratribus. S. Rosarij, vt infra, quam concessionem confirmauit Sixtus V. & habetur in libellis societatis.

Concedimus, quod omnes, & singuli confratres in Pascha resurrectionis, & prædictis festiuitatibus B. Virginis. s. Natiuitatis, Annuntiationis, Visitationis, & Purificationis, & Assumptionis, & tribus diebus earundem festiuitatum præcedentibus, cuicumque presbytero ordinis Præd. ab ipsis eligendo, sua peccata confiteri valeant, qui eos omnes, & singulos ab omnibus excommunicationibus, alijsque censuris ecclesiasticis, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione latis, nec non sacrilegiis, adulteriis, incestibus, alijsque delictis, & excessibus quantumcumque grauibus, ac etiam casibus sedi Apostolicæ reseruatis (exceptis dumtaxat contentis in bulla Cœnæ Domini) absoluere valeant. Et iuramenta sine aliorum præiudicio, ac vota quæcumque (exceptis votis religionis castitatis, & peregrinationis vltra mare ad limina Apostolorum, & S.

Iacobum

Iacobum in Compostella) in alia pietatis opera commutare valeant, licentia aliorum Prælatorum minimè requisita.

Pius 4. Confratribus societatis nominis Dei, vt in eius libello habetur concessit, vt infra.

Vt dicti confratres indulgentiam plenariam eis concessam pro die S. Circumcisionis possint consequi perpetuo, concedimus, vt dicto die occurrente, quoscumque sibi bene visos presbyteros, siuè seculares, siuè cuiusuis ordinis regulares per Ordinarium approbatos in suos confessores eligere possunt, qui auditis eorum confessionibus, ab excommunicatione, etiam maiori & ab omnibus aliis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine latis, saluo iure tertij, necnon ab omnibus peccatis excessibus, quantumcumque grauibus, etiam locorum Ordinariis, & sedi Apostolicæ reseruatis (præterquam in bulla Cœnæ Domini absoluere, & pœnitentiam salutarem iniungere valeant, ac vota omnia (exceptis supra nominatis) in alia pietatis opera commutare.

Confirmatur à Greg. 13. bulla 3. apud Confectium.

Quibus omnibus concessionibus nullum decretum sac. Concil. Trid. obstat, nisi quod Confessarij volentes his vti erga seculares oportet eos admitti per Ordinarios locorum.

De moderatione auctoritatis Confessorum regularium super seculares.

CAP. LXIX.

CIrcumferebatur ante aliquot annos, quoddã decretum publicatum per literas directas Illustriss. SanctoCarolo Cardinali Borromeo, tunc Archiepiscopo Mediolani, scriptas ab illustriss. Cardinale. S. Sixti tenoris huiusmodi.

Cum Illustriss. Dominatio tua perquisiuisset, an regulares ex priuilegio à S. sede impetrato, præsertim autem ex eo, quod dicitur Mare magnum possint in casibus, quos sibi Episcopus reseruauerit absoluere confitentes. Hac de re vbi Congregatio Concilij egisset accurate, & inde ad S. D. N. retulisset, sanctitas sua etiam de consilio congregationis, censuit ex facultatibus per Mare magnum, & alia priuilegia concessis, regulares non posse absoluere à casibus Episcopo reseruatis, &c. Datum Romæ 10. *Septembris* 1577.

Opponebatur huic decreto, quod in quibusdam concessionibus capite præcedenti notatis, non obscure habebatur. Regulares posse absoluere à casibus quos sibi non de iure, sed de facto reseruant Episcopi propter quod emanauit aliud decretum cuius summa hæc est.

Sacra Congregatio Episcoporum, & regularium de mandato speciali. S. D. Clementis 8. omnibus Confessariis, tam secularibus, quam regularibus quorumcumque ordinum etiam mendicantium, etiam societatis Iesu, iubet, ne qui eorum sub pretextu quorumcumque priuilegiorum à S. sede Apostolica quomodolibet concessorum quibuscumque etiam singularibus personis, ab vllo ex casibus dubiè, vel clarè contentis in bulla Cœnæ Domini vel alias sedi Apostolicæ reseruatis, nec etiam à casibus Ordinariis reseruatis, vel reseruandis, quocumque casu, nisi in mortis articulo, sine noua licentia à sede Apostolica, vel ab Ordinariis respectiuè obtenta absolutionis beneficium impendere audeant, quam licentiam à S. sede obtentam, teneantur Ordinarius ostendere &c. sub pœna ex-

At hic sciendum est priuilegium concessum fratribus sanctiss. Rosarij per Leonem X. fuisse confirmatum post Concilium à Sixto V. Et illud concessum confratribus nomini Dei à Paulo 4. fuit post Concilium confirmatum à Gregorio 13. vt patet in bulla eius 3. apud Confectium. Et idem Gregorius declarauit non fuisse suæ intentionis comprehendere Iesuitas in declaratione Congregationis, qua declaratum fuit, Regulares vi priuilegiorum non posse absoluere à casibus reseruatis Episcopis. Imo quatenus opus sit hanc facultatem eis concedit.

Attamen in declar. super cap. de Prædicatoribus dicitur. Confessores fratres non debent se intromittere de casibus iure reseruatis Ordinariis, & etiam de his quos Prælati Ordinarij ex causa rationabili duxerint reseruare, nisi de licentia ipsorum.

De quibusdam notandis in absolutione.

CAP. LXX.

PIus V. prout refert Rodericus tomo 1. q. 61. ar. 6. in quodam Iubileo per eum collato anno 1568. declarat absolutiones, quæ sunt vi priuilegiorum à peccatis, censuris, & pœnis, habere vim tantum in foro conscientiæ his verbis.

Declarantes tam præsentes quascumque alias concessiones similium, vel dissimilium indulgentiarum à nobis, & prædecessoribus nostris hactenus emanatas, & in futurum emanandas, Christi fidelibus ipsis, non suffragari, ad effectum earum nisi in foro conscientiæ, & pœnitentiali, non autem in foro fori, & contentioso, nisi satisfecerint.

Leo X. oraculo viuæ vocis, allato à Roderico post eius bullas, concessit Confessoribus ordinis minorum, vt absoluentes aliquem in foro conscientiæ à vinculo excommunicationis, non teneantur seruare illam formam flagellandi pœnitentem, & dicendi psalmum.

Benedictus 11. bulla sua 2. Modum præfigit his qui aliquem absoluunt ab excommunicatione in articulo mortis, & dicit.

Subeant iuramentum qui in articulo mortis absoluuntur, quod liberati se suis Episcopis & excommunicatoribus præsentabunt, ipsi super his pro quibus excommunicati fuerunt pro peccato huiusmodi parituri mandatis.

Romæ 1569. Admonentur omnes Prouinciales iussu S. D. Pij V. vt publicare faciant in Conuentibus bullam Cœnæ Domini, prouiso quod omnes Confessarij habeant penes se copiam illius, & eius tenorem fideliter obseruent, & si qui illam non habuerint, confessionum audientia priuentur. Romæ 1575. idem cõfirmatur, & additur, vt bis in anno legatur coram toto Conuentu, & in sacristia semper affixa remaneat. Idem Barch. 1574. Et Venetiis 1592. apponitur, vt qualibet sacristia in loco patenti adsint duæ tabellæ, in quarum vna affixa sit bulla Cœnæ Domini, in alia vero sit nota casuum summo Pontifici, & Episcopis quouis modo reseruatorum.

Valleoleti 1905. dicitur. Omnes pecuniæ, & alia quæcumque quauis ratione fratribus data maximè Confessariis, quamprimum realiter, & vere

eos, tanquam dictorum criminum suspectos procedere, & tamdiu illos sub custodia detinere debeant, donec de eisdem notitia habeatur.

In alia vero Constitutione ita habet.

Cum interdicimus ne quis regularis ex vna prouincia ad aliam sui ordinis transeundo, &c. ita obseruari volumus, non solum in religiosis itinerantibus ex vna prouincia ad aliam, sed in his quoque qui proficiscuntur de vno in aliud monasterium Prouinciæ, tam sui quam alterius ordinis, &c.

Ex decl.cap.de Itinerantibus. Fratres vero, qui absque huiusmodi litteris testimonialibus ad Conuentus quoscumque declinauerint per Priores, vel Superiores Conuentuum ad quos peruenerint, auctoritate nostra voce per vnum annum priuentur, & pœna grauis culpæ mulctentur. Et ipsi Conuentui de quo sunt, hanc pœnitentiam eis impositam significare teneantur per speciales litteras. Et qui, hoc facere neglexerint officio priuentur, & voce per annum careant. Bononiæ 1564. Nullus frater nostri ordinis, maximè iuniores, neque sine socio ei à Prælato deputando, nec sine testimonialibus litteris à suo Conuentu recedat, quas Præsidentes Cõuentuum, ad quos declinauerit, legere teneantur. Idem confirmatur. Barch. 1574. Romæ 1580. Nullus frater discurrere audeat extra Conuentum, aut Prouinciam suam, sine litteris testimonialibus suorum Superiorum Prouincialis autem, & Priores, ad quos huiusmodi vagabundi declinauerint sine huiusmodi litteris, eos in carceribus includant, & punitos ad suos Conuentus, vel Prouincias remittant. Et quod huiusmodi fugitiui vel sine licentiis vagantes recipi non debeant, nec possint sub pœna priuationis officiorum, nisi in carceribus, ordinatum fuit Romæ 1589. Venetiis 1592. Romæ 1601. & Valleoleti 1605.

Licentiæ autem huiusmodi difficulter à Prælato concedi debent. Vnde Romæ 1601. ordinatur, & præcipitur Conuentuum Præsidentibus, sub pœna absolutionis ab officio, ne facile facultatem præbeant, etiam de consilio Patrum, fratribus vagandi extra Conuentum, vel eundi ad alios Conuentus, seu oppida, etiam prætextu alicuius necessitatis, nisi vera sit, & vrgentissima, cum constet huiusmodi discursus magna parere incommoda, & scandala. Idem confirmatur Romæ 1608. Venetiis 1592. Admonentur fratres, quod tunc ab vna prouincia ad aliam pergunt sine licentia quando eam non obtinuerunt à Prouinciali, vel capitulo Prouinciali, Priorum enim particularium Conuentuum non est huiusmodi licentias dare, quia illorum auctoritas extra Prouinciæ limites non extenditur.

Pœnæ autem graues Prælatis imponuntur, cum fratres sine licentiis recipiunt, & præ cæteris notandum est, quod dicit Sixtus V. in Constitut. supra allegatis 5.

Et tamen volumus, vt hi qui hospitalitatis vel pietatis prætextu regulares alterius prouinciæ (& iuxta secundam etiam alterius Conuentus) *ignotos, aut sine licentia, & literis vt supra receperint, dictas pœnas priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, nec non officiorum, & graduum ac honorum, & dignitatum obtentorum, atque inhabilitationis perpetuæ pariter incurrant. Decernentes sic in præmissis omnibus, per quoscumq; iudicari debere, & irritum, & inane existens quicquid à quoquam scienter, vel ignoranter attentatum fuerit.*

Eadem pœna absolutionis ab officio Præsidentibus recipientibus fugitiuos imponitur in capitulis Romæ 1583. 1589. 1601. & Valleoleti. Et Romæ 1589. huic pœnæ additur præceptum formale.

Ex declar. cap. de Itinerãtibus. Cum ex nimio, & inordinato discursu fratrum dispendia, & turbationes plurimæ subsequantur, & obseruantia regularis relaxetur, pluribus ideo in capitulis ad hæc inconuenientia tollenda ordinatum fuit, quod Pręsidentes Conuentuum non possunt fratres suis Conuentibus deputatos, licentiare extra limites suorum Conuentuum, nisi pro graui infirmitate ipsorum, vel suorum parentum, vel pro euidente necessitate aut vtilitate Conuentus, seu etiam fratrum singularium, & tunc de consensu discretorum. Et in licentiis specialiter aut generaliter terminus exprimatur. Quicumque autem Præsidens inuentus fuerit prædicta non seruasse, teneatur, infra quindenam in pane, & aqua per triduum abstinere, quod si cessante infirmitate non impleuerit, absoluatur ab officio. Valleoleti 1605. Nullæ dentur fratribus licentiæ absque temporis designatione, quo præterito ipso facto nullæ sint, confirmatur Romæ 1608. Romæ 1601. dicitur Præsidentes Conuentuum sine causa, & voluntariè itinerantes à suis officiis absoluantur, & in expensis condemnentur, nisi certissimè constet in communem vtilitatem Conuentus cedere.

Vltra dietam non conficiant iter, sinè licentia Prouincialis, nisi sit tale negocium quod dilationem non patiatur, & tunc tenebuntur Prouincialem admonere. Confirmatur Valleoleti 1605.

De euntibus ad curiam.

CAPVT LXXII.

NVllus frater ad curiam vadat nisi de licentia Magistri ordinis, vel capituli generalis, sed mittatur nuntius ad fratres qui sunt ibi vel per aliquem alium, prout melius fieri poterit, negocium procuretur. *Cap. de Itinerantibus.*

Extant decreta Apostolica super hoc, nam Romæ 1589. fit huiusmodi denuntiatio. Denuntiamus à sacra Congregatione Regularium emanasse decretum 1587. tenoris sequentis.

Quoniam nonnulli regulares vagandi studio, siuè dum imminentem pœnam admissorum criminum ex Constitutionibus, aut alias debitam sibi metuunt, falsa & commentitia grauamina causati, non ad immediatè sui ordinis Superiores .s. à grauamine sui Prioris ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem prout Constitutionibus cuiusque religionis disponitur, sed ad hanc Romanam curiam absque licentia sepius fugiunt, potiusquam recurrant, ex quo ordinum disciplina relaxatur. Prælati contemnuntur, & ipsi in dies audaciores euadunt.

Placuit sacræ regularium congregationi ex ordine Sanctiss. statuere, vt si quis regularium in posterum temere, leuiuè ex causa hanc alienam vrbem, seu curiam, absque sui Superioris licentia, & supradicta forma prætermissa, adire præsumpserit, ad suos eosdem Superiores seuiori pœna plectendus, remittatur.

Aliud decretum nomine Sanctiss. D. Clementis VIII. denuntiatum fuit in cap. Romano 1601. huius seriei.

Nullos fratres Romam venire Superiores permittant, nisi prius à Generali dumtaxat licentiam in scriptis impetrauerint. Si quis autem sine huiusmodi facultate Romam venire præsumpserit, voce actiua, & passiua biennio priuatus existat, subiturus etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas. Quæ item omnia aduersus eos qui supradictos admiserint, & receperint, sine vlla exceptione locum habeant. Inter pœnas autem arbitrarias hanc idem Sanctiss. expressit, huiusmodi fratres in carceribus per sex menses detineantur, prohibetque, ne huiusmodi pœnæ possint ab eorum Superioribus remitti, cum earum dispensationem, & relaxationem sua sanctitas sibi reseruauerit.

Repetitur hæc denuntiatio Romæ 1608.

Ex constitut. supra nominata Sixti V. hæc habentur in proposito.

In alma vero vrbe nostra, religiosi aduenæ, & peregrini, de grauaminibus sibi illatis conquerentes, nullibi sine litteris dimissoriis, aut licentia, recipiendi erunt, nisi prius ad Congregationem Cardinalium super negotiis regularium deputatorum, vel ad suos Protectores remittantur, vbi ipsis auditis pro rerum, & personarum qualitate, quid agendum sit statuetur. Quod si dicerent se ad Apostolicam sedem confugere ob grauamina sibi à suis Superioribus illata, & ideo à Superioribus licentiam, litteras obtinere non potuisse, non propterea vllomodo recipi valeant, nisi fide dignorum testimonio, de petita ab eis licentia, & per Superiores denegata, constiterit.

Ex declarat. cap. de Itineranribus. Quilibet frater vadens ad Prouincialem sine licentia sui Prioris, vel ad Magistrum ordinis sine licẽtia sui Prouincialis si non vadat recto tramite, sed solus vagando, & hinc inde discurrendo tanquam apostata puniendus erit, & carceri includendus. Et Procurator ordinis potestatem non habet vocandi fratres ad Curiam, vel licentiandi fratres ad eandem, sed retinendi in eadem, nisi pro exequendis negociis. Ad Magistrum vero ordinis, vel Prouincialem, fratres ire non possunt, sine speciali licentia sui Prælati. Caueant igitur fratres ad Curiam ire sine licentia Magistri ordinis. Et qui de eius licentia iuerint, vadant pedites secundum formam nostri ordinis, & literas secum deferant, causas, & negocia pro quibus vadunt, plenariè cõtinentes. Et id etiam præcipitur sub formali præcepto in virtute S. Obedientiæ. Similiter etiam nullus accedat ad Curias Regum, seu dominorum Legatorum, vel Prælatorum, seu Principum, aut Baronum, pro causis litigiosis, seu pro quibuscumque negociis de se odiosis secularium procurandis.

Ex Constitut. etiam hæc habentur.

Nullus Prior conuentualis ducat secum plures fratres ad capitulum generale vel prouinciale sine vrgenti causa. *Cap. de capitulo Prouinciali.*

Solus autem Magister ordinis, & Prouincialis prouinciæ in qua capitulum generale celebratur potest dare licentiam veniẽdi ad capitulũ generale, qui contrafecerit grauiter puniatur. Ex cap. de solemni celeb. capituli.

Romæ 1601. Et Valleoleti 1605. Si fratres eundo ad curiam, vel curias, aut redeundo, aliquas pecunias expenderint, nihil omnino de expensis illis soluatur, nisi forte propter bonum commune Conuentus illas adierint.

De non equitando, nec pecuniis portandis.

CAPVT LXXIII.

GRauis culpa est, si quis sine magna necessitate equitauerit, vel etiam in via pecuniam portauerit, vel portari procurauerit. *Ex cap. de graui culpa.*

Euntes ad prædicationis officium exercendum, vel alias itinerantes, aurum, & argentum, pecuniam, aut munera, excepto victu, & necessariis indumentis, nec accipient, nec portabunt. Si quis autem de prædictis acceperit, teneatur cùm redierit, Prælato suo liberè præsentare. *Ex cap. de Itinerantibus.*

Cum dicitur itinerantes in via non debere portare aurum, argentum, & pecuniam, &c. id debet intelligi sine licentia Prælati sui, vt sit conforme regulæ in qua dicitur. Si quis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur, & repetitur, capite de grauiori culpa. Videnda sunt ea, quæ supra tradita sunt capitulo de vsu pecuniarum.

Ex dicto cap. de graui culpa habetur. Cum equitare maximè repugnet statui mendicantium, nullus frater ordinis nostri debet sine magna necessitate equitare, & sine licentia suorum Prælatorum, quando eos habet in promptu, sed pedes vadat, aliter grauiter puniatur. Et hæc Constitutio strictissime seruari debet, maxime vbi habemus Conuentus.

Romæ 1569. Constitutio de non equitando seruetur, & qui sine licentia in scriptis equitauerit, conformiter ad eam puniatur, & Prælati ad quos cum equis declinauerint, teneantur, inquirere de huiusmodi licentia, & necessitate, & transgressores punire. Hoc idem repetitur Romæ 1608.

Venetiis 1592. Pedestres omnes incedant, maximè conuersi, quod si necessitas equitandi aderit, licentiam à suis Superioribus equitandi obtinebũt, quam, & ostendere possint requisiti. Ocreas nihilominus, & penulam quam vulgo vocant (il feltro) nemo deferat præsertim conuersi, sed religiosè omnes incedant, ita vt habitus patenter feratur, & pro religiosis ex ipso dignosci possint. Contrafacientes autem præter amissionem mobilium, pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, vel scapularis priuatione per triennium, vel sedendi ter in pane, & aqua respectiuè, puniantur.

De itinerantium sociis, & aliis per viam seruandis.

CAPVT LXXIV.

FRatres quando recedunt à capitulis, per Superiores conbinentur, ne vagando discurrant, sed directè ad suos vadant Conuentus. Et arceantur Priores qui malè combinant fratres, & saltem vna pars copulæ sit bonæ famæ, & sufficientis ætatis, & vnus illorum sit de lingua patriæ, vbi hoc commodè poterit seruari. *Ex cap. de certis detractionibus, &c.*

Prædi-

Prædicatoribus cum in prædicationem exire debuerint, eis socij dabuntur à Priore, secundum quod honestati, & moribus eorum iudicauerint expedire. Qui accepta benedictione, exeuntes vbiquè tanquam viri qui suam, & aliorum salutem procurant religiosè, & honestè se habeant. Socius autem datus Prædicatori, ipsi tanquam Priori obediat. *Ex cap. de Prædicatoribus.*

Itinerantes cum in via existunt officium suum dicant prout sciunt, & possunt, & sint contenti officio Ecclesiarum ad quas declinant, Prior in ordine sit Prior in via, nisi fortè Prædicatori adiungatur, vel cum egrediuntur Prior de eis aliter ordinauerit. *Ex cap. de itinerantibus.*

Ex decl. cap. de certis detractionibus, &c. Cum discursus inutilis, & vagus fratrum turbationem, & scandalum pariat, & ex defectu combinationis fratrum, dissolutiones, & insolentiæ crescant, ideo neque sine licentia, neque sine socio itinera conficiant fratres, & combinati nullo modo se separent ab inuincem, quin se videre possint, & valeant mutuo testimonium perhibere, in quocumque sint loco, vel negocio, & transgressores acrius puniantur.

Venetiis 1592. fratres nostri bini semper incedant, maximè quando de vna ciuitate ad alium locum accedunt, & specialiter quando non ex obedientia, & religionis seruitio, sed recreationis, aut cuiuscunque alterius particularis negocij causa iter assumunt. Et Superiores licentiam non concedant, nisi etiam socium illis consignent, cum quo redire ad Conuentum tenebuntur, sub pœna sedendi ter in pane, & aqua.

Bononiæ 1564. fratres nostri maximè iuniores, neque sine socio à Prælato designando, neque sine litteris testimonialibus à suis Conuentibus recedant. Idem Romæ 1608.

Cum dicitur in Constitutione socium datum Prædicatori debere ei obedire, vt Priori, non intelligitur quod Prædicatori aliqua iurisdictio detur supra socium, sed solum quod socius debeat ei obedire, & seruire sponte in his quæ ad personam, & officium eius pertinent.

Cum etiam dicitur: Prior in ordine sit prior in via, neque intelligitur dari aliquam iurisdictionem super socios Priori in ordine, nisi sit Prælatus. Romæ 1601. sub præcepto formali mandatur, vt in ciuitatibus, & oppidis in quibus Conuentum habemus aut domos, nullus possit pernoctare extra Conuentum neque etiam in suburbanis, sine licentia Prælati, confirmatur Valleoleti 1605.

De hospitibus fratribus, & extraneis.

CAPVT LXXV.

IN quacumque prouincia fratres itinerantes deliquerint. Prior Prouincialis aut Conuentualis, seu Vicarij, Supprior, aut

Visitator, & cæteri in quorum terminis inuenti sunt, corrigendi ipsos sicut fratres suos liberam habeant facultatem. *Ex cap. de Itinerantibus.*

Leuis culpa est si quis in Conuentum, hora qua debet venire distulerit. Et si quis veniens eadem hora si fieri potest benedictionem accipere neglexerit, vel absquè ea plus vna nocte moratus extiterit. *Ex cap. de Leui culpa.*

Prior Priorem superuenientem honoret, fratres minores, sicut, & nostri charitatiuè recipiantur, & hilariter, & secundum facultatem domus piè, & honestè procurentur. *Ex cap. de itinerantibus.*

Fratres nostros tam in Episcopatu præcisè titulari, vel alias infra Episcopatum constitutos, & beneficiatos vel exemptos ab ordine, excepto Magistro sacri palatij, & pœnitentiariis perpetuis D. Papæ, qui sequuntur Romanam Curiam, eorumque sociis, nolumus in nostris Conuentibus, vltra triduum retineri, licentia Prouincialis cum consensu ad minus duarum partium Conuentus obtenta. Alioquin suspensionem à suis officiis Præsidentes ipso facto incurrant contra facientes. *Ex cap. de electione Prioris.*

Fratres hospites, & viatores subiiciantur Præsidenti ordinis ad quem declinant ratione iurisdictionis, & de excessibus suis non solum ibi, sed etiam alibi commissis possunt, & debent corrigi, & castigari, quia de crimine punitur quis vbi inuenitur. Et glos. 3. q. 6. caput. 1. allegat illud, Vbi te inuenero ibi te iudicabo. Et si ad eum aduenerint fugitiui, & vagabundi sine licentiis alterius prouinciæ, non debet eos recipere sub pœna grauioris culpæ, nisi inquantum charitas religiosè hospitalis exigit, & si deliquerint capi eos faciat, & vinctos ad suas prouincias sumptibus illarum prouinciarum remittat. Ex decl. cap. de Itinerantibus. Et etiam Priores hospites sicut alij fratres peregrini sunt sub iurisdictione, & obedientia Prioris illius Conuentus in quo sunt hospites, & per consequens sunt eius ordinationibus, & mandatis subiecti, nec debent, sine eius licentia Conuentum exire, seu per villam, aut ciuitatem, discurrere, &c. Debet tamen Prior Priorem superueuientem præ cæteris honorare, & humaniter ac gratiosè suscipere; quia qui bene præsunt duplici honore digni sunt. Si autem adueniret Prouincialis alterius Prouinciæ, Prior debet ei dare locum nolæ cum non sit locus iudicij, sed dignitatis, sicut etiam datur Abbatibus, & Episcopis, Prior tamen eo casu nolam pulsabit, vt habetur cap. de seruando loco inter fratres.

Valentiæ 1596. ordinatur, vt hospites subdantur legi depositi, ita vt si vltra sex dies moraturi sunt in aliquo Conuentu, teneantur quamlibet pecuniarum summam in communi deposito illius Conuentus, reponere, nec sine licentia illius Prælati pro quibuslibet negociis expendere poterunt. In eodem enim statu reponuntur quo ad hoc sicut, & cæteri fratres. Confirmatur 1601. Subditi etiam sunt hospites Prælatis Conuentuum in quo sunt

quoad forum conscientiæ, quia ab illis absolui possunt à peccatis & recipere alia Sacramenta, vt dictum est supra cap. de potestate prælatorum super fratres.

Ex decl. cap. de Itinerantibus. Sint solliciti Præsidentes fratres hospites cum licentiis aduenientes charitatiuè, & humaniter recipere, & tractare maxime venientes ex extraneis prouinciis, & secundum exigentiam viæ, prouideant eis in suis necessitatibus, & dent eis consilium, & auxilium ad transeundum ad alios Conuentus, maximè in locis vbi occurrit transeundi difficultas. Venetiis 1592. Committitur Præsidentibus vt omnem adhibeant diligentiam, quatenus aliquæ cameræ deputentur pro hospitibus cum licentia aduenientibus, recipiendis, quorum cura alicui discreto committatur, vt charitatiuè eos recipiat.

Potissimum inter extraneos recipiendi sunt cum charitate fratres minores, ideo in decl. eiusdem cap. dicitur fratres nostri diligentissimè attendant, vt corde, ore, & opere diligant fratres minores, & illos humaniter suscipiant, & benignissime ac hilariter pertractent, & sollicitudinem adhibeant quantum in eis est, vt cum ipsis pacem habeant fratres, & qui in contrarium præsumpserint, grauiter puniantur. Caueant etiam fratres ne inter se, nec coram aliis quantumcumque familiaribus, de ipsis obloquantur. Et si alij sub specie familiaritatis, & amicitiæ aliqua mala de eis retulerint, non sint faciles ad credendum, sed illos quantum possunt, excusare conentur. Et si forsitan tales fratres minores de nostris obloquendo aliquos prouocauerint, tamen nostri cum eis, in publico nullo modo contendant.

His addantur quæ traduntur de Patribus societatis Iesu in cap. Valentino 1596. .s. Admonentur omnes fratres, vt paterno sinceroque affectu, prosequi velint Religiosos omnes, cum quibus ad eundem finem tendimus, specialiter vero eos qui non segniter inter reliquos laborant pro fide Catholica tuenda, & salute animarum procuranda. Patres .s. Societatis Iesu, qui inter cæteros plurimum commendantur, vti operibus internæ affectioni, & charitati testimonium reddant, eisque inseruiant, nulloque pacto eos verbis aut factis offendant, & tales offensæ, si quæ (quod absit) occurrerint, seueram vindictam à Prælatis sumant, quod si Prælati id agere neglexerint, Magister ordinis, vt resciuerit, delinquentes puniet, & Prælatos ab officio absoluet.

Seculares etiam ad hospitium recipi poterunt, sed seruandum erit, quod statuit Sixtus V. in sua Constitutione contra illegitimos, vbi habet.

Insuper prohibemus ne regularibus liceat vllas pecunias quoquomodo erogare in alicuius Benefactoris, etiam Protectoris, seu Ordinarij honorem, etiam occasione transitus, aut primi ingressus, aut in beneficiorum acceptorum memoriam, gratique animi significationem, seu pro ipsis honorificè, lautè, & opiparè, excipiendis, seu pro conuiuiis exhibendis, aut pro comessationibus, siue compotationibus quibusuis personis, siue eiusdem ordinis, siue extraneis largiendis, aut spectaculis exhibendis, etiam vbi sanctorum vita, vel paßionis Domini memoria populo spectanda proponitur, &c. aut aliis in rebus ad pompam, & ostentationem pertinentibus, &c. Nisi ipsa pro vero Dei cultu, aut pro pauperum indigentiis, &c. Declarantes tamen per hæc laudabilem hospitalitatem

præcipuè erga pauperes, & peregrinos nequaquam imminui aut prohiberi, &c. Si quos verò ditiores occasione transitus, siuè deuotionis, siuè necessitatis causa eo diuertere contigerit, eos sanè deceret in communi refectorio cum aliis religiosis ferculis communibus contentos esse. Verum in huiusmodi potentioribus hospitibus recipiendis, ita se gerant Regulares, vt frugalitas, & paupertas religiosa effulgeat sub panis, &c. vt supra.

Venetiis 1592. Nullus laicus in posterum recipiatur in Conuentibus ad commorandum, sed tantum hospitij gratia, pietate, gratitudine, & necessitate id suadente, ad biduum, vel triduum ad summum, & non vltra. Quando, & tales non in dormitorio, sed in remotioribus locis Conuentus collocabuntur, charitatiue, & cum modestia tractandi.

De discursu fratrum per Ciuitatem.

CAPVT LXXVI.

HOspes sine consilio Prælati non discurrat per Ciuitatem, nec moram faciat. *Ex cap. de itinerantibus.*

Leuis culpa est si quis hora qua debet venire in Conuentum distulerit. Si quis oculos vagos per plateas vel villas eundo ad vanitates frequenter direxerit. *Ex cap. de Leui culpa.*

Neque etiam quando proceditis fœminas prohibemini videre, sed appetere vel ab ipsis appeti velle, criminosum est. *Ex regula.*

Bottæ extra septa monasterij non portentur. *Cap. de Vestitu.*

Fratres per Superiores combinati, nullo modo se separent ab inuicem, quin se videre valeant, & sibi possint mutuo testimonium reddere in quocunque loco, & negocio.

Venetiis 1592. Omnes fratres nostri bini semper per Ciuitatem incedant, & cum toto habitu.

Romæ 1601. Prælati difficiles se præbeant in licentiis è domo egrediendi concedendis præsertim iunioribus, actu vero studentibus, & iuuenibus nulla ratione concedantur. Et eisdem præcipitur sub pœna absolutionis ab officio, vt socium nominent pro qualibet vice petenti licentiam exeundi. Confirmatur Valleoleti, & additur, etiam prætextu necessitatis, nisi sit vera, & vrgentissima causa, cum constet huiusmodi discursus magna parere incommoda, & scandala. Ratificatur etiam Romæ 1608. & additur. Et nulli detur licentia prodeundi, nisi designando socium, fratres vero cum domum redierint quam primum se sistant coram Præsidente, vt accepta benedictione, ipse sciat quid de eis actum sit.

Valleoleti 1605. conceditur iuuenibus studentibus semel in mense causa recreationis, posse egredi domum, ita tamen vt omnes simul incedant ad campum, vel vineam, cum licentia, & benedictione Prælati sui.

Ex decl. cap. de Vestitu. Habitus noster est tunica alba, scapulare album, & cappa nigra, & hunc habitum debemus patenter deferre cum in publicum procedimus, cum sit protestatiuum nostræ professionis. Et infra. Et quando

D

in publicum procedimus vel in choro debemus semper habere caput coopertum caputio. Et in missa, & extra Conuentum debemus cappas deferre propter honestatem ordinis.

Valleoleti 1605. & Romæ 1608. Vt vero ostiario facilius pateat, qui fratres sint foris, & qui domi, mandatur sub pœna grauis culpæ, ne quis extra Conuentum egredi audeat per portas Ecclesiæ vel alias, sed solum per vnicum Conuentus ostium commune. Ad ostium verò intrinsecus tabula loco apto affigatur, nomina, & cognomina fratrum continens. In qua ostiarius aliquo signo notet fratrem egredientem, vel reuertentem, vt sic de quæsitis fratribus rationem reddere possit. Et Prælati in hoc negligentes, ab officio absoluantur.

Ex declar. cap. de graui culpa. Fratres exeuntes de Conuentu sine licentia, vel cum socio non sibi à prælato deputato, puniri debent eadem pœna qua puniuntur in Constitut. illi qui vltra terminum sibi assignatum moram fecerint, quę est pœna grauis culpæ. Quamuis in declarationibus cap. de grauiori culpa dicatur. Quicumque frater sine licentia sui Superioris extra Conuentum, etiam cum socio discurrere præsumpserit, pœnam grauioris culpæ se nouerit incurrisse, quam per Superiorem facere cogatur.

Romæ 1608. Præcipitur omnibus Conuentuum præsidentibus sub pœna absolutionis ab officio, ne vlla ratione permittant nouitios, & iuuenes per Conuentum discurrere, neque è domo egredi, nisi pro euidenti necessitate.

De affiliationibus.

CAP. LXXVII.

FRatres nostros incorporatos esse alicui Conuentui tanquam filios apertè ex nostris Constitutionibus colligitur, & duobus modis incorporati sunt, quidam ex habitus susceptione, illius enim Conuentus fratres sunt filij, in quo & pro quo habitum susceperunt, quidam vero, per translationem affiliationis, quando ex vno Conuentu ad alium transfertur filiatio. Hæc sunt Constitutionis verba.

Cap. de Infirmis.

Leprosi infra septa sui Conuentus seorsum procurentur. Conuentum autem suum dicimus cuius est filius.

Item capite de electione Prouincialis.

Bona Prouincialis defuncti in officio prouincialatus, pro medietate ad prouinciam cuius fuit Prouincialis pertinent, pro alia medietate ad Conuentum cuius est filius. Relicta Magistri ordinis, quæ acquisiuit in Magisterio, pro medietate sunt sui Conuentus originalis.

Item cap. de studentibus.

Quæ vero iure hęreditario bona fratri obueniunt, erunt sui

Conuentus originalis, etiam si alterius Conuentus sit factus filius, *Item cap. de recipiendis.*

Nouitius receptus in vno Conuentu vbi non est nouitiorum congregatio, mittatur ad Conuentum vbi est, in quo profiteatur, pro Conuentu tamen in quo, & pro quo habitum suscepit.

In cap. Bononiæ 1564. statuitur vt translationes filiorum de vno Conuentu ad alium non possint fieri, nisi de consensu maioris partis filiorum vtriusque Conuentus respectiuè præsentium in Conuentu, & requisito etiam consensu Prouincialis exceptis prouinciis desolatis. Et Romæ 1580. dicitur, nullas fieri debere translationes filiationum de vno Conuentu ad alium, nisi per vota secreta, & Prælatos non posse vllo modo recipi in filios illorum Conuentuum in quibus sunt Prælati, quandiù officio prælationis funguntur, etiam si habuerint omnia vota. Confirmatur Venetiis 1592. & extenditur etiam ad Vicarios locorum. Et Valentiæ 1596. habetur. Prouinciales omnino abstineant à translatione fratrum per affiliationem, maximè ab aliis prouinciis ad suas, cum translatio huiusmodi ad capitulum generale, vel ad Magistrum ordinis pertineat tantum, secundum nostras Constitutiones, sine quorum auctoritate factæ annullantur. Vnde in declarationibus cap. de recipiendis legitur. Prouinciales non possunt determinare aliquem fratrem pertinere ad alium Conuentum, quam ad eum pro quo est professus, nisi per simplicem assignationem in nostro ordine solitam. Et ob id etiam translationes huiusmodi factæ cum licentia Magistri ordinis solent ratificari in capitulo generali, & quandoque per dictum capitulum fieri. Veruntamen Romæ 1601. habetur hæc ordinatio. Mandato S.D.N. Ordinatur ne fiant affiliationes de vno Conuentu in alium ex quacumque causa, sed tantum maneant filij Conuentus, qui ibidem professionem emiserunt. Quod mandatum fuit etiam ab ordine acceptatum in cap. Valleoletano 1605. Et nullæ modo translationes fiunt sine concessione sedis apostolicæ.

De Nouitiis in particulari extat declaratio in cap. de recipiendis huiusmodi tenoris. Nouitij ad illos Conuentus perpetuò pertinebunt, in quibus vel pro quibus fuerunt recepti, nec debent in alienis Conuentibus ad professionem recipi, nisi de voluntate illorum Conuentuum pro quibus sunt recepti. Et Barchinone 1574. dicitur. Nouitius receptus ad habitum in vno Conuentu, si transmittatur ad alium, & in hoc profiteatur, erit filius Cōuentus in quo fuit receptus, etiam si fecerit professionē non requisito illo Conuentu in quo habitum accepit. Et Romæ 1589. oraculo viuæ vocis D. Sixti V. mandatur, vt nouitij recepti in minoribus Conuentibus ad maiores Conuentus pro educatione nouitiorum deputatos transmittantur, & subditur.

Vbi annum probationis peragent, & suo tempore professionem facient, pro illis tamen Conuentibus, in quibus habitum ordinis susceperunt.

De apostatis autem notatur in cap. Bonon. 1564. eos per apostasiam non intelligi amisisse filiationem sui Conuentus.

De Bibliothecis.

CAPVT LXXVIII.

LIbri ordinis, siue fratrum, non vendantur, nisi precium illorum in alios libros, vel scripta conuertantur.

Cap. de studentibus.

Ordini nostro valde congruit copia librorum ob prædicationem. Idcirco nullus audeat libros ad Conuentum, aut ad fratres quocumque modo spectantes, vendere, distrahere, donare, aut concedere alicui, sed ad Librariam cōmunē pertineant. At si aliqui duplicati sunt aut minus vtiles, vēdi poterūt, precio cōmutato in magis vtiles & necessarios. Ex decl. c. de stud. Et Ro. 1569. ac Valleoleti 1605. statuitur. In omnibus Cōuentibus vbi nō sunt cōmunes Librariæ cōstructæ, cōstruantur, aut deputetur locus, inquo reponātur libri, vt eo cōuenire possint fratres ad studend. Et libri decedentium fratrum non vendantur, nisi modo, vt supra. Et Prælati singulis annis emant aliquos libros ex grauioribus, & modernis doctoribus pro communi Bibliotheca. Neap. vero 1600. fuit prolata excommunicatio huiusmodi. Ordinamus, & ordinando præcipimus in virtute Spiritussancti, & S. obedientiæ sub formali præcepto, necnon, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ hac vna pro trina canonica monitione præmissa omnibus, & singulis fratribus cuiuscumque gradus, & conditionis, ne audeant extrahere à communi Bibliotheca libros, quicumque sint illi, sine licentia Superioris, qui illam nullomodo dare poterit, nisi in casu necessitatis, & de Patrum consilio præcipuè quod à fratre particulari in propria cella possideatur. Confirmatur Romæ 1601. Valleoleti 1605. & Romæ 1608. Et Rodericus in suo bullario affert bullam Pij V. quæ est eius in ordine 17. in qua habentur hæc.

Motu proprio &c. omnibus, & singulis personis ecclesiasticis, & secularibus, & etiam regularibus, etiam pontificali dignitate præfulgentibus, ne librum aliquem, siue quinternum furto, subtrahere quouis modo præsumant ex Bibliothecis ordinis minorum aliter ipso facto excommunicationem incurrant, à qua non, nisi à Romano Pontifice absolui possint, extra mortis articulum.

De impressione librorum.

CAP. LXXIX.

NVlla scripta facta, vel compilata à fratribus aliquatenus publicentur, nisi per fratres peritos, quibus Magister ordinis, vel Prior prouincialis commiserint, diligenter sint examinata. *Cap. de studentibus.*

De impressione librorum tale decretum formauit. S. Synodus Trid. sess. 4.

Sancta Synodus decernit, & statuit, vt nulli liceat imprimere, aut imprimi facere,

quosuis libros de rebus sacris, sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut retinere nisi primum examinati, & approbati fuerint, ab Ordinarijs, sub pœna anathematis. Et si regulares fuerint, vltra examinationem, & approbationem huiusmodi, licentiam quoque à suis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, iuxta formam suarum Constitutionum. Qui autem scripto eos communicant, vel euulgant, nisi antea examinati, probatique fuerint, eisdem pœnis subiaceant, quibus & impressores. Et qui eos habuerint, vel legerint, nisi prodiderint, auctorem, pro auctoribus habeantur. Ipsa vero librorum approbatio in scriptis detur, atque adeo in fronte libri, vel scripti, vel impreßi authenticè appareat, & tam probatio, quàm examen gratis fiat.

Ex regulis indicis, in regula 10. ita disponitur.

In librorum aliarumuè scripturarum impreßione seruetur, quod in Concilio Lateranensi, sub Leone X. seßione 10. statutum est. Quare si in alma Vrbe Roma, liber aliquis sit imprimendus, per Vicarium suum, Pontificis, & sacri palatij Magistrum vel personas à S.D.N. deputandas prius examinetur. In alijs vero locis, ad Episcopum, vel alium habentem scientiam libri, vel scripturæ imprimendæ, ab eodem Episcopo deputandum, ac Inquisitorem hæreticę prauitatis, eius ciuitatis, vel diœcesis, in qua impreßio fiet, eius approbatio, & examen pertineat, & per eorum manum, propria subscriptione gratis, & sine dilatione imponendam sub pœnis, & censuris, in eodem decreto contentis, approbetur, hac lege & conditione addita, vt exemplum libri imprimendi authēticum, & manu auctoris subscriptum, apud examinatorem remaneat. Ipsa verò librorum probatio, in scriptis detur, & in fronte libri, vel scripti, vel impreßi authenticè appareat.

In instructione postrema indici apposita per Clementem 8. habetur.

Regulares præter Episcopi, & inquisitoris licentiam meminerint teneri se Sac. Concil. Trid. decreto operis in lucem edendi, facultatem à Prælato cui subiacent, obtinere. Vtramque autem conceßionem, quæ appareat ad principium operis, imprimi faciant.

In cap. Veneto 1592. ordinatur, vt nullus typis dare possit, quascumque lucubrationes proprias vel alienas, etiam alias impressas, sine licentia in scriptis Prouincialis, nec absque approbatione ad minus duorū patrum, ab eodē Prouinciali deputandorum, aut à capitulo prouinciali, qui easdem prius cōsiderauerint, & legerint. Et Valleoleti, præcipitur sub formali præcepto, examinatoribus librorum, vt totum librum diligenter videant, quo stylo, graui ne, an humili constet, de qua materia, magni, vel parui momenti, nec sufficiat nihil contra fidem, vel bonos mores continere, sed talis sit, qui honori, & decori religionis esse possit. Libros autem sic examinatos nolumus excussioni mandari in Italia, antequam Romam ad Magistrū ordinis, vel Vicarium generalem mittantur approbandi. Quibus correctis, nil addi, vel subtrahi possit. Confirmatur Romæ 1608.

Quæ autem per librorum examinatores expungenda sunt, hæc præcipua ex indice librorum prohibitorum deprompta notentur. Propositiones hæreticæ, erroneæ, scandalosæ, piarum aurium offensiuæ, temerariæ, schismaticæ, seditiosæ, & blasphemæ. Verba sacræ scripturæ non fideliter prolata, vel à prauis hæreticorū versionibus de prompta, nisi ad ea repudianda, aut etiam in profanum vsum impiè accommodata: Omnia, quæ superstitiones, sortilegia, & diuinationes, sapiunt. Laudes & honorifica epitheta hæreticorum. Quæ paganismum redolent, maximè, quæ facto vel signis fallacibus, aut fortunæ,

tunæ, libertatem arbitrij subiiciunt. Quæ famæ proximorũ maximè ecclesiasticorum, & Principum detrahunt. Quæ libertatem & immunitatem ecclesiasticam minuunt, & tyrannicam politiam fouent à lege Euangelica abhorrentem. Exempla, quæ Ecclesiasticos ritus religiosorũ ordines, statumque, & dignitatem, ac personas lædunt, facetiæ, aut dicteria in præiudicium famæ aliorum iactata. Et denique lasciua omnia, quæ bonos mores corrumpere possunt.

De bonis fratrum defunctorum.

CAPVT LXXX.

Bona fratris defuncti, quo ad illa, quæ ab aliqua prouincia, vel Conuentu habuit, sint illius, quæ vero aliter acquisiuit sint Conuentus cuius est filius, si in alio conuentu non est assignatus simpliciter, sed ad tempus, propter studium, vel officium, aliquod. Quæ vero hæreditario iure, obueniunt, vel obuenerint, erunt Conuentus sui originalis, etiam si alterius Conuentus factus sit filius. Si vero est assignatus in aliquo Conuentu simpliciter, ac pro tali ibidem præsentialiter receptus, & Conuentus ille consueuit (prout tenetur) prouidere de toto victu, vestitu, & huiusmodi aliis, tam tempore sanitatis, quam infirmitatis, diuidentur hæc aliter acquisita mobilia æquis portionibus inter Conuentum cuius est filius, & Conuentum in quo est assignatus. Alioquin quarta pars tantum erit Conuentus, in quo simpliciter est assignatus. Immobilia vero non hæreditario iure obuenientia, semper erunt Conuentus cuius est filius. *Cap. de studentibus.*

Si Prouinciales in prouincialatu decesserint, libri & alia, quæ habuerunt per prouisionem ordinis à prouincia, vel etiam ab aliquo Conuentu, antequam essent Prouinciales, vel in ipso prouincialatus officio, ad prouinciam, vel Conuentum, vnde habuerunt simpliciter pertinebunt. Ea verò, quæ acquisierunt tempore prouincialatus, ad prouincias quorum erant Prouinciales spectabunt pro medietate, & pro medietate ad Conuentus quorum sunt filij. Alia verò omnia sint Conuentuum quorum sunt filij. Et idem dicimus de bonis Procuratoris ordinis. Relicta autem Magistri ordinis, quæ acquisiuit in magisterio, pro medietate sint sui Conuentus originalis, alia vero medietas, ad commune ordinis bonum pertineat. *Capite de electione Prouincialis.*

Ex declar. cap. de studentibus colligitur, hanc esse practicam in ordine circa partitionẽ bonorum fratrum defunctorum. Si aliquis frater assignatus

in aliquo Conuentu ſimpliciter, moritur, bona omnia, quæ apud ipſum repe-riuntur, quæ non habuit ab aliquo Conuentu, diuiduntur inter Conuentum originalem, & Conuentum in quo moritur aſſignatus. Si autem aliquis frater alicuius prouinciæ moritur extra ordinẽ in aliena, prouincia medietas bonorum, quæ ibi acquiſiuit perinebit ad prouinciam in qua moritur, & alia medietas ad ſuum Conuentum originalem. De illis autem qui manent extra Conuentus, & non habent aliquam aſſignationem à Prouinciali, aut ſunt extra ordinem, declaramus medietatem bonorum ſuorum poſt mortem, pertinere ad Generalem, & alteram medietatem ad Prouincialem. Declarantes etiam, quod ſi aliquis frater profeſſus in vno Conuentu, fiat poſtea per Magiſtrum ordinis filius alterius Conuentus, bona immobilia ratione talis fratris ad ordinem prouenientia, pertinebunt ad primum Conuentum. Alia vero mobilia bona ad ſecundum Conuentum cui incorporatus eſt, ſi in eo moriatur, ſpectabunt. Notabis hic formalia verba Conſtitutionis, & declarationum. In Conſtitutione diſtinguuntur, immobilia bona in quædam hæreditario iure fratri obuenientia, & quædam non hoc modo, ſed alio obuenientia, prima ſemper debentur Conuentui originali, etiam ſi alterius Conuentus factus ſit filius, ſecunda vero ſemper erunt illius Conuentus cuius factus eſt filius. Ex decl. autẽ quæcũq; bona immobilia ratione alicuius fratris ordini obuenientia ad primum Conuentuum ſemper deuoluuntur.

Aſſignationes autem fratrum etiam quibus aſſignantur in aliquo Conuẽtu ſimpliciter, bifariam fieri poſſunt, nam ſi frater aſſignatur verbo in ſcripto alicui Conuentui per hæc verba, ex nunc prout ex tunc, tam præſentem, quam abſentem. Aſſigno te in tali Conuentu, ſtatim currit aſſignatio. Et ſi frater ſic aſſignatus, decedit, bona illius pertinent ad illum Conuentum in quo eſt ſic aſſignatus, & non ad Conuentum in quo prius erat Conuentualis, ſiue moriatur antequam recedat, ſiue in via, ſiue intra, ſiue extra prouinciam. Si vero aſſignatur ſecundum formam communem dicendo, Tenore præſentium te deputo pariter, & aſſigno in tali Conuentu, tunc non currit aſſignatio, donec literæ fuerint exhibitæ aſſignato. Ideo ſi morte preuentus fuerit antequã literæ ad eum peruenerint, res ipſius pertinebunt ad Conuentum vbi prius erat conuentualis, & non ad alium in quo fuit poſtea aſſignatus. Hæc etiam declaratio, textui diſſona eſſe videtur, in ea parte in qua dicitur. Si vero eſt aſſignatus in Conuentu ſimpliciter, ac pro tali ibidem præſentialiter receptus &c. Nam ſi debet eſſe præſentialiter receptus in Conuentu in quo eſt aſſignatus, non ſufficit, quod fuerint ei præſentatæ literæ aſſignationis, vt annuere videtur declaratio hæc.

De bonis autem Prouincialis, & Magiſtri ordinis, dicit declar. cap. de electione Prouincialis, Licet omnia, quæ Prouinciales acquiſierunt tempore prouiucialatus ad prouincias quarum erant Prouinciales debeant ſpectare, tamen relicta per Magiſtrum ordinis, quæ acquiſiuit in magiſterio, pro medietate ad ſuum Conuentum originalem, pro alia vero medietate ad bonum commune ordinis debent pertinere. Quæ etiam declaratio diſpoſitioni textus repugnat, in quo idem ſtatuitur de bonis Prouincialis & Magiſtri ordinis, acquiſitis in eorum officio. Crederem tamen in hoc ſtandum eſſe declaratio-

ni, quia ibidem notatur coufirmatam fuisse in tribus capitulis generalibus immediatis.s. Coloniæ 1428. Lugdunensi 1431. & Colombariæ 1434. Bona vero Prioris decedentis in suo officio, videntur omnia pertinere ad eum Cōuentum cuius est filius, propter ordinationem editam Romæ 1580. quæ est: Cum Prior moritur in Conuentu cuius non est filius, tenetur ille Conuentus ad suffragia pro eo, non obstante, quod eo casu omnia eius bona pertineant ad Conuentum cuius est filius. Consonat hoc textui Constitutionis, quia Prior non est assignatus simpliciter in eo Conuentu cuius est Prior, sed propter officium Prioratus.

De bonis autem apostatarum decedentium in apostasia, ita disponitur in decl. cap. de apostatis. Res autem, & bona apostatarum debent ad Conuentus illos, in quibus erant assignati tempore quo apostatauerunt libere pertinere, sed postea facta fuit constitutio, quod huiusmodi bona diuiderentur inter Conuentum originalem, & Conuentum in quo erat assignatus. At Gregorius 13. Constitutionem promulgauit de bonis fratrum decedentium extra ordinem per hæc verba in substantia. Vide Quarantam verbo, Spolia clericorum.

Nos omnem dubietatis occasionem, dimouere, & indemnitati cameræ Apostolicæ consulere volentes, declaramus, res, & bona quęcūque per dictos regulares extra claustra quorumcūq; locorū egentes quocūq; iure, & actione siue ex causa testati, vel intestati, acquisita, & in posterum acquirenda, vel ad eos delata in quibusuis prouinciis, regnis, & locis consistāt, nisi ÿdē ad quos illa spectauerint, sufficienti facultate testandi, aut de illis disponendi, suffulti fuerint, ea que legitimè vsu fuerint, ad eandem cameram pleno iure pertinere, & spectare, & sub nomine spoliorum comprehensa esse, & ea à quibusuis occupatoribus, recuperari posse, &c. quibuscumque in rebus, siue pecunijs consistant &c. Et ita mandat per quoscumque iudices iudicari debere, &c.

De loco seruando inter fratres.

CAP. LXXXI.

QVod fratres dum simul stant, aut incedunt, locum sibi debitum in aliorum comparatione seruare debeant non obscure in Constitutionibus nostris præfinitur. Vnde in cap. de grauiori culpa pro condemnatis ad pœnas huius capitis dicitur.

Sit omnium nouissimus in Conuentu.

Et in cap. de Apostatis scribitur.

Infra tempus pœnitentiæ, apostata in Conuentu nouissimus erit &c. Et peracta pœnitentia, ad priorem locum non redeat, nisi fuerit cum eo dispensatum, &c. Et dispensatio fiat, ita vt anni quibus fuit in apostasia, non computentur ei, quo ad locum, sed sub illis, qui habent plures annos in ordine quam ipse habuerit, quando exiuit, stet.

Ex ista clausula Constitutionis manifestè apparet, fratres debere tenere

locum inter se,in choro,& alibi, secundum, quod habent plures, vel pauciores annos in ordine à professione sua,seu secundum quod post professionem tacitam,vel expressam per plures annos habitum nostri ordinis portauerunt, exceptis aliquibus de quibus infra. Ex decl. cap. de Apostatis, Super capite de cap. generali, habetur declaratio hæc. Cæteri vero fratres, qui non sunt Magistri, vel Baccalaurei,aut non fuerunt Prouinciales, tenent loca sua secundum ordinem, & antiquitatem suæ professionis, ita quod illi, qui post professionem suam diutius habitum portauerunt,debent præcedere eos qui minori tempore illum gestarunt. Et Romæ 1571.ac Barch. 1574. diffinitum fuit. Lectores etiam debere tenere locum sibi debitũ ratione professionis suæ, nisi alius pro gradu aliquo sibi debeatur,contraria consuetudine non obstante. In cap. Neap. 1600. declaratum fuit,quod si contingat aliquem sine aliqua fraude, sed bona fide, emisisse professionem inualidam, & postmodum suppletum fuisse defectibus per secundam professionem tacitam,vel expressam, locum eius accipiendum esse,à prima professione quamuis inualida vt supra,dummodo prius iuridice per sententiam constiterit,talẽ sine fraude,sed bona fide emisisse primã professionẽ. Quæ declaratio suppressa fuit mãdato D. Clementis 8. ita vt nec legẽda sit,nec seruãda.

Magister ordinis sicuti omnibus fratribus,etiam Prælatis, præest auctoritate,& dignitate,ita & loco præesse debere omnibus compertum est. Casu vero quo ipse Magister suo officio cedat, aut amoueatur ab illo, tale decretum de eius loco habetur cap. de capitulo generali.

Magister verò ordinis cedens, vel amotus, post Magistrum ordinis in Diffinitoriis capitulorum generalium, & Prouincialium,& in absentia Magistri ordinis post Prouincialem, in cuius prouincia fuerit,& in absentia Prouincialis,post principalem Prælatum, primam vocem primumque locum vbique & in omnibus obtinebit.

De Prouincialibus actualibus etiam idẽ sentiendũ est vt.s.in prouinciis suis quibus anteponũtur auctoritate, & loco anteponi debeant. Et si aliquando accidat eos diuertere ad alienas prouincias,locum habere debent ex declar. cap.de electione prouincialis,supra omnes Priores Conuẽtuum,tã in choro, quã in processionibus etiam in dicẽdo Fidelium. In refectorio autẽ,& in ca. cũ extra prouinciam suã nullã habeant iurisdictionẽ, seruabunt locũ immediatũ ad dexterã Præsidentis illius Conuentus in quo erunt. Si autẽ contigat Prouincialem alienæ prouinciæ in refectorio comedere absente Præsidente prouinciæ,decl.c.de itinerantibus,tradit, Priorem Cõuentus debere dare ei locũ nolæ,cũ ille locus nõ sit iudicij,sed dignitatis. Vnde Abbatibus,& Episcopis datur talis locus. Et quia inter has duas declarationes nunc relatas, videbatur esse aliquantulũ diuersitatis, ideo in cap. Romano 1589. statuitur vt Prouinciales extra suas prouincias locũ teneant supra Priores Cõuẽtuum,in quibus sunt,& etiam in refectorio ad locũ nolę sedeant,iuxta declarationem ca.de itinerantibus,nõ obstãte declaratione c.de electione prouincialis,cum

illa ista postetior sit, pulsare tamen nolā pertinebit ad Pręsidētem Conuentus, etiam præsente Prouinciali alterius prouinciæ: aliud enim est tenere locum nolæ, qui non est locus iudicij, sed dignitatis, aliud pulsare nolam. De Prouincialibus autem qui officium suum compleuerunt constitutio cap. de capitulo generali, hanc ponit regulam.

Prouinciales absoluti locum in prouinciis in quibus præfuerunt, super omnes alios fratres habebunt, vbique, dummodo Magistri in sacra Theologia non Magistris minimè postponantur, nec Præsidentium actualium locis minimè derogetur.

Et ibidem declaratio addit, Huiusmodi Prouinciales absoluti talem locum non habent extra suam prouinciam. Si autem simul sunt duo Prouinciales absoluti non magistri, inter se locum seruabunt suæ professionis, etiam si minor ante antiquiorem, fuerit Prouincialis. Si autem contingat inferiorem Magistrum fieri Prouincialem prius, & postea antiquiorem Magistrum, isti duo Magistri post absolutionem locum habebunt inter se secundum ordinem Magisterij. Et Romæ 1601. declaratum fuit, seruandam esse Constitutionem de loco eorum, qui fuerunt Prouinciales, & abusus vbi sunt, tolli.

De Vicariis non potest firma stabiliri regula, quia diuersimodè instituuntur. Nam primò datur Vicarius generalis ordinis mortuo vel amoto ab officio Magistro ordinis, & hic siuè sit ille, qui per constitutiones esse debet. s. Prouincialis illius prouinciæ in qua futurum capitulum celebrandum erit, siuè sit auctoritate Apostolica institutus, primum locum dum in officio perdurat obtinebit. De Vicario enim generali iure constitutionum Præsidente, dicit constitutio cap. de electione Magistri ordinis.

Mortuo igitur Magistro ordinis, vel amoto, Prouincialis illius prouinciæ vbi sequens capitulum fuerit celebrandum, vices Magistri ordinis obtineat in omnibus, quousque Magister ordinis sit electus, exceptis absolutionibus Prouincialium, &c.

Et de Vicario per sedem Apostolicam dato, Alexander VI. vt habetur capite vltimo constitutionum determinat, vt infra.

Volumus, & ordinamus, quod modernus Vicarius per nos institutus, & quilibet alius in simili casu per sedem Apostolicam instituendus, sicut primum locum in capitulo, & vbique tenet, ita, & primam vocem habeat in electione Magistri ordinis.

Neque obstat declaratio huius capituli quæ habet hanc constitutionem non fuisse vsu receptam, imo reuocatam per Paulum III. in capitulo, quia id verum est de voce non de loco. Sunt alij Vicarij generales, non ordinis, sed prouinciarum, vt illi qui mortuo, vel amoto ab officio Prouinciali, succedunt in regimine quousque Prouincialis sit electus, siue secundum seriem constitutionum, siue auctoritate Apostolica, & de horum loco Constitutio cap. de capitulo Prouinciali, talem profert sententiam.

Quilibet autem Vicarius prouinciæ, per quemcumque mo-

dum fuerit legitimè institutus, locum Prouincialis teneat, Fidelium dicat, &c.

Instituuntur etiam quidam alij Vicarij congregationum, siuè Vicariarum per electionem in capitulis suarum congregationum, siuè Vicariarum, de quibus idem est iudicium sicut & de Prouincialibus in suis prouinciis, de quibus ita dicitur in capitulo Valleoleano 1605. Vicarij congregationum, & Vicariarum expleto officio habent locum in sua congregatione, vel Vicaria, supra omnes qui non fuerunt Vicarij, sicut & Prouinciales in suis prouinciis. Fiunt alij Vicarij, siuè Conuentuum siuè nationum, tum à Magistro ordinis, tum à Prouincialibus, de quibus dicit Constit. cap. de capitulo Prouinciali.

Vicarij vero particulares, siuè nationum, siuè Conuentuum, locum suum non mutent, nisi in cap. dum ibi officium suum exercent.

Quod & de Visitatoribus legitur cap. de Visitatoribus, vbi dicitur.

Visitatores loca sua vbique teneant, nisi in capitulo dum officium suæ correctionis exercent.

Dantur etiam Vicarij locorum, idest, domorum, quæ Priorem non habent, & de his statuitur in cap. Barchinone 1574. Vicarij locorum in domibus suis subditos suos præcedant, habeantque superiorem locum præter Magistros. Et si accidat Priorem ad domum eorum aduenire. Prior Vicarium præcedat, & etiam Fidelium dicat Vicario præsente. Et Neap. 1600. declaratur Vicarios locorum in locis vbi Conuentus, & loca habemus, locum habere in processionibus, & alibi, post Suppriorem Conuentus, & post Baccalaureos si qui adsint.

De Deffinitoribus hæc scripta reperiuntur. Nam de Diffinitoribus capituli generalis, constitutio habet cap. de capitulo generali.

Diffinitores autem capituli generalis, Dominica infra octauas Ascensionis Domini, vel Sabbato præcedenti, locum capituli intrare teneantur, & ex tunc in choro, & alibi, ordinatè loca sua teneant, quousque tempus suæ diffinitionis expiret.

De Diffinitoribus capituli Prouincialis habet declaratio cap. de electione Diffinitorum, eos statim post electionem suam, quæ fieri debet die immediatè præcedente electionem Prouincialis, habere locum super omnes fratres, inter se autem secundum ordinem graduum, vel Conuentuum. Et Valentiæ 1596. dicitur. Ad difficultates tollendas declaratur, vt in capitulis generalibus, Prouinciales, & Diffinitores, suo tempore respectiuè locum teneant inter se, secundum ordinem suarum prouinciarum, nec vllo pacto primus locus dari debet, Prouinciali, vel Diffinitori prouinciæ in qua celebratur capitulum. Idem dicitur etiam de Diffinitoribus capituli prouincialis, in quo secundum ordinem Conuentuum Priores in Diffinitores electi alios præcedent, vel subsequentur, nisi causa magisterij aliquis præcedere deberet. Et sicut in capitulo generali Diffinitorum Diffinitores

præcedunt Prouinciales ita in capitulo Prouincialium, socij qui loco Prouincialium adsunt capitulo locum possidebunt immediate post Prouinciales iuxta ordinem,& antiquitatem suarum Prouinciarum. Valleoleri additur. Diffinitores tam capituli generalis, quam Prouincialis, dicant Fidelium, etiam præsente aliquo Priore. Vt autem omnibus pateat qualis sit ordo prouinciarum desumptus ab antiquitate erectionis illarum, secundum quem Prouinciales in capitulo generali prouincialium, & Diffinitores in capitulo diffinitorum, & vtrique in capitulo electionis Magistri ordinis inter se locum tenere debent, annotetur confirmatio capituli Romæ 1558. quæ talis est. Confirmamus ordinationem alias factam circa ordinem prouinciarum, hoc addito, quod restituimus prouinciæ Dalmatiæ locum sibi prereptum à prouincia Trinacriæ & prouinciam Hiberniæ erectam auctoritate D. Pauli Papæ III. de anno 1536. recensemus, & damus ei locum infrascriptum inter alias. At quia post dictum capitulum Romanum 1558. prouinciis tunc existentibus successu temporis aliæ prouincię fuerunt super additæ, ideo, & nos superadditarum ordinem quantum potuimus annotauimus, quem ordinem accepimus ex actis cap. Parisiis 1611. Quibus etiam Congregationes adiecimus. Est ergo talis ordo, qui sequitur.

Ordo Prouinciarum.

1 Hispaniæ.
2 Tholosæ.
3 Franciæ.
4 Lombardiæ.
5 Romana.
6 Regni.
7 Hungariæ.
8 Teutoniæ.
9 Angliæ.
10 Poloniæ.
11 Daciæ.
12 Græciæ.
13 Terræ Sanctæ.
14 Aragoniæ.
15 Boëmiæ.
16 Prouinciæ.
17 Saxoniæ.
18 Dalmatiæ.
19 Trinacriæ.
20 Portugalliæ.
21 Scotiæ.
22 Bethicæ.
23 Germaniæ inferioris.
24 S. Thomæ.
25 Calabriæ.
26 S. Crucis Indiarum.
27 Hiberniæ.
28 S. Iacobi de Mexico.
29 S. Ioannis Baptistæ del Perù.
30 S. Vincentij de Chiappa.
31 S. Antonini de nouo regno.

Aliæ post additæ.

32 Occitana.
33 S. Dominici.
34 S. Laurentij del Chile.
35 S. Catherinæ del Quito.
36 S. Hipoliti de Oxaca.
37 S. Rosarij Philippinarum.
38 S. Petri Martyris.
39 Aprutinæ.

Congregationum.

1 Gallicana.

2 Ragusina.
3 Indiarum Occid.
4 Russiæ.
5 Occitana reformata.

De Magistris vero, cap. de capitulo generali loquitur Constit. & dicit.

Magistris in sacra Theologia locũ damus immediatè post Priorẽ.

Et in declarationibus huius capitis dicitur. Magistri in Theologia vbiq; in Conuentibus, & capitulis, habent locum super omnes fratres, & Priores non Magistros, infra tamen Priorem dumtaxat loci illius in quo se repererint. Et Bononiæ 1564. habetur. Magistros in eodem capitulo creatos, siue acceptatos debere hunc inter se seruare ordinem, vt antiquiores à professione præcedant, quod, & fuit confirmatum Romæ 1569. & Barchinonæ 1574. At vero Romæ 1589. statuitur vt Magistri in prouinciis, in quibus non gaudent loco, nisi sint acceptati à prouinciis suis, locum inter se tenere debant, secundum ordinem professionis, quando in eodem capitulo prouinciali acceptati sunt. In prouinciis vero in quibus priuilegiis gaudent illico quando sunt creati, absque alia acceptatione, tenebunt locum secundum ordinem promotionis illorum. Clarius hoc exprimitur Romæ 1608. vbi dicitur Magistris in Theologia, qui quamprimum promouentur statim gaudent voce, & aliis priuilegiis in sua prouincia, antequam etiam acceptentur ab illa, computanda est eis antiquitas loci, & Magisterij, à die promotionis illorum, tam in sua prouincia quam in ordine. Magistris vero qui loco, & priuilegiis non gaudent, antequam à prouincia acceptentur, etiam si ante fuerint promoti, non est computanda antiquitas loci, & Magisterij illorum, nisi à die acceptationis. Nec in ordine attendenda est antiquitas habitus vel professionis, sed promotionis vel acceptationis respectiuè quocumque modo gradum Magisterij obtinuerint, etiamsi per promotionem ad Regentatum studij generalis prouinciæ, sic tamen vt qui simul promoti, vel simul acceptati fuerunt, habeant locum secundum antiquitatem professionis. Si autem comparatio fiat inter eos, qui, & Prouinciales fuerunt, & etiam sunt Magistri, seruanda est declaratio super caput de capitulo generali quæ ita se habet, Priores Prouinciales si sint Magistri in Theologia postquam fuerunt absoluti à prouincialatu, locum super omnes fratres Magistros, & Priores habebunt, infra tamen Priorem loci in quo se repererint. Si vero non fuerint Magistri, stabunt immediate post Magistros. Et si contingat Magistrum inferiorem fieri Prouincialem & postea antiquiorem, completo prouincialatu locum habebunt secundum ordinem Magisterij illorum. Cui declarationi superadditum fuit in cap. Neap. 1600. & confirmatum Romæ 1601. quod Magistri creati postquam fuerunt Prouinciales non habent ratione prouincialatus locum super omnes Magistros, qui non fuerunt Prouinciales, & ita exponenda est Constit. cap. prædicto.

De Baccalaureis autem siuè Præsentatis Const. cap. prædicti ita disponit.

Baccalaureis qui legitimè incorporati in vniuersitate sententias solemniter legerunt, aut legunt, post Suppriorem vbique in toto ordine locum damus.

Et in

Et in capitulo Romano 1608. diffinitur idem debere esse iudicium de Baccalaureis sicut de Magistris quoad id quod dictum est eos .s. debere seruare locum inter se vel à tempore promotionis, quando non est necessaria acceptatio, vel à tempore acceptationis, quando ea opus est, & simul promoti aut acceptati ordinem sequantur professionis suæ. Debent tamen Baccalaurei actu non legentes, legisse per annum solemniter in aliquo studio, ex decl. cap. de capitulo generali.

De Prioribus Conuentualibus decernitur in decl. præfati capituli hoc modo. Priores conuentuales si non sunt Magistri, vbique tenent loca sua, secundum ordinem Conuentuum quibus præsunt, infra tamen Priorem loci in quo se reperiunt, & infra Magistros. Et Barch. 1574. additur, id seruari debere nedum in sua prouincia, sed etiam in alienis. Suppriores vero vt habetur Barchinone 1574. non habent locum extra suum Conuentum cui præsunt, neque etiam super Baccalaureos sibi subditos, si contingat Suppriorem, & Baccalaureum eiusdem Conuentus, ad alium Conuentum simul declinare.

Inquisitores qui non sunt Magistri, ex decl. cap. supra sæpe relati, tenere debent primum locum post Baccalaureos. Nunc autem à sac. Cōgregatione S. officij præstantiori loco sublimati sunt. Commissarius S. Inquisitionis in vrbe, stare debet immediatè post Prouincialem Romanum cum in vrbe commorari contigerit. Et post alios Prouinciales cum ad alias prouincias proficiscitur ita disponitur Romæ 1580. & ibidem 1583. declaratur eundem habere locum nedum post Prouincialem Romanum, sed post omnes Prouinciales, & Vicarios Congregationum, & Vicariarum. Et Valleoleti 1605. conceditur Confessario regis Potentiss. Hispaniarum pro tempore, locus super omnes fratres, etiam Prouinciales.

Parisiis 1611. Datus fuit locus immediatus post Baccalaureos, & vbi Baccalaurei non sunt, post Suppriorem, Magistris nouitiorum, quandiu officium exercent, & habent ad minus sex nouitios suæ curæ commissos in suis Conuentibus. Et si Magister nouitiorum erit Baccalaureus præcedet in suo Conuentu alios Baccalaureos. Et si per decennium hoc officium aliquis exercuerit, cuius quadriennium saltem continuum fuerit, semper deinceps talem locum in sua prouincia tenebit. Magistri autem huiusmodi inter se locum teneant iuxta ordinem professionis.

De assumptis ad Episcopatum, & alias dignitates.

CAPVT LXXXII.

QVicumque Prouincialis, sine licentia Magistri ordinis, vel quicunque alius frater sine licentia Prouincialis, Archiepiscopatum vel Episcopatum receperit, nisi per talem obedientiam cogatur, quam transgrediendo peccaret mortaliter, ipsum præsenti statuto suffragiis, societate, & omnibus beneficiis ordinis, tam in vita, quam in morte priuamus. Fratres verò nostri cum

fuerint ad aliquam Ecclesiam, vel dignitatẽ extra ordinem, ad sui instantiam, à Sede Apostolica pronũciati, ipso facto sint ab omni præsidentia, & officio intra nostrum ordinem sibi commissis, absoluti, à quibus eosdem tenore præsentium, absolutos esse denuntiamus. Alij verò qui sine sui instantia sunt similiter pronunciati, nisi infra quatuor dies à notitia dictæ pronuntiationis sibi factæ, ipsi pronunciationi, & promotioni renuntiauerunt publicè, & per publicum instrumentum, simili modo vt præfertur, absoluti existant. Præcipientes omnibus, & singulis fratribus, præsentibus, & futuris, quatenus nulli prædictorum obedire præsumant.

Fratres nostros beneficiatos, aut solummodo habilitatos ad beneficia, inhabiles reddimus ad prelationem siue superioritatem in ordine nostro. Nec aliqui illorum actiuam vel passiuam vocem quomodolibet in ordine habere possit, nisi ante beneficio, vel habilitationi legitimè renuntiauerit, ita quod renuntiatio sit legitimè acceptata instrumento testante. Renuntiatio autem cum regressu, aut quacumque reseruatione fructuum, nisi huiusmodi fructus merè, & integraliter proueniant ad communem vtilitatem Conuentus, & non tantum alicuius particularis personæ, non acceptetur, nec alicuius momenti habeatur..

Præcipimus autem in virtute Spiritus Sancti, & S. obedientiæ, Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus, & eorum Vicariis, vt nulli, electo, seu postulato extra ordinem, ad quamcumque dignitatem, personatum, vel gradum infra dignitatem Episcopalem licentiam concedãt huiusmodi electiones seu postulationes acceptandi, vel alio quolibet modo prosequendi. Eodem præcepto prohibentes, ne fratres aliqui propter licentiam sibi datam contra prohibitionem huiusmodi, præmissas electiones, seu postulationes aliquatenus per se, vel per alium, prosequantur. Si quis autem in præmissis secus fecerit, incurrat excommunicationis sententiam ipsofacto, quam sententiam ferimus præsenti statuto, & nihilominus omnibus gratis ordinis sit priuatus, ad quas restitui non valeat, nisi per Magistrum ordinis, vel capitulum generale. *Cap. de Itinerantibus.*

Solus Magister ordinis, & Prouinciales, & non eorum Vicarij, possunt facultatem præbere fratribus acceptandi Episcopatum, & alias dignitates extra ordinem, quod assertum, corroboratur etiam priuilegiis apostolicis. Nam Clemens IV. priuilegio suo 10. indulget vt infra.

Ad instar Innocentij prædecessoris nostri, auctoritate præsentium de speciali gratia districtius inhibemus, vt nulli fratres præfati ordinis (.i. prædicatorum) si eos in Episcopos eligi aut postulari contigerit, electioni, siue postulationi de se factæ, audeant consentire, nec aliquis Archiepiscopus, seu quicumque alius Prælatus, vel etiam Legatus sedis ipsius, dictos fratres, nisi de tua (.i. Magistri ordinis) vel Prouincialium licentia, qui pro tempore fuerint, consensu, aut eiusdem sedis speciali mandato, ad Episcopatus vel alias dignitates, extra dictum ordinem assumere vel ordinare præsumat. Nos enim decernimus irritum, & inane quicquid contra contigerit attentari, auctoritate sedis Apostolicæ semper salua.

Sixtus IV. in bulla aurea his verbis in proposita materia discurrit.

Eisdem motu, & auctoritate, decernimus huiusmodi habilitationis literas concessas, & quas concedi contigerit, intelligi, & interpretari debere, vt fratres ipsi quibus concessæ sunt, & concedentur, quandocumque per sedem Apostolicam beneficium aliquod adepti fuerint pacificè, aut pro capellanis in aliquibus Ecclesiis ceperint deseruire concessionibus prædictis (prout vocem actiuam, & passiuam, residentiam in domibus, retentionem camerarum, & alia quæ ordinum sunt, concernunt) de Prælatorum consensu dumtaxat gaudere possint, & non alias, nec alio modo. Idem statuentes de promotis ad Cathedrales, etiam titulares appellatas Ecclesias, & alias Ecclesiasticas dignitates.

In decl. cap. prædicti de itinerantibus; refertur eundem Sixtum quartum aliam Constitutionem promulgasse, quæ fuit acceptata in cap. Perusino 1478. tenoris huiusmodi.

Nos qui, & scandala amputare, & quietem dicti ordinis præseruare desideramus, declaramus, quod fratres ad beneficia habilitati, donec beneficia sint consecuti actiuam tantum vocem in dicto ordine habeant. Quamprimum vero beneficium obtinuerint, vocem etiam actiuam amittant.

Constitutio tamen nostra etiam vocem actiuam tollit, quæ cap. de Itinerantibus dicit.

Fratres nostros beneficiatos, vel etiam habilitatos tantum, inhabiles reddimus ad prælationem in ordine, nec aliquis illorum actiuam vel passiuam vocem habeat, nisi renuntiauerit, &c.

Et in eodem cap. Perusino ordinatur, vt fratres qui licentiam habent officiandi extra ordinem, quamdiu sic officiauerint, nec cellam, nec vocem actiuam, aut passiuam habeãt. Et in declarat. cap. de itinerantibus habetur. Cum ex promotione fratrum nostri ordinis, ad titulos vagos Episcopatuum, ordo noster veniat in contemptum, caueant Prouinciales diligenter, ne ad cuiuscumque requisitionem, cuicumque fratri licentiam huiusmodi concedant, Magistro ordinis, vel capitulo generali inconsulto. Et si qui Episcopi ordinis nostri inuenti fuerint minus honeste in grauamen, & scandalum ordinis conuersare, socios eis deputatos, studeant quantocius ad ordinem reuocare. Et insuper qui deputati sunt capellani honoris Domini Papæ, & aliorum Prælatorum, nullam exemptionem habent à suis Superioribus, sed Magister ordinis, & alij Prælati possunt contra tales capellanos procedere, & illos corrigere, & ad claustra reducere. Idem dicitur de fratribus qui sunt

Regibus, Baronibus, & aliis spiritualibus personis deputati, quos, si deliquerint, & minus honeste se habuerint, poterunt ad disciplinam ordinis reducere, aliosque illorum loco subrogare. Et in Constitut. cap. Constitut. Bonifacij IX. hic summus Pontifex talem condidit legem de capellanis sedis Apostolicæ, quæ vrgere videtur etiam de aliis quibuscumque extra ordinem manentibus ad celebrandum.

Statuimus, volumus, & ordinamus, quod omnes, & singuli religiosi etiam mendicantium ordinum, dictæ sedis capellani, qui sunt, & in antea erunt perinde eorum Superioribus ac eorum correctioni in omnibus, & per omnia sint subiecti; ac si capellani dictæ sedis non essent. Non obstantibus, &c.

Et adhuc de assumptis ad Episcopatum Alexander IV. suo priuilegio 4. ita mandat, & præcipit.

Nos igitur, &c. fratribus sic promotis ad Episcopatum, & alias dignitates, in virtute S. Obedientiæ præsentium auctoritate præcipimus, vt libros, & alia quæ habuisse tempore suæ promotionis, seu habere constiterit; tibi fili Magister, vel Prioribus, & Conuentibus suis, submota qualibet dilatione resignent, nisi forsan eorum vsum ad tempus de gratia duxeritis concedendum.

Clemens IV. suo priuilegio vltimo idem confirmat, & statuit vt sic promoti restitutionem peragant, antequam munus consecrationis recipiant, & addit.

Nisi forsan iidem Priores de consensu suorum Conuentuum, vsum illorum ad certum tempus, eis duxerint concedendum, Alioquin eo ipso ab executione pontificalis ministerij nouerint se suspensos. Inter huiusmodi autem libros, non intendimus comprehendi, quaternos, & alias cartulas membranas, in quibus dicti fratres certa notabilia pro sermonibus collegerunt.

Insuper Prouinciales ex declar. vt supra, debent admonere Episcopos ordinis, in prouinciis suis, vt in vestibus, & calceamentis, in ieiuniis, & abstinentiis, & aliis quæ officio Episcopali impedimentum non præstant, ordini se conforment. Alioquin socios eis non concedant, & concessos reuocent. Conformis est hæc admonitio doctrinæ S. Tho. 2. 2. q. 185. articul. 8. vbi habet. Si qua sunt in regularibus obseruantiis, quæ non impediant pontificale officium, sed magis valent ad perfectionis custodiam, vt continentia, paupertas, & huiusmodi, ad hæc religiosus Episcopus remanet obligatus, & per consequens etiam ad portandum habitum suæ religionis, qui est obligationis signum. Si qua vero sunt, quæ officio pontificali repugnent, vt solitudo, silentium, abstinentiæ graues, quibus impotens corpore redderetur ad officium exequendum, ad hæc obseruanda non tenetur. In illis autem ad quæ tenetur, potest dispensatione vti, sicut, & Prælati religionum, secundum quod requirit necessitas personæ, vel officij, & conditio hominum, cum quibus viuit.

Notanda est etiam in hoc proposito particula Constit. quæ habetur cap. de electione Prioris, quæ huiusmodi tenoris est.

Nulli Præsidenti ordinis liceat, alicui extra obedientiam nostri

ordinis existenti, curam committere super fratres & Conuentus, nisi Prælatis ex ordine nostro assumptis super socios suos, quamdiù sunt eorum socij, &c. quod si secus factum fuerit sit irritum, &c. Fratres vero nostros, tam in Episcopatu præcisè titulari, vel alios infra Episcopatum constitutos, & beneficiatos, vel exemptos ab ordine, exceptis Magistro sacri Palatij, & pœnitentiarij perpetuis D. Papæ, qui sequuntur Romanam Curiam, eorumque sociis, nolumus in nostris Conuentibus vltra triduum retineri, absque licentia Prouincialis, cum consensu ad minus duarum partium Conuentus, obtenta. Alioquin Præsidentes suspensionem à suis officiis ipso facto incurrant, contrafacientes.

De socijs Prælatorum extra ordinem.

CAP. LXXXIII.

FRatres nostri ordinis Episcopis, vel aliis quibuscumque personis extra ordinem, assignatos, qui in ieiuniis, & abstinentiis, victu, & vestitu, statuta ordinis non seruant, suffragiis, & beneficiis ordinis, tam in vita, quam in morte priuamus, quousque super huiusmodi excessu, adeò dignè satisfecerint, quod per Magistrum ordinis, vel Prouincialem suum ad huiusmodi suffragia restitui mereantur. *Ex Cap. de Itinerantibus.*

De sociis Episcopis assignandis, duas Constitutiones edidit, & promulgauit Alex. 4. quarum altera est numero 7. inter eius priuilegia, quæ est eius.

Auctoritate præsentium duximus esse concedendum, vt singuli vestrum, (s. Magister ordinis, Prouinciales, & eorum Vicarij,) *illos ex fratribus vestris, de quibus auctoritate Apostolica prouisum est Episcopus vel Archiepiscopus, possitis ad ordinem reuocare, ita tamen, si pro habendis aliis idoneis duxerint insistendum in hac parte illorum desiderio annuatis, dummodo tamen id vobis conueniens, & expediens videatur.*

Altera est numero 21. in qua habetur.

Cæterum per litteras Apostolicas, iam obtentas, vel in posterum obtinendas, quæ de præsentibus expressam mentionem non fecerint, nullos ex fratribus vestri ordinis præfatis Archiepiscopis vel Episcopis in socios teneamini deputare, nisi honestati ordinis, & illorum saluti videritis expedire.

Concilium etiam Trid. manum apposuit in his. & sess. 25. cap. 4. de regularibus statutum hoc formauit.

Prohibet S. Synodus, ne quis regularis, sine sui Superioris licentia prædicationis, vel lectionis, aut cuiusuis pij operis prætextu, subijciat se obsequio alicuius Prælati Principis, vel Vniuersitatis, siuè Communitatis, aut alterius cuiuscumque personæ, seu loci, neque ei aliquod priuilegium aut facultas ab alijs super his obtenta, suffragetur. Quod si contra fecerit tanquam inobediens, arbitrio Superioris puniatur.

Bononiæ 1564. pro maiori obseruantia huius decreti, decernitur, vt con-

trafacientes tanto tempore pœnæ grauioris culpæ ſubiaceant, quanto extra conuentum morati extiterunt.

Meminerint etiam huiuſmodi ſocii, nedum non poſſe ſe obſequio quorumcumque Prælatorum, & etiam Principum ſubiicere ſine licentia Superiorum ſuorum vt ſupra adductum eſt, & adduci etiam poteſt ex priuilegio, quod dicitur Mare Magnum Sixti 4. ſed etiam, quamdiu in prædictorum obſequio manent, ſubiici correctioni Superiorum, ita vt eos nedum corrigere valeant, ſed etiam illos reuocare, & ad diſciplinam regularem reducere poſſint, ſufficiat autem præter iam producta, referre, quod concedit Sixtus 4. in Mari magno ſub his verbis videlicet.

Cæterum Magiſtri ordinis, & Prouinciales, ac ipſorum Vicarij, illos ex fratribus de quibus auctoritate literarum ſedis Apoſtolicæ, vel Legatorum ipſius, Archiepiſcopis, vel Epiſcopis, vel aliis quibuſcũque prouiſum extitit, aut in poſterũ continget prouideri, corrigere, & abſque contradictione ad ordinẽ reuocare poſſint, nec per tales literas Apoſtolicas obtentas, vel obtinendas, aliquos ex ſuis fratribus, Epiſcopis vel aliis Prælatis in ſocios deputare teneantur, niſi in dictis litteris de hoc indulto expreſſa facta ſit mentio, &c.

Tenentur autem Prælati ordinis in ſocios Epiſcoporum, & aliorum deputare non niſi diſcretos, & maturos, & moribus approbatos, vt dicitur in declar. cap. de Itinerantibus.

De alijs quibuſcumque extra clauſtra degentibus.

CAPVT LXXXIV.

NOn deſunt quam plurimi, qui cum miſerint manum ad aratrum religionis, retro reſpiciunt, inuoluentes quaſdã fictas neceſſitates, aut ægritudinis, aut inopiæ parentum, ſiue etiam ſtudij, & cuiuſcumque alterius occaſionis, & importunis precibus facultatem obtinent, manendi extra clauſtra, & vt plurimum parochias ſeu capellanias pro ſua ſubſtentatione obtinent, de quibus tanquam de membris ordinis colligenda ſunt, quæ de eis ſancita ſunt.

Leo X. in priuilegio in ordine 12. enarrationem hanc habet.

Motu proprio, & ex certa ſcientia auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus, quod de cætero fratres prædicti (ſ. ordinis noſtri) *ægritudinis, aut ſubueniendi parentum inopiæ ſeu quauis alia occaſionẽ, etiam diſpenſatione ad obtinenda beneficia ac ſi etiam beneficium auctoritate ſedis Apoſtolicæ obtinuerint, præterquam ſi fuerint actu commenſales aliquorum Cardinalium, extra prædictum ordinem, abſque licentia Magiſtri ordinis, & illa durante tantum, pretextu cuiuſcumque facultatis Apoſtolicæ commorari non poſſint. Quodque vnuſquiſque veſtrum (ſ. Magiſter ordinis, Priores Prouinciales, & conuentuales, ac eorum Vicarij in ſua prouincia reſpectiuè, dum, & quoties opus fuerit, fratres extra ordinem commorantes ad ordinem cogere, & compellere poſſitis,* Et infra. *Eiſdẽque auctoritate motu, & ſcientia, ſtatuimus, quod in quibuſcumque literis ad ipſorum fratrum inſtantiam, ſiue ſub annulo piſcatoris, aut ſub plumbo, vel per pænitentiariam impetrandis, ſemper, & indifferenter ſubintelligi de-*

bere, etiamsi apposita non fuerit, illa particula de licentia suorum Prælatorum, & illa durante decernentes prædictas litteras, sine huiusmodi clausula nullius esse roboris, aut momenti.

Cum autem accideret multos à S. Sede Apostolica variis prætextibus facultatem habere habitandi extra claustra retento habitu,& solos per ciuitates,& villas incedere, & minus honestè se habere, propter quos religiosi claustra colentes apud seculares culpabiles illorum prauis moribus iudicabantur, ob id Vicarius generalis Congregationis Lombardiæ à Clemente 7. impetrauit, vt huiusmodi extra claustra vitam ducentes aliquo signo à claustralibus secernerentur,& huiusmodi Constitutionem promulgauit, quæ inter eius priuilegia locum secundum obtinet.

Clemens Papa 7. Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Exposuit nuper Venerabilis frater noster Laurentius Episcopus Prænestinus Cardinalis Sanctorum quatuor coronatorum ordinis Prædicatorum Protector, quod quandoque fratribus dicti ordinis à sede Apostolica, vel eius auctoritate conceduntur litteræ, quod ipsi extra domos dicti ordinis habitu suo per eos retento degere possint, quo fit vt tales fratres propter huiusmodi litteras ab ordine exempti, & extra domos ordinis degentes eodem habitu vtantur, quo vtuntur fratres sub Prælatorum obedientia existentes, & in monasterio degentes, cum ab habitu illorum non distinguantur, & interdum aliqua committant propter quæ seculares de fratribus in domibus bene viuentibus, & in nullo culpabilibus, obloquuntur atque scandalizantur. Verum si statueretur, & ordinaretur, quod tales fratres extra domos ordinis retento habitu standi licentiam habentes, dum eos in ciuitatibus, oppidis, & villis in quibus domos vestræ congregationis esse contigerit, pallium, & biretum nigrum, cum in publicum incedent, deferre teneantur ex hoc honori fratrum dictæ congregationis plurimum consuleretur, & murmurationibus, ac oblocutionibus, & fratrum ipsorum detractionibus prouideretur. Quare idem Laurentius Episcopus etiam tuo nomine nobis humiliter supplicauit, vt in præmissis opportune prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos qui fratres congregationis huiusmodi, tanquam peculiares in visceribus gerimus charitatis, huiusmodi supplicationibus inclinati auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus, quod fratres dicti ordinis ex concessione Apostolica standi extra domum dicti ordinis habitu retento licentiam pro tempore obtinentes, cum in ciuitatibus, & locis in quibus domus dictæ congregationis fuerint, publicè pallium, & biretum nigrum deferre teneantur. Alioquin concessio, & litteræ Apostolicæ etiam ab officio pœnitentiariæ eis concessæ, nullatenus suffragentur, possitque contra eos per earumdem domorum Superiores quacumque exceptione eis concessa non obstante, procedi ipsique capi, & carcerari, & iuxta dicti ordinis instituta regularia puniri in omnibus, & per omnia, perinde ac si licentia, & litteræ prædictæ sibi si concessæ non fuissent: cæterum, quia difficile foret præsentes nostras originales litteras ad singula quæque opportuna loca deferri, volumus, & auctoritate Apostolica decernimus, quod eorum transumptis manu publici notarij subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem adhibeatur fides vbique, quæ præsentibus adhiberetur, &c.

A tergo, Dilecto filio Vicario generali congregationis Lombardiæ ord. Præd.

Ex declar. & ordinationibus cap. possunt alia colligi, nam super capite de apostatis dicit glossa, Auctoritas dispensandi fratres, vt maneant extra claustra, tantum penes Magistrum ordinis residet, & ideo iritantur omnes licentiæ concessæ super hoc à Prouinciali, & eorum Vicariis, & inhibetur illis expresse, ne ab huiusmodi fratribus extra ordinem degẽtibus, aliquid pro recognitione, vt hactenus per abusum factum est recipere possint. Et super capite de itinerantibus. Fratres qui licentiam habent officiandi extra ordinem, quandiù sic extra ordinem officiauerint, nec cellam, nec vocem actiuam, aut passiuam in Conuentibus ordinis habere possunt, nec Conuentus eis teneatur, nisi ad suffragia in morte, si vero extra ordinem manserint, sine licentia, & postea ad ordinem redierint etiam cum licentia Superiorum, non possunt habere aliquod prælationis officium, sine expressa licentia Magistri ordinis in scriptis obtenta. Et in omnibus ferè cap. generalibus solet promulgari præceptum formale, annexa etiam pœna excommunicationis latæ sententiæ, vt omnes fratres ordinis extra claustra vitam ducentes, infra mensem ad ordinem reuertantur, & notitiam præstent de licentiis sibi concessis, quæ pariter irritantur, & annullantur, & quandoque excepti fuerunt illi, qui Cardinalibus, aut Episcopis inseruiunt. Et de illorum voce in electionibus canonicis dicitur Romæ 1583. Fratres qui permanent extra Conuentum, quocumque prætextu, & occasione, præterquam pro officio S. Inquisitionis, non censeantur assignati in Conuentibus ad vocem habendam in electionibus, quacumque ratione in illis assignentur, sed omnino exclusi habeantur quo ad electiones, & Romæ 1589. idem confirmatur, & simul declaratur id intelligi debere de voce actiua tantum. Romæ tamen 1601. declaratur, commorantes extra ordinem etiam si inseruiant Cathedrali Ecclesiæ, vel ibi sint Lectores, nec actiuam, nec passiuam vocem habeant. Cæterum quando liceat permanere extra claustra pro subleuanda inopia parentum, dicetur infra, cap. de apostatis.

Aduertatur, etiam non licere fratribus extra claustra se continere ratione studij. Nam Conc. Trid. sess. 25. cap. 4. de regul. id prohibet his verbis.

Illi autem qui studiorum causa ad vniuersitates mittuntur, in Conuentibus tantum habitent, alioquin ab ordinariis contra eos procedatur.

Et idem Concilium sess. 14. cap. 11. de reforma habet tale decretum circa translatos de vna religione ad aliam.

Quia vero regulares de vno ad alium ordinem translati facile à suo Superiore licentiam standi extra monasterium obtinere solent, ex quo vagandi, & apostatandi occasio tribuitur, nemo cuiuscumque ordinis Prælatus, vel Superior vigore cuiuscumque facultatis aliquem ad habitum, & professionem admittere possit, nisi vt in ordine ipso ad quem transfertur sub sui Superioris obedientia in claustro perpetuo maneat, ac taliter translatus, etiam si Canonicorum regularium fuerit, ad beneficia secularia etiam curata, omnino incapax existat.

Et vere, qui religiosus monasterium, & cellam deserit, negociis secularibus se immiscens in multis peccatis, & tentationibus se immergit. Et

de

de laudibus cellæ hæc pauca notabis. Qui in cella residet à periculis multis liber est, qui foris vagatur, innumeris tentationibus patet. Bona cellæ nequeunt sufficienter explicari, sicut nec detrimenta extrauagantium. Custos cellæ custos est linguæ, non audit detractiones, non percipit rumores, non videt vanitates, non trahitur ad leuitates. Bonus cellita, aut legit, aut orat, aut gemit, aut meditatur, aut scribit, aut aliud bonum operatur. Bonus cellita ciuis est cæli, amicus Dei, socius angeli, cognitor secretorum, victor tentationum, expulsor dæmonum, debellator vitiorum, contemptor mundanorum, neglector curarum, possessor quietis, obtentor pacis, amator scripturarum, gustator puritatis, & inspector veritatis. Væ illi qui leui occasione eam deserit, & sibi extra manere placet, quia cito seducetur, & capietur. Et sicut stabili homini cella Paradisus est, ita vago carcer videtur, & funis. Elige ergo tibi magis propter Deum in carcere detineri, & compedibus ligari cum martyribus eius, vt possis illorum meritis coæquari. Memento columbæ egressæ ab arca Noe, quæ cum non inueniret vbi requiesceret pes eius, subito ad arcam reuersa est, quam apprehensam manu, Noe in arcam inclusit. Memento & corui, qui egrediebatur, & non reuertebatur fecibus attractus, Ne ergo sis coruus, sed columba, aut columbæ pennas habens, vt in solitudinem volans ibi quiescas.

Finis secundæ Partis.

SVMMARII

Pars Tertia,

DE FORMA ELECTIONIS CANONICÆ, DE ELIGENTIVM, ET ELIGENDORVM QVALITATIBVS.

Et quorumcumque Prælatorum institutione, auctoritate, & officio, simulque de quibuscumque capitulis.

De triplici modo eligendi Prælatos.

CAPVT I.

PRIORES conuentuales, à suis Conuentibus secundum formam canonicam eligantur, videlicet à maiori parte vltra medietatem omnium eligentium, vel per scrutinium, vel per compromissionem, vel per communem inspirationem, aliis subtilitatibus iuris relegatis, quod similiter in electione Magistri ordinis, & Prouincialium, obseruetur. *Cap. de electione Prioris.*

Triplex hic modus electionis, habetur cap. Quis propter de elect. vbi Innoc. Papa sic diffinit.

Statuimus, vt cum electio fuerit celebranda, præsentibus qui debent, & volunt interesse, assumantur de collegio fide digni, qui secreto & sigillatim vota cunctorum disquirant, & in scriptis redacta publicentur in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interposito, vt is collatione habita eligatur, in quo omnes, vel maior pars, & sanior capituli consentit. Vel saltem potestas eligendi aliquibus, viris idoneis committatur, qui voce omnium Ecclesię viduæ prouideant de pastore, aliter electio facta non valet, nisi fortè communiter ab omnibus esset quasi per inspirationem sine vitio celebrata.

Ex formulario nostro habetur, electionem per compromissum fieri hoc modo, nam præmissis his quæ præmittenda dicentur electioni per scrutinium, oportet, vt omnes in hanc formam conueniant, quoniam vno contradicente, non potest procedi per viam compromissi. Accepta igitur hac via, debet ab eis eligi vnus, aut plures compromissarij, quandoquidem in.

vnum, & in plures compromittere possunt electores. Deinde debent illi vel illis committere electores vices suas, & dare liberam, vel limitatam facultatem prout eis placuerit, & ius eligendi, cum protestatione quod illum accipient in Prælatum, quem ille, vel illi, aut maior pars illorum eligent, nec eum refutabunt. Quam facultatem electores reuocare possunt re integra. i. antequam incipiant compromissarij tractare de electione, & postquam inceperint tractare, non est in potestate eorum pro ea vice reuocare. Accepta autem potestate, compromissarij separent se in parte, & simul conferant, & deliberēt de persona idonea, quæ tuta conscientia eligi possit. Possunt etiam eligere vnum de seipsis. Deinde si concordauerint omnes, vel maior pars illorum, ad capitulum redeant, & vnus illorum, non autem omnes, formet decretum sic. Ego frater N. de voluntate fratris A. & fratris B. collegarum meorum, in quos vnanimiter à capitulo compromissum est, & data potestas eligendi Prælatum Conuentus N. vice mea, & ipsorum, & aliorum ius habentium in electione, prouideo de Prælato tali, & eligo F. N. in Priorem N. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Si compromissarij non sunt de capitulo non debent dicere, vice mea, sed vice totius capituli. Et quamuis compromissarius magis propriè dicat, prouideo, quam eligo, si tamen diceret eligo non officeret.

Electio vero per communem inspirationem fit hoc modo, si consistentibus fratribus in capitulo pro electione facienda, nullo præcedente speciali tractatu, quasi diuino nutu moti, omnes in aliquem repente consentiunt, simulque eum nominant, & eligunt vna voce, dicentibus omnibus. Ego A. eligo N. Ego B. eligo N. Ego C. eligo N. & sic de aliis, hic dicetur electus per communem inspirationem. Quæ electio licet ex singularibus sit facta non tamen dicitur plures, sed vna omnibus communis, propter vnanimitatem voluntatis, & votorum. Et licet credibile sit, quod à Spiritusancto procedat, quia tamen de diuina inspiratione non constat, formare debet decretum, & examinari an à Spiritu sancto sit, qui est Spiritus consilij, & peti confirmatio.

Modus vero electionis per scrutinium ita describitur cap. de electione Prioris.

Cum autem per disquisitionem, & scrutinium procedit electio, vota eligentium recipiantur, & conscribantur per Vicarium electionis, & duos fratres, qui primitus habitum nostri ordinis susceperunt, si tamen post professionem, à nostro ordine nullatenus discesserunt, nisi per Magistrum ordinis, vel capitulum generale, aut prouinciale, fuerit cum eis dispensatum, & facta collatione numeri ad numerum, si maiorē partem medietate omnium eligentium, in vnum conuenisse inuenerint, qui primam vocē habuit inter electores scrutinium publicet, & surgens dicat, Ego N. vice præsentium electorum eligo N. in Priorem N.

Resecata sunt quædam verba ab hac constitutione propter decretum Concilij, de quo infra

De electione secundum formam Conc. Tridentini.

CAPVT II.

Concilium Tridentinum sess. 25. de regul. cap. 6. decernit electiones ita fieri debere in posterum.

In electione Superiorum quorumcumque & etiam Abbatissarum, & Praepositarum quo omnia recte, & sine fraude fiant, in primis S. Synodus districte praecipit omnes supradictos eligi debere per vota secreta, ita vt nomina eligentium nunquam publicentur, neque in posterum liceat, Abbates, Prouinciales, Priores, aut alios titulares quoscumque, ad effectum electionis faciendae constituere, aut voces, & suffragia absentium supplere. Si vero contra huius decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit. Et is qui ad hunc effectum, se in Praelatum creari permiserit, deinceps ad omnia officia in religione obtinenda inhabilis existat, facultatesque super his concessa, eo ipso abrogatae censeantur, & si in posterum aliae concedantur, tanquam subreptitiae habeantur.

Praecipuum quod de nouo diffinitur in hoc decreto est, vt vota eligentium nunquam publicentur, alia vero in eo vetita, reseruantur annotanda cap. de eligentium qualitate. Hic autem erat mos ante concilium in formando scrutinio, vt habetur ex Constitutionibus, & declarationibus illarum, quod eligentes sigillatim accedebant ad scrutatores, & singuli oretenus eligebant, & postulabant quos volebant, & Vicarius cum scrutatoribus in scriptis redigebant vota eorum. Deinde collationem numeri nominatorum faciebant. Et si inueniebant aliquem electum fuisse à maiori parte vltra medietatem eligentium, publicabant vota, & eligentium & eorum qui electi erant, postea interrogabant eos qui illum non elegerant, num vellent, de nouo in electum à pluribus consentire, & illis consentientibus, vel non consentientibus formabatur decretum. Quem morem supradicto decreto abstulit Concilium. Et nunc hic modus seruari debet, quem patres tradiderunt Bono. 1564.

Singuli electores in schedula scribant, aut scribi faciant electi nomen, eligentis autem nomen nunquam scribatur, nec scrutatoribus, nec confirmatori nunquam reueletur. Ad recipiendum vero praedictas schedulas, tres scrutatores à Constitutionibus deputati sedeant, quibus Conuentus possit addere quatuor quem electores eligant in capitulo per schedulas tribus primis exhibendas, & qui plures habuerit voces, quamquam vota non excedant medietatem, ille nihilominus sit quartus scrutator. Quod si duos aequalia vota habuisse constiterit, ille praeferendus est, qui erit antiquior in ordine, ita quod ex primo scrutinio, quartus ille scrutator semper habeatur, pro ea dumtaxat electione. Postquam vero praedicti tres, aut quatuor scrutatores, ad mensam in conspectu omnium sederint, schedulas inuolutas ab electoribus accipiant, & in vrnam, aut capsulam demittant, nihil aliud respicientes nisi quod vna

il

tantum ab vno exhibeatur; Postquam omnes acceperint in communi effundant, & legant. Et facta collatione numeri ad numerum, cum inuenerint aliquem extra numerum eligentium, existentem fuisse electum à maiori parte vltra medietatem omnium eligentium, eius electio rata, & legitima habeatur. Si verò de numero eligentium, aliquis electus fuerit, vt illius electio rata, & legitima habeatur, duo vota vltra medietatem adesse oportet, ne fraudi locus sit, & ne possit aliquis eligere seipsum. Habito schedularum numero, & facta collatione numeri ad numerum, schedulæ omnes in præsentia omnium electorum exurantur, deinde in medium capituli venientes scrutatores, nomina publicent eorum, qui fuerunt electi, exprimendo numerum votorum, quæ vnusquisque habuit. Quod etiam faciendum est licet nullus fuerit à maiori parte vltra medietatem electus, vt ad secundum scrutinium possint dirigi electores. Decretum verò electionis ab eo, qui inter scrutatores fuerit primus, quamuis electo suum votum non dederit, per hæc verba formetur. Ego frater N. vice præsentium electorum, eligo fratrem N. in Priorem N. Quod si primus scrutator fuerit electus, secundus scrutator succedat in publicando scrutinio. Et ea solum, quæ in capitulo publicantur in decreto electionis, ad confirmatorem mittenda scribenda sunt, subscriptis nominibus scrutatorum, clausum verò & sigillo munitum ad confirmatorem transmittatur.

Hic modus electionis seruetur in electione Magistri ordinis, & Prouincialium, & Priorum, & Diffinitorum capituli generalis, & prouincialis, & socij Prioris euntis ad capitulum prouinciale. Quibus addi potest electio electoris Magistri ordinis, quia in capitulo de electione Magistri ordinis habet constit. hæc verba.

Prouinciales singuli cum duobus fratribus, in capitulo Prouinciali electis à pluribus medietate omnium eligentium, ad capitulum generale veniant.

Hi autem duo fratres sunt Diffinitor, & elector. Socij verò Prouincialium, & Deffinitorum euntium ad capitulum generale eligātur eodem modo à Diffinitoribus capituli prouincialis, vel designentur per eos sicut antea fieri consueuit. In receptione autem nouitiorum ad habitum, & professionem, & in præstando consensu in contractibus, qui circa negocia temporalia fieri solent, nihil innouatum censeatur.

Scrutinium autem super retentione, vel absolutione Prioris, tum prouincialis tum conuentualis, fiat secundum antiquum morem ordinis, qui est, vt fiat cum expressione nominum, & officiorum fratrum exprimentium vota sua, vt traditur de Prouinciali cap. de capitulo prouinciali, & Romæ 1571. de Priore. Præterea in illis prouinciis in quibus ex indulto Apostolico, vel probata, & diu recepta consuetudine, præter nomen electi in schedula solent etiam apponi alia nomina eorum, qui postulantur, ea consuetudo deinceps conseruetur, & nomina eorum, qui postulantur, & numerus postulantium in capitulo publicentur, & in scrutinio notentur, quando aliqui sufficienter postulati inueniuntur.

Circa prædicta aliqua occurrunt notanda. Nam cum scribuntur schedulæ obseruetur id quod fuit statutum Barch. 1574. vbi præcipitur districte, ne in eis præsumat aliquis imprimere, aut inscribere, seu annectere aliquam notam, vel caracterem, seu signum cuiusuis rationis, vnde possit nomen, vel persona eligentis cognosci, priuatique declarantur vtraque voce id facientes, inducentesque, & consentientes. Quæ schedulæ ita conscribi debent, Eligo F.N. in Priorem Conuentus N. & postulo F.N. & F.N. ad idem officium. Cum dicitur scrutatores, debere prospicere tantum, quod vna ab vno sola exhibeatur schedula, declaratur, id commode fieri posse, si postquam omnes schedulæ fuerint receptæ, numerentur antequam aperiantur, & si inuentum fuerit numerum earum, non esse æqualem numero eligentium, statim sine apertione comburantur, si verò sint in æquali numero aperiantur, legantur, &c. Collatio autem numeri ad numerum, non oportet quod fiat quando aliquis vnanimiter ab omnibus electus est, sed sufficit, quod qui præest dicat, cum simus tot electores, omnes elegerunt F. N. At quia secundum nostras Constitutiones electiones factæ à maiori parte vocalium vltra medietatem sunt canonicæ, requiritur collatio numeri ad numerum, & non zeli ad zelum. Imo, vt grauissimis discriminibus obuietur, prohibetur, quod post decretum electionis formatum, & si non sit facta collatio zeli ad zelum, nullus præsumat ad aliam electionem procedere, vel aliud electionis decretum formare, sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, quam ipso facto incurrant, & ad quam restitui non possint, nisi per Magistrum ordinis. Publicato etiam scrutinio electores vocem suam mutare non possunt, ante vero publicationem tam electores, quam scrutatores illam mutare poterunt. Quod quidem ante Concilium seruari poterat, quando electiones ore fiebant, nunc autem hæc declaratio, ad hoc tantum seruire potest, quod si aliquis electorum absens adueniret dum electio celebratur, ante publicationẽ scrutinij, posset schedulam suam cum aliis apponere, q uod non posset, si post publicationem adueniret

Quod ad sufficientiam votorum in electionibus, quæ non sunt vnanimes obseruetur, quod traditum fuit Bononiæ 1564. supra notatum. s. quod si aliquis de numero electorum fuerit electus, oporret, vt duo vota habeat vltra medietatem, declaratur (his verbis non obstantibus) sufficere, vt talis sit electus, quod vltra votum suum, sit etiam nominatus à maiori parte vltra medietatem, quod fit ne forte iste seipsum eligat. Vt si electores sunt septem, maior pars medietate illorum sunt quatuor, qui sufficiunt ad eligendum absentem. Vt autem sufficienter eligatur vnus de collegio, oportet, vt habeat quinque, quia si se ipsum elegisset adhuc habuisset quatuor in eum consentientes.

Si quis autem electorum præsentium propriæ vocis renunciatione medietatem eligentium excesserit in quacumque electione canonica, ea electio irrita habeatur, vt Romæ 1571. sancitum fuit, & confirmatum Barch. 1574. & Romæ 1580. Et Romæ 1583. additur eam electionem dici, & esse nullam ex parte electionis, non ex parte electi, ita quod non possit de nouo eligi. Et Romæ 1589. amplius declaratur, & dicitur, quod ille qui est de nu-

mero electorum, & reuera poteſt adeſſe electioni, ſiue interſit cum aliis, ſiue non interſit, debet neceſſario habere duo vota vltra medietatem eligentium, vt ritè, & canonicè dicatur electus, ſicuti de illo, qui propriæ voci renuntiat. Et adhuc in eodem cap. declaratur quod ſi quis nec voci propriæ renuntiare, nec votum ſuum dare voluerit, ſed neutraliter ſe habere dixerit, tamquam ſi voci ſuæ renuntiaſſet cenſendus eſt. Qui verò contra tenorem huius decreti, quempiam electum confirmauit, pœnis quæ contra illegitimos confirmantes inferuntur, puniatur. Et confirmatio nulla ſit, & inualida. Notandum autem eſt id quod traditum fuit Pariſiis 1611. ſ. In Conuentu in quo ad minus non ſunt ſex vocales, nullo modo eligatur Prior, qui ſit de corpore capituli, ſed ab extra.

De ſcrutatoribus.

CAPVT III.

SCrutatores vocantur, qui cum Vicario electionis aſſident, & ſchedulas electionum recipiunt, aperiunt, notant, & conferunt numerum ad numerum, &c. De his notanda ſunt, quæ in Conſtit. & declarationibus habentur, neque idem dici poteſt de quacumque electione, quia alij, & alij in diuerſorum Prælatorum electionibus ſecernuntur. De ſcrutatoribus electionis Priorum dicitur capite ſuo, hoc modo.

Vota eligentium recipiantur per Vicarium electionis, & duos fratres qui primitus habitum noſtri ordinis ſuſceperunt, ſi tamen à noſtro ordine poſt profeſſionem nullatenus diſceſſerunt, niſi per Magiſtrum ordinis, vel capitulum generale, aut prouinciale, cum eis fuerit diſpenſatum.

Et cap. de capitulo prouinciali de eiſdem traditur.

Dictis autem ſcrutatoribus voluntatum, in virtute S. obedientiæ præcipimus quod dictum ſcrutinium alicui per modum aliquem non reuelent. Quod ſi aliquis, vel aliqui de prædictis ſcrutatoribus Prioris conuentualis impedimentum haberent, iudicio maioris partis medietate Conuentus, ad audiendum, ſeu ſcribendum ea, quæ in ſcrutinio deponuntur, vnus de fratribus ad illam electionem pertinentibus, quem vt dictum eſt, maior pars Conuentus nominauerit, loco illius, qui impeditus fuerit, ad recipiendum dictum ſcrutinium admittatur. Et tunc ad ſeruandum ſecretum ſcrutinij tenebitur ex Præcepto, ſicut & alij.

Ex declarationibus vero dictorum cap. de electione notanda ſunt hæc: Scrutatores non debent eſſe, qui primitus habitum ordinis ſuſceperunt, ſed qui poſt profeſſionem diutius illum portauerunt. Hoc dicitur propter apoſtatas, qui cum ſint voce priuati ad electionem non debent admitti, & ob id non poſſunt eſſe ſcrutatores, quoadusque diſpenſati fuerint. Quæ diſpenſatio non debet fieri ante tres annos. Et quando etiam facta ſit, anni

apostasiæ non computari debent eis quoad locum, sed stare debent sub illis, qui habent plures annos in ordine. Et propter hoc dicitur scrutatores eos esse, qui diutius habitum ordinis post professionem portauerunt. Prædicti autem scrutatores non debent esse nec surdi, nec cæci, sed debent esse tales, quod possint audire, scribere, & legere. Et alibi dicitur, si aliquis ex scrutatoribus habuerit aliquod impedimentum surditatis, vel cæcitatis, vel alterius infirmitatis, tunc & eo casu admittendi erunt, non qui antiquiores sunt in ordine post eum qui impedimentum habet, sed ille, vel illi quem vel quos maior pars vltra medietatem vocalium elegerit, qui tamen de numero vocalium esse debet. Si tamen quartus scrutator superaddendus est, non erit necesse eum eligi à maiori parte vltra medietatem, sed sufficit, quod habeat, plura vota in comparatione aliorum. Et si duo æqualia vota habuerint, erit scrutator quartus antiquior in ordine. Crederem tamen modo non debere opponi scrutatoribus surditatem, vt opponebatur ante Concilium, quia tunc scrutinium formabatur verbis, nunc autem, scripto, vt supra tactum fuit. De Vicariis vero electionum differemus infra iuxta varietatem electionum.

De obseruandis in electione canonica.

CAPVT IV.

SVmmarie colligendo omnia quæ obseruari debent, ad hæc capita illa reducemus, prætermittendo tempus electionis de quo infra dicetur suo capite.

Primò, legendæ sunt Superioris litteræ, quibus admonet procedendum esse ad electionem ob amotionem vel absolutionem præcedentis Prioris, in quibus nullus in particulari est electoribus præponendus nisi adsit necessitas, & eo casu non minus quam tres proponi debent. Cæterum si electores non propositos sed alios dignos elegerint non renuat confirmator vnum illorum confirmare. Hoc habetur Bononiæ 1564. & Valleoleti 1605.

Secundò, vocentur vocales absentes si tamen nuntius pede ad eos potest itinere diei vnius peruenire, & expectentur.

Tertiò, vocatis, & expectatis absentibus admoneantur omnes vocales eo die electionis teneri refici sanctissimo altaris Sacramento, iuxta ordinationem capituli Barchin. 1574. vbi habetur. In omni electione Prælatorum tenentur omnes vocales præmissa sacramentali Confessione, Sanctum Eucharistiæ Sacramentum sumere ante electionem, sub pœna priuationis vocis. Et hora statuta per sonum campanulæ conuocari debent omnes vocales in loco electionis, & præmisso tractatu saltem in communi, de persona idonea eligenda eodem vel anteriori die, debet qui præest proponere, num placeat locus, & tempus electionis, & annuentibus vocalibus acceptatoq; ab eis modo eligendi per schedulas, fiat protestatio, quod non intenditur admittere aliquem qui de iure non est admittendus, nec excludere qui non excludendus.

Quartò,

Quarto, præmisso, Confiteor à fratribus, qui præest absoluat eos à censuris tantum.

Quinto inuocetur ab omnibus genuflexis gratia Spiritus Sancti per hymnum, Veni creator Spiritus, &c. & Ant. Veni Sancte Spiritus, Kyrie, &c. Pater noster, &c. Et ne nos, &c. Emitte Spiritum tuum, &c. Dominus vobiscum, &c. Oremus, Deus qui corda fidelium, &c.

Sexto, Vicarius electionis assumat secum duos alios scrutatores vel tres, iuxta ea quæ supradicta sunt, & cum eis accedat ad mensam in loco electionis præparatam in conspectu omnium.

Septimo prædicti Vicarius, & scrutatores vnus post alium ponant schedulas suæ electionis in vrna supra dictam mensam præparata, post quos succedant sigillatim alij vocales recondentes schedulas suas in eadem vrna.

Octauò, perspiciant scrutatores, num schedulæ in numero sint æquales, vel inæquales electoribus, quod si inæquales fuerint inuentæ, non aperiantur, sed illicò comburantur. Si autem sint æquales, aperiantur, legantur, & notentur omnes qui sunt in schedulis nominati, siue pro electione, siue pro postulatione, & simul notentur vota, quæ quisque habuit, siue in electione, siue in postulatione.

Nono, fiat collatio numeri ad numerum .i. obseruetur quis plura aut pauciora vota habuit. Et si nullus in eis fuit electus à maiori parte vltra medietatem, comburantur schedulæ in medio loci electionis, & subinde publicetur scrutinium exprimendo quot vota quisque habuit in electione, & postulatione. Quod si in dicto scrutinio in quo nullus est sufficienter electus, sint aliqui sufficienter, imo, & vnanimiter postulati, nullum debet formari decretum, quia postulati confirmari non possunt, si nullus sit electus. Si autem aliquis est canonicè electus, combustis schedulis, Vicarius electionis habens librum Constitutionum in manibus cum aliis scrutatoribus in medio loci stans publicet scrutinium vt supra, & illico formet decretum hoc modo. Ego frater N. vice præsentium electorum, eligo fratrum N. in Priorem Conuentus N. Et postulo fratrem N. & fratrem N. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Si autem ipse Vicarius sit electus, formet hoc decretum qui antiquior est in ordine scrutatorum.

Decimo iuxta rubricam dicatur legendo psalmus, Laudate Dominum omnes gentes, per choros cum Gloria patri, &c. postea qui tenet capitulum dicat, Adiutorium, &c.

Vndecimo habeantur litteræ præparatæ, in quibus scribantur omnia quæ in tali electione peracta sunt breuiter, in specie vero nomina eorum qui electi sunt, & postulati sufficienter, & etiam addatur, nihil fuisse omissum eorum quæ ad canonicam electionem requiruntur, & præcipuè formationem decreti. Quæ litteræ à singulis scrutatoribus manu propria subscribantur, & sigillo Conuentus roborentur, & ad confirmatorem quantocius transmittantur. Solent etiam fieri duæ copiæ authenticæ scrutinij, quarum altera conseruatur in capsa oblationis, vt si altera pereat, ista mitti possit. Hæc omnia ex præmissis collecta sunt.

De postulatione canonica.

CAPVT V.

PRiores supradicto modo, secundum formam canonicam electi, à prouinciali si ei benè visum fuerit, confirmentur. Idem etiam fiat si aliquis à maiori parte illorum ad quos pertinet electio, de alio Conuentu postulatus fuerit. Item electiones siuè postulationes in nostro ordine per scrutinium, si hoc solum obseruatum fuerit, quod maior pars medietate consenserit, possunt à confirmatore pro canonicis approbari. *Ex cap. de electione Prioris.*

Electionibus Priorum, & Prouincialium, in nostro ordine, postulatione; etiam annecti possunt ex priuilegiis Apostolicis, ita vt si contingat electum aliqua ex causa confirmari non posse, poterit in Prælatum concedi postulatus. Et hoc priuilegium fuit ordini concessum ab Alexandro 4. & ratificatum à Sixto pariter 4. in Mari magno eisdem verbis, quæ sunt.

Auctoritate præsentium, de gratia speciali concedimus, vt cum in aliquo ordinis vestri capitulo, vel Conuentu, de Prouinciali aut Priore occurrit electio facienda, si ex aliqua causa factam electionem à fratribus quorum interest, non contingat confirmari, Superior ad quem confirmatio pertinet, aliquem de illis quos ipsi electores, vel maior pars per literas suas ab eo petierint, quando ad ipsum pro electi confirmatione transmittunt, eis de nostra licentia concedere valeat in Priorem. Per hoc enim, & discursus fratrum, & alia impedimenta quæ possent occurrere, credimus euitari, &c.

In capitulo Bononiensi 1564. de postulationibus dicitur. Declaramus, vt in illis prouinciis in quibus, vel ex indulto Apostolico, vel ex consuetudine recepta, præter nomen electi, solent apponi nomina alia eorum qui simul postulantur, ea consuetudo deinceps seruetur, & nomina postulatorum, numerusque postulantium in capitulo publicentur. In formulario etiam ordinis capite de postulationibus, hæc annotantur. Non oportet multum sollicitos esse in electionibus nostris ad sciendum, & quærendum quid secūdum iura, & sacros canones seruandum sit in postulationibus, sed sufficit nosse practicam ordinis, & quæ in verbis literarum apostolicarum prædictarum sunt expressa. Illud tamen scire necessarium est, quod traditur Romæ 1553. quod cum in eis dicitur (quos per literas petierint) per has literas intelligi debent scrutinia electionis. Hæc autem sunt verba præfati capituli. Si electio fiat per scrutinium iuxta seriem nostrarum Constitut. electores exhibeant schedulas scrutatoribus, in quibus si aliquos postulare cupiant, ita notent. Eligo in Priorem fratrem A. & postulo fratrem B. & fratrem C. & quot quisque voluerit. Et qui inuentus fuerit præter electum à pluribus vltra medietatem nominatus, dicetur in illo scrutinio postulatus, ita vt aliquando contingere potest præter electum plures esse sufficienter postulatos, & postulatum habere plura vota quam habeat electus, & electum à pluribus esse etiam ab aliis postulatum, & postulatum à pluribus, ab

aliis electum esse, in quibus casibus postulationes multum fauent nominatis, adeo vt electoribus existentibus decem si quis eligeretur à septem, & postularetur à tribus reliquis, perinde esset ac si electus esset ab omnibus. Item electoribus existentibus decem, si quis postularetur à quinque & eligeretur à duobus, dicetur postulatus à maiori parte, & posset confirmari. Non tamen potest mitti ad confirmatorem sola postulatio, nec posset confirmari postulatus nulla existente electione, quoniam priuilegium indulget vt possit confirmari postulatus, quando aliquo casu electus non posset præfici, vbi ergo electio non est canonicè facta, non habet locum priuilegium postulationis confirmandæ. Cum ergo præter electum contingit aliquem vel aliquos postulari à maiori parte vltra medietatem, debent nominari in decreto cum electo dicendo. Ego vice electorum eligo in Priorem fratrem N. & postulo fratrem N.& fratrem N.&c. Et idem in scrutinio quod mittitur ad confirmatorem debet scribi, Pater N. habuit tot vota in electione, & Pater frater N. tot in postulatione, dummodo semper vota excedant medietatem omnium eligentium.

Cum autem dicitur in Constitut. (si quis de alio Conuentu fuerit postulatus) declaratur quod alias eligebantur qui erant de collegio eligentium, & postulabantur qui erant de alieno Conuentu, nunc vero possunt etiam extra existentes eligi, & postulari qui sunt de collegio dummodo semper in decreto, & scrutinio eligendus nominetur per verbum eligo, & postulatus per verbum postulo.

De eligentium qualitatibus.

CAPVT VI.

FRatres post quatuor annos à professione sua, si tamen sint in sacris constituti, ad electionem Prioris admittantur. Infra vero idem tempus ipsi nullatenus in Priores eligantur, nec in socios Priorum, nec in electores Prouincialium. *Cap. de electione Prioris.*

Infra quinquennium ab ingressu ordinis non admittantur fratres ad electionem. *Cap. de cap. Prouinciali.*

Multæ sunt qualitates requirendæ in his qui ad præbendum votum in electionibus admitti debent. Interim autem solum eas prospiciemus quæ ad electionem Priorum requiruntur, alibi remittendo quæ in electoribus Prouincialis, vel Magistri ordinis exiguntur. Dicitur autem in textu hoc, duo requiri in electore, primum quod sit in sacris constitutus .s. ad minus insignitus ordine subdiaconatus. Quod, & Conc. Trid. statuit sess.22. cap.4. his verbis.

Quicumque in cathedrali, vel collegiata seculari, vel regulari Ecclesia diuinis mancipatus officiis in subdiaconatus ordine saltem constitutus non sit, vocem in huiusmodi Ecclesiis in capitulo non habeat, etiam si hoc sibi libere ab aliis concessum sit.

Alterum est, quod annos quatuor à professione compleuerit. De vtroq; autem aliter postea statutum fuit. Nam Valentiæ 1596. hæc emanauit ordinatio. Ordinamus auctoritate Apostolica neminem in posterum in quauis

electione canonica vocem tam passiuam, quam actiuam habiturũ, qui duodecimum annum à professione non compleuerit. In prouinciis vero Indiarum octauum ad minus. In cap. sequenti Neapoli 1600. extensum fuit hoc decretum etiam ad electiones Priorissarum, nam ibi habetur. Ordinationem factam auctoritate Apostolica in capitulo Valentino ad moniales de facto extendimus, ita quod quæ duodecimum annum à professione non compleuerint, ad electionem Priorissarum actiuæ, vel passiuæ nullo modo admittendæ erunt. Et Romæ 1601. dicitur. Ordinationem factam auctoritate Apostolica in cap. Valentino, quod fratres non admittantur in quacumque electione canonica, nisi duodecimum annum compleuerint, &c. eadem auctoritate interueniente declaramus debere etiam intelligi de electione sociorum Priorum euntium ad capitulum prouinciale, & de Tertiariis, quæ solemniter sunt professæ.

Stante hoc Apostolico ordine, valde fuit diminutus numerus electorum, ita vt aliquando accideret in paruis Conuentibus duo tantum vocales reperiri, quod inconueniens reputabatur. Vnde Romæ 1601. reperitur declaratum. Quod si aliquando in aliquo Conuentu sint tantum duo vocales, adiungantur alij vsq; ad quinarium numerum ex his qui quatuor annos habent à professione, & sint in sacris ab antiquioribus incipiendo, quod si tot non suppetant, addantur saltem vsq; ad ternarium, & tunc eligant isti Priorem. Si autem tot etiam non reperiantur, sed sint tantum duo, Prouincialis de consilio quatuor ad minus patrum grauiorum, maxima cum consideratione prouideat. Et cum per hoc non videretur etiam sufficienter prouisum fuisse, tandem Romæ 1608. exiit hoc statutum. Nunc propter iustas causas, habito viuæ vocis oraculo à Sanctiss. D. N. Paulo Papa 5. de auctoritate Apostolica, non obstante præfata ordinatione Valentini capituli, eiusdemque per duo capitula sequentia confirmatione, statuimus, & ordinamu, vt fratres vocem actiuam habeant in quacunque electione canonicas, dummodo expleuerint sex annos integros à professione, & sint Sacerdotes. Conuentu Parisiensi excepto in quo declaramus ordinationem capituli Valentiæ in suo robore permanere. Et ita in posterum seruandum est, vt electores, & sacerdotes sint, & habeant sex annos completos à professione.

Alia qualitas requisita in eligentibus est vt sint assignati In eo Conuentu in quo electio fieri debet ante mensem electionis, super qua multæ sunt editæ ordinationes, & declarationes. In primis autem seruanda est Constitutio quæ habetur cap. De certis detractionibus, &c. quæ huiusmodi est.

Volumus quod ordinatio capituli Burdegalensis de mutationibus fratrum seruetur, quæ est infrascripti tenoris. Cum electiones nostræ maximè liberæ esse debeant, & omni nota coactionis carere, districtè iniungimus Prouincialibus, & quibuscumq; Vicariis, quod infra mensem ante electiones quascumq; nouas assignationes, & mutationes fratrum non faciant in Conuentibus in quibus electiones sunt celebrandæ, nisi pro officio lectoriæ, vel pro prioratu, vel pro graui scandalo euitando, vel nisi in

prouinciali capitulo, vel in loco prouincialis capituli ſicut in aliquibus prouinciis conſuetum eſt. Quod ſi contrarium factum fuerit, huiuſmodi aſſignationes, vel mutationes, quoad priuationem vocis in Conuentu de quo fient, & quoad vocem in Conuentu vbi fiunt, ſuum non ſortiantur effectum. Prouinciales autem contrafacientes per Magiſtrum ordinis, vel per Diffinitores capituli generalis (cum legitime conſtiterit) à ſuis officiis abſoluantur. Vicarij vero omni officio ordinis ſint priuati per tres annos. Nec fratres poſſunt priuari voce infra idem tempus, niſi ob cauſas in cap. grauioris culpæ contentas.

Qualis autẽ ſit iſte menſis in quo non poſſunt fieri aſſignationes, non eſt facile videre ob diuerſas declarationes, patrũ. Certũ tamẽ eſt primo quod in eo mẽſe in quo inſtat electio qui incipit à die notitiæ datæ vocalibus de carẽtia ſui Prioris, nõ poſſunt fieri aſſignationes. Hunc eſſe ſenſum prædictæ Cõſtitutionis patet ex eius declaratione, in qua habetur. Declaramus, quod ſtatutũ tẽpus eligendi Priores eſt vnus menſis, in quo fratres eligere poſſunt, & infra iſtũ menſem non debent augeri, nec diminui voces qui menſis incipit à notitia carentiæ Prioris. Nec etiam debent fieri mutationes vocalium infra hunc menſem poſt celebratam electionem, donec electio ſuum habuerit effectum, cum ſemper medio iſto tempore electio maneat in ſuſpenſo & poſſit caſſari. Antequam vero incipiat hoc tempus electionis, bene poſſunt fieri aſſignationes, quia Conſtitutio non prohibet aſſignationes fieri ante menſem, ſed infra menſem electionis, quod tempus incipit currere à die notitiæ abſolutionis Prioris, & non à die reuocationis officij. In cap. Romano 1601. idem ſenſus affertur, nam dicitur declaramus Conſtit. illam de menſe electionis &c. debere ſic intelligi, menſem electionis incipere à die carentiæ Prioris, infra quem menſem electores eligere debent, aliter tranſacto illo menſe nulla facta electione, deuoluitur ius ad Prouincialem. Quod ſi aliquem canonicè elegerint, & contigerit electionem caſſari, incipiat alter menſis à die notitiæ caſſationis illius.

Sed Romæ 1589. aliquid aliud additur de vi aſſignationum factarum ante dictum menſem electionis, & dicitur. Declaramus ad tollendam quãcumq; fraudem, & ſi opus eſt ſtatuimus, quod ad hoc vt aliquis vocem habeat in electione, non ſufficit quod ante electionis menſem fuerit aſſignatus in eo Conuentu in quo electio facienda eſt, ſed adhuc oportet quod Prælato, & Conuentui illi in quo denuo eſt aſſignatus conſtet re vera de dicta aſſignatione ante menſem. Et Venetiis 1592. ſtatuitur, vt huic declarationi addantur iſta verba. Excipitur caſus mortis ipſius Prioris quando iam nulla fraus præſumi poteſt. Ex his tamen quæ modo dicenda ſunt, videtur tales fratrum mutationes non debere fieri neque per menſem immediate precedentem electionis tempus, nam in declarationibus Conſtit. prædictæ, cuius declarationi nunc intendimus dicitur Cum per Conſtitutionem Iulij Papæ II. Priores, & Prouinciales facti ſint temporales, & fere per totum ordinem hoc obſer-

uetur,& consequenter sciri potest tempus vacationis Prioris, ideo non debent fieri mutationes fratrum infra mensem dictæ vacationis, seu absolutionis Prioris. Vnde Romæ 1564. Admonētur Prouinciales vt abstineant à mutationibus fratrum in Cōuentu in quo celebranda est electio, etiam si Priori vnus mēsis adhuc supersit sui officij, nisi in casibus Cōst. expressis. Verūtamē ablata est omnis difficultas de hoc, cum Romæ 1601. ordinatum sit ex mandato S. D. N. ne duobus mensibus ante electionem Prioris vllæ fiant assignationes. Quæ ordinatio acceptata fuit Valleoleti 1605. & additur quod si factæ fuerint, assignati vocem non habeant in dicto Conuentu in quacumque electione quousque aliquis fuerit confirmatus.

Et Parisiis 1611. dicitur. Ad cauendas omnes fraudes in electionibus tam Priorum, quam sociorum pro capitulo prouinciali, ordinamus, vt non fiant assignationes dolosæ, ac fictitiæ, sed ad eos tātū pertineat electio, qui realiter, & bona fide sunt in illo conuentu assignati, & in eodē saltē per duos mēses, realiter & bona fide. Cōuentui inseruientes ante electionem permanserunt.

De tempore autem electionis Prouincialis dicitur in declarationibus ca. de electione prouincialis. Volumus quod sicut imminente electione Priorū non possunt fieri mutationes fratrum infra mensem ante electionem prædictam, nisi in casibus vt supra, ita non fiant mutationes, priuationes vocum, absolutiones Priorum, à die notitiæ carentiæ Prouincialis in illa prouincia, vsque ad notitiam confirmationis eiusdem, nisi in casibus prædictis. Hi autem casus in Constitutionibus, expressi, sunt assignationes faciendæ pro lectoria, vel Prioratu, aut pro graui scandalo euitando, aut quæ factæ sunt tempore capituli, vel in loco capituli vbi consuetum est. Cum autem dicitur assignationes fieri posse infra mensem ratione Prioratus, hoc intelligendum est iuxta declarationem capitis de electione Prioris quod Prior vnius Conuentus non potest habere vocem in alio Conuentu, nisi institueretur Vicarius illius ad tempus, vt habetur cap. Constitutis, & cap. vlti. de reli. Et cap. cum singula de præbend. lib. 6. Et vniuersaliter vnus non potest habere vocem in duobus Conuentibus separatis, quorum vnus ab alio non pendeat. Cum vero dicitur eas fieri posse ratione lectoriæ, hoc certum est de lectoribus qui doctores Conuentuum vocantur, an autem idem fieri debeat iudicium de sublectoribus, qui sunt coadiutores illorum, iudicent & declarent Superiores. Cum etiam dicitur assignationes posse fieri in capitulo ita exponendum est iuxta declar. capituli, de certis detrac. quod capitulū durat per dies decem in quibus fieri possunt assignationes, & factę vim habent, secus autem dicendum est de factis ante vel post capitulum, quia istæ nullæ sunt, neque credendum est huic declarationi obstare decretum Pontificium de duobus mensibus, sicut nec de assignationibus lectorum aut Priorum, aut ob scandalum factis.

Quando autem Vicarius pro electione facienda mitti possit persoluetur infra capite de electione Prioris.

De extraneis autem siue fratribus aliarum prouinciarum, ita diffinit Constit. cap. de electione Prioris.

Si vero de aliena prouincia fuerint, postquam per annum con-

tinuum in vno aliquo Conuentu alienæ prouinciæ aſſignati morati fuerint, admittantur ad electiones, ſicut & alij in illa prouincia. Et hoc tam ſi ad tempus, quam ſi ſimpliciter ad alienam prouinciam aſſignentur. Intra verò idem tempus non admittantur ad electionem electorum Prouincialis, nec ad tractatus eorum quæ mittenda ſunt ad capitulum generale vel prouinciale.

In declarationibus eiuſdem capitis habetur, quod ſi fratres vnius prouinciæ aſſignentur in vno Conuentu alterius prouinciæ, ſiue pro ſtudio, ſiue quocumque alio modo, non habent vocem, niſi poſt talem aſſignationem ſteterint per annum continuum in vno Conuentu dictæ prouinciæ, intelligitur, quod fuerit continuatio aſſignationis vnius anni, vel maioris partis. Si autem fuerint nedum aſſignati, ſed tranſlati totaliter, & incorporati illi prouinciæ, illico poſt aſſignationem abſque dilatione vocem habebunt, Si tamen alia requiſita in eis reperiantur.

Inſuper eligentes debent eſſe actui electionis præſentes. Vnde Conſtitut. cap. de electione Prioris habet hæc verba.

Electio autem tam Prouincialium quam Priorum, ad illos tantum pertineat electores, qui perſonaliter præſentes in electione extiterint, ſicut fit in electione Magiſtri ordinis.

Et ibidem declaratur, quod licet ſecundum iura electio fieri poſſit ab abſentibus per procuratorem, in ordine tamen id non fieri poteſt, neque etiam per litteras, ſed oportet eos eſſe præſentes, niſi forte in eodem Conuentu eſſent infirmi decũbentes, quia tunc ſcrutatores ad eos accedere deberent cũ vrna ad eorum ſchedulam accipiendam. Inſtante tamen electione ſi aliqui electores ſint extra Conuentum intra dietam, debent Præſidentes nuntium ad eos mittere. Quod ſi noluerint, aut non potuerint, venire, vel facta diligenti inueſtigatione inueniri non potuerint, poterunt electores poſtquam hoc legitimè conſtiterit electionem celebrare. Per dietam autem vt ſupradictum eſt intelligitur iter quod poſſit facere vnus pedeſter. Hoc idem definitum fuit in Concil. Trid. ſeſſ. 25. capit. 6. in quo dicitur.

Nec in poſterum liceat Prouinciales, Priores, aut alios quoſcumque titulares ad effectum electionis faciendæ conſtituere, aut voces, & ſuffragia abſentium ſupplere, Et ſi quis contra huius decreti Conſtitutionem, fuerit electus, electio irrita ſit.

Et Romæ 1601. nomine S. D. N. hoc idem ſtatutum fuit de Prouincialibus, & Diffinitoribus, qui electioni Magiſtri ordinis conueniunt.

Conuerſi autem à ſtatu ſuo ad ſtatum clericorum tranſlati admittuntur ad electionem, vt habetur in declarationibus cap. de elect. Prioris; poſt quinque annos completos, à ſuſceptione habitus clericalis. Et hic notabis quod in cap. de capitulo prouinciali dicitur etiam de clericis, quod infra quinquennium ab ingreſſu ordinis ad electiones admitti non debent, quod vt ibidem declaratur, non contrariatur ei quod ſupradictũ eſt electores debere habere quatuor annos completos à profeſſione, quia tunc temporis quando facta fuit hæc conſtitutio, non recipiebantur pueri ad habitum niſi poſt quintumdecimum annum, vnde ſemper inter illud quinquennium in-

cludebantur quatuor anni à professione. Et tandem pro conuersis Valleoleti 1605. declaratur, conuersos sic translatos non posse habere vocē in electione nisi post annos duodecim completos à sua translatione, quod factum fuit quia etiam de clericis statutum fuerat auctoritate Apostolica, vt non admitterentur ad electiones, nisi post duodecim annos à professione. Verum iste terminus redactus est ad numerum sex annorum in clericis, nulla vsque modo facta reductione de conuersis.

Degentes extra claustra ab electionibus excludendi sunt. Nam Romæ 1583. ordinatur vt fratres quacumque occasione permaneant extra claustra, præterquam pro Officio S. Inquisitionis, etiam si assignati sint in aliquo Cōuentu, nō censeantur assignati quoad vocem habendam, sed omnino exclusi intelligantur. Et Romæ 1601. dicitur quod omnino omnes tales vocem nō habeant actiuam vel passiuam etiam si in seruiant cathedrali Ecclesiæ, vel ibi sint lectores: Et antea statutum fuerat Romæ 1589.

Nullus autem eligentium prætextu delictorum commissorum excludi debet ab electione, nisi secuta declaratione in particulari, ita enim statuit Constitut. in prologo per hæc verba.

Pœnæ autem priuationis vocis actiuæ vel passiuæ, grauioris culpæ & aliis maioribus, quantumcumque tam in Constit. quam extra ipso facto sint incurrendæ, nisi sit pœna excommunicationis, nullus sit subiectus, nisi superueniat declaratio Prælati in particulari respectu huius, quantumcumque etiam notorium facti, vel iuris, aut vtriusque interueniat.

Et Romæ 1589. Declaratur nullum debere excludi à quacumque electione pretextu cuiuscumque criminis, nisi per sententiam voce priuatus sit, aut manifestum sit aliquod reuera commisisse delictum, per quod ipso facto in excommunicationem inciderit absque alia declaratione. Vnde patet excommunicatos non debere conuenire cum aliis ad eligendum. Pariter etiam per doctores videtur excludi debere irregulares, interdicti, & suspēsi, tamen tales declarati sunt, necnon condemnati ad pœnas grauioris culpæ. Nam in declar. cap. de grauiori culpa dicitur. Et ita videtur quod ille qui est in grauiori culpa, non possit habere vocem actiuam, aut passiuam, nisi sit restitutus.

Postremo omnibus electoribus propono doctrinam S. Thom. 2.2.q.63.ar.2.& quodl.8.art.6.ex qua elicio hæc documenta. Primū, non potest elector eligere in Prælatū quē scit esse in peccato mortali quia eligeret indignum, & quolibet peccato mortali quis redditur indignus. Secundū, non tenetur eligens eligere meliorem simpliciter .i. eum qui sanctior est, quia accidere potest vt in hoc sanctiore non sint aliæ conditiones requisitæ ad bene regendū, vt sunt scientia legum, industria, potentia, & similia. Tertium est, tenetur elector eligere meliorem secundum quid .i. eum qui inter alios pollet conditionibus quibus quis aptior redditur ad conseruandum bonum commune Congregationis, etiam si minus sanctus, aut sciens sit. Quartum quamuis in foro iudiciali non possit impugnari actio qua eligitur bonus omisso meliori

pro

pro bono communi, in foro tamē cōſcientiæ neceſſe eſt, eligere meliorem, vel ſimpliciter, vel ad bonum commune cōſeruandum, aliter committitur vitium acceptationis perſonarum, quod eſt cōtra iuſtitiam diſtributiuam. Quintū, qui eſt de gremio Eccleſiæ, vt plurimum eſt melior, & vtilior pro bono communi, cum in ea nutritus ſit. Sextum, ſi cōſanguinei, aut familiares, & amici eliguntur, qui ſint modo dicto meliores, vel æque digni nullū eſt peccatum, ſi autem ſint minus digni aliis, committitur peccatum. Et quod l. 5. art. 23. habetur, ſi eligens conſanguineum vel amicum intendit aliquā habere recōpenſationem pro ſe, vel pro aliis, peccat peccato ſimoniæ. Si autem intendit quod ſponte recompenſabit, non eſt ſimoniacus, intentio tamen praua eſt, & carnalis.

Vnum aliud ſupereſt animaduertendum circa electores à Superioribus obſeruandum, quod eſt, vt omnino electores in actu electionis liberi ſint, nam præterquam quod electionis nomen libertatem importat ex S. Tho. cum verſetur non circa finem ſed media ad illum, adhuc etiam leges id requirunt. Vnde Conc. Trid. conſulens libertati electionis, voluit vt vota eligentium nunquam publicarentur, ob hoc in cap. Bononiæ 1564. dicitur. Quia electionum libertati maximè S. Synodus conſultum voluit &c. Et in cap. de certis detractionibus, &c. prohibentur aſſignationes fieri intra mēſem, cum electiones maxime liberæ eſſe debeant. Et ob id, & Bonon. 1564. & Romæ 1608. mandatur Superioribus quibus poteſtas dirigendi electiones commiſſa eſt, vt vbi ſpecialis neceſſitas non fuerit, nullus proponatur electoribus eligendus. Quod ſi neceſſarium exiſtimabunt, non pauciores quam tres ſingulis proponant. Et adhuc ſi nullus ex propoſitis electus fuerit, ſed alius qui dignus ſit confirmator illum confirmare non renuat. Et in cap. Sciant cuncti de elec. lib. 6. habetur ſummariè decretum hoc.

Sciant cuncti, qui eos ad quos ſpectat electio, pro eo quod rogati, vel inducti, eum pro quo rogabantur vel inducebantur, eligere noluerunt ſpoliant vel iniuſte perſequuntur, quod ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrunt.

Et in decl. cap. de elect. Prioris dicitur. Cum libertati electionum ex practicis, & inductionibus maxime detrahatur, & ſcandala conſequantur, & ſinceritas ſtatus lædatur in pluribus capitulis fuit prohibitum, ne aliquis prece, aut precio, promiſſis vel comminatione, ex animi deliberatione præſumat aliquem inducere ad talem eligendum, & contrafacientes voce per triennium priuentur. Et hoc ſcientes ſi data oportunitate Superiores non admonuerint eandem pœnam incurrant. Et.

Valentiæ 1596. prohibetur ne de electione peragenda aliquis tractare audeat ante vnā diem electionis, per ſe vel per alios, verbo aut ſcripto, ſub pœna grauioris culpæ, ſiue is vocem habeat in electione, ſeu non. Et Prælati ſub formali præcepto talem pœnam tranſgreſſoribus infligere tenentur.

De conditionibus eligendorum.

CAPVT VII.

NVllus eligatur, aut confirmetur in Priorē, niſi ſciat grammaticè loqui abſque falſa latinitate, & ſit ita inſtructus ſal-

tem in moralibus sacræ scripturæ, vt sciat competenter proponere verbum Dei. *Cap. de electione Prioris.*

D. Paulus breui quodam compendio colligit fere omnia colligenda quæ desiderari debent in Prælato eligendo, tum circa scientiam, tum etiam circa mores, vnde in 1. ad Timotheum cap. 3. hanc profert sententiam.

Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, domus suæ bene præpositum, non neophytum, bonum testimonium habentem ab his, qui foris sunt.

Et in Epistola ad Titum cap. primo similia congerens dicit.

Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.

Ex quibus omnibus constare potest eligendum debere pollere scientia, nedum sufficiente ad proponendum Dei verbum, sed etiam ad cognoscendum ea, quæ pertinent ad officium curæ animarum, quam exercet, & bonitate morum, vt alios suo exemplo promouere valeat. Sunt etiam alia multa requirenda in eligendis ad prælaturas, quæ ex actis capitulorum obseruanda sunt, & hæc præcipua sunt.

Eligendus in Prælatum debet esse sacerdos, quia exercet curam animarum, & habere duodecim annos completos à professione, sic enim statutum fuit Valentiæ 1596. & confirmatum Romæ 1601. nomine S.D.N. infra enim dictum tempus neque actiuam neque passiuam vocem habet. Et quamuis in capit. Romano 1608. restituta sit vox actiua his, qui annos sex habent in ordine, nil tamen immutatum fuit de voce passiua, quod & Parisiis obseruatum fuit.

Electionis capaces non sunt, qui morantur extra claustra, nam Romæ 1601. declarantur tales carere voce actiua, & passiua, etiam si Cathedrali Ecclesiæ inseruiant. Multo magis incapaces sunt, qui extra ordinem beneficia obtinent, vnde in cap. de Itinerantibus dicitur.

Fratres nostros beneficiatos, aut etiam habilitatos solummodo ad beneficia, inhabiles reddimus ad Superioritatem in ordine. Nec aliquis istorum vocem habeat actiuam, siue passiuam in ordine, nisi beneficio, vel habilitationi renunciauerit, ita vt renuntiatio sit legitima acceptata instrumento attestante.

Item fratres nostri cum fuerint ad aliquã dignitatẽ extra ordinẽ ad sui instantiam pronũciati ipso facto sint ab omni præsidentia absoluti & tenore præsentium ipsos esse absolutos decernimus. Qui vero sine sui instantia sunt pronunciati, nisi infra quatuor dies à notitia pronunciationis, pronunciationi publicè renuntiauerint, & per publicum instrumentum, simili modo abso-

luti existant, præcipientes fratribus, vt nulli prædictorum obedire præsumant.

Et tantum abest, quod huiusmodi assumpti eligi possint, quod neque etiam illis committi potest cura super quoscumque fratres, hoc enim habetur cap. de electione Prioris, hac serie verborum.

Nulli autem Præsidenti ordinis liceat, alicui extra obedientiam nostri ordinis existenti, curam committere super fratres, siue Couentus quomodocumque, nisi Prælatis ex ordine assumptis super socios suos, & nisi super apostatas, & vagos, hoc est sine licentia ordinis extra ordinem commorantes.

Et in declar. cap. de Itinerantibus notatur, nedum pronuntiatos, & habilitatos ad dignitates extra ordinem esse incapaces prælaturarũ, sed etiam Cappellanos, & qui habent licentiam officiandi extra ordinem. Et si qui fuerint extra ordinem sine licentia, & postea cum licentia redierint, infra decennium non possunt habere aliquam prælaturam, imo nec vicariam sine licentia Magistri ordinis. Et similiter fratres alienarum prouinciarum, nisi per triennium fuerint in prouincia, vel alias notorij habeantur, non possunt præfici Conuentibus.

Incapaces etiam sunt electionis, illi qui fuerunt Priores in eo Conuentu, in quo præfuerunt, per quadriennium immediatum post absolutionem. Et qui fuerunt Prouinciales per octo annos in illa prouincia, quam rexerunt. Ita statuit Iulius II. in suo priuilegio 1. in quo præfigit tempus prælatis, his verbis.

Nos igitur &c. auctoritate Apostol. perpetuo statuimus, vt in ordine prædic. Prouinciales vltra quadriennium, Priores vero, & Priorissæ vltra triennium in huiusmodi officijs perseuerare non possint, Et qui Prouincialis fuit, non possit infra octo annos, immediate eius absolutionẽ sequentes, eligi in Prouincialem in illa prouincia. Et qui fuit Prior infra quadrienniũ, &c. Vicarij vero congregationũ per annos tres in officio durabunt, & infra anno sex immediate sequentes iterum eligi non poterunt.

Et Bononiæ 1564. declaratur. Prouinciales cum expleuerint suum officium, aut etiam alias absoluti fuerint, ad idem officium in ea prouincia assumi non possunt infra tantum tempus, quanto duorum Prouincialium officium integrum durare solet.

Visitatores etiam Prouinciarum, & Conuentuum quandiu illarum, vel illorum visitatores sunt, non possunt eligi in Prouinciales siue Priores, quod etiam dicitur de illorum sociis, irritum decernentes quicquid in contrarium factum fuerit. Ita statuitur Neapoli, & confirmatur Romæ 1601. & Valleoleti 1605.

Duo etiam fratres germani non possunt sibi immediate succedere in officio Prioratus aut Prouincialatus, quod si secus factum fuerit electio nulla sit, Romæ 1608. quod antea Romæ 1580. statutum fuerat pro prouincia Lombardiæ, & confirmatur Parisiis 1611.

Tandem ineligibiles sunt hi, qui per sententiam condemnati sunt ad pœnas grauioris culpæ, nedum antequam dispensentur, sed etiam post

remissionem obtentam. Nam Romæ 1589. auctoritate Apostolica ordinatur vt qui in posterum ad pœnas grauioris culpæ ob delicta condemnabuntur, neque ad prælaturas, neque ad gradus assumi possint, nisi forte post multos annos mores in melius commutasse ita clare constiterit, vt merito non indigni aliqua gratia censeri possint. Ad prælaturam tamen non ita de facili admittantur. Illegitimi etiam inhabiles sunt, nisi dispensentur, & dispensati super prioratu, non possunt esse Diffinitores cap. de recipiendis. Et Romæ 1569. habetur. Apostatas in posterum recipiendos ad ordinem, non posse assumi ad prælaturas ante viginti annos, & irritum decernitur si secus factum fuerit. Et Auenioni 1558. diffinitur, vt qui abiurauerint tamquam vehementer suspecti, non possunt à quocumque etiam à Magistro ordinis restitui, aut promoueri ad quodcumque officium siue dignitatem, toto tempore vitæ suæ, sed permittantur in humilitate deflere peccatum suum, irritum decernentes quicquid in oppositum factum fuerit. Confirmatur Bononiæ 1564. omissis illis verbis, etiam à Magistro ordinis.

Non est omittendum, quod Romæ 1569. mandato S. D. Papæ Pij V. ordinatum fuit, vt in capitulis prouincialibus prouinciarum fieret catalogus eorum qui in Conuentibus possent in Priores eligi. Ad quem catalogum componendum congregari debebant, Prouincialis, Diffinitores capituli, Magistri, Patres prouinciæ, & illi, qui alias fuerunt Diffinitores capituli generalis, vel Prouincialis, vsque ad numerum duodenarium. Qui singuli poterant aliquos proponere, & erant approbandi per vota secreta, ita vt ex quatuor partibus, tres partes consentirent. Verum capitulo sequẽti Romano 1571. denuntiatum fuit nutu eiusdem summi Pontifi. catalogum hunc omittendum esse.

De tempore electionis.

CAPVT VIII.

SI vero electores infra mensem non elegerint, aut postulauerint, Prouincialis prouideat Conuentui de Priore, qui sciat proponere verbum Dei, *Cap. de electione Prioris.*

Hic de tempore electionis Prioris tractandum est, & alia erit ratio de tempore electionum Prouincialium, & Magistri ordinis, quæ suis locis discutientur. Tempus ergo electionis Prioris est vnus mensis, qui incipit à die notitiæ carentiæ Prioris, infra quem possunt eligere quandocũque voluerint, quo transacto ius prouidendi ad Prouincialem deuoluitur. Infra hunc mensem, si electores vnã diem statuissent pro electione celebranda, & ea die non elegerint, possunt aliam statuere infra eundem mensem. Et illud verbum non elegerint negat omnem actum. Vnde si eo mense nullum actum electionis fecerint, amittunt ius eligendi, nisi per Prouincialem concederetur de nouo potestas eligendi. Si autem infra dictum mensem elegerint,

sed in discordia, vel cum aliquo defectu reddente electionem minus validam, tunc Prouincialis poterit eam cassare, non tamen ipse de Priore prouidere poterit, sed oportebit remittere electionem vocalibus, qui iterum infra eundem mensem alium poterunt eligere. At si in eo actu electionis fuerint ita discordes, aut pares ex vtraq; parte, ita vt nullus egrediatur electus, poterunt alias etiam ad electionem procedere infra eundem mēsem tamen, & tantum. Si autem facta fuerit electio aliqua canonica, sed cassata fuerit non propter defectum electionis, sed alia de causa, puta quia nominati in ea alias impediti sunt, eo casu electores habent vnum alium mensem pro electione, qui incipiet à die notitiæ cassationis eius, quæ sibi debet notificari per hoc verbū, Casso electionem istam. Quod si diceret, Eligite alium Priorem, quia hunc nolo confirmare, non sufficeret, & si sic eligerēt, electio nulla esset. Prouinciales tamen non debent cassare electiones canonicas, & validas sine rationabili causa. Hæc ex decl. cap. de elect. Prioris. In cap. autem Romano 1601. clarius hoc exprimitur, & dicitur. Declaramus, quod si electores infra dictum mensem sibi assignatum non elegerint, etiam si aliquos actus ad electionem pertinentes fecerint, statim transacto mense ius prouidendi ad Prouincialem deuoluitur. Quod si canonice aliquem elegerint, & contingit electionem cassari, nouus mensis denuo incipiet, in quo poterunt electores electionem celebrare.

Postquam autem Prælati religionis facti sunt temporales per Constit. Iulij II. vnum est obseruandum circa tempus finis Priorum, quod habetur in dicta Constitut. superius allegata quod est.

Si alicuius Prioris biennium contigerit compleri, prouincia carente suo Prouinciali, aut infra septuagesimam, & Pascha, tunc in primo casu biennium illius Prioris durabit vsque ad capitulum in quo fiet electio Prouincialis. In secundo vero casu durabit etiam vsque ad capitulum si infra tempus Pascale celebrabitur, alioquin tantum vsque ad octauas Paschæ inclusiuè perseuerabit.

In prouincia autem Lombardiæ res aliter se habet, nam Priores etiam si biennium cōpleant ante septuagesimam, & circa Aduentum Domini adhuc perseuerant vsq; ad tempus capituli ex concessione Leonis X. quæ ita habet.

Nos ergo supplicationibus inclinati auctoritate Apostolica concedimus, vt Priores, postquam per biennium vacauerint ab officio prioratus in aliquo Conuentu possint in eodem iterum eligi. Et si biennium prioratus compleri contigerit infra Aduentum Domini, vel circa, & capitulum sit celebrandum infra tempus Paschale sequens, tale biennium sit extensum vsque ad dictum capitulum.

Consuetudo tamē habet, vt etiam si non celebretur capitulū, adhuc bienniū prioratuum perseuerat vsq; ad tempus quo solet celebrari capitulum.

Quando autem Priores complent officium suum in capitulo prouinciali, tenentur electores præstolari socios, & alios, qui ad capitulum accesserunt, vsque ad Sabbatum Vigiliæ Pentecostes exclusiuè, & tunc procedent, nisi forte ante talem diem, illi ad Conuentum reuersi fuerint, ita dicitur Romæ 1601. Vbi etiam additur, quod si infra dictum mensem electionis maior pars electorum expetierit à Suppriore, vel Vicario, vt celebretur electio, & ipse renuerit, tunc antiquior ex præsentibus, si alij antiquiores no-

luerint, poterit congregare capitulum, & electionem formare.

Sicuti transacto mense, & nulla facta electione, ius prouidendi ad Prouincialem deuoluitur, ita non prouidente Prouinciali infra terminum trium mensium, non poterit amplius prouidere, sed pertinebit ad Magistrum ordinis, ita iura disponunt cap. Ne pro defectu, de elect. in 6. Hæc omnia ex decl. eiusdem cap.

De electione Prioris.

CAPVT IX.

QVæ vsque modo de electione tradita sunt, generalia fuerunt obseruanda in qualibet electione canonica, nunc perpendenda sunt particularia. Et in proposito videndum est quis debet esse Vicarius electionis Prioris, qui conuocet vocales, recipiat schedulas, decretum formet, & similia. Constit. autem ita disponit.

Cum per scrutinium procedit electio, vota eligentium recipiantur per Suppriorem, vel eius Vicarium in absentia Supprioris, & duos fratres, &c.

Si ergo in Conuentu adest Supprior, illius munus erit hoc agere. Et si mortuo, aut amoto Priore, Supprior Vicarium instituerit, in absentia Supprioris hic Vicarius actionem diriget, & ob hoc dicit Constit. vel Vicarium eius, nam Vicarius à Priore institutus eo mortuo, vel amoto expirat. Si autem neque Supprior neque Vicarius eius fuerit in eo Conuentu, tres Patres antiquiores Conuentus Vicarium eligent, & hic curam habebit, & Conuentus, & electionis, de cuius institutione agetur infra. Quòd si eo tempore datus fuerit à capitulo, vel à Prouinciali Vicarius supra Suppriorem, hic Vicarius congregabit fratres ad electionem, & Supprior cum duobus scrutatoribus schedulas recipiet, conscribet, & decretum formabit. Caueant autem Superiores mittere Vicarios pro electione, nisi in casu magnæ dissensionis electionum, vel quando in veritate non adesset inter vocales, qui posset, & sciret electionem dirigere. Et sic missus careat voce passiua in dicta electione, ita disponunt declarationes, approbaturq; in cap. Bononiæ 1564. Parisiis 1611. statuitur, vt Prior eligendus à minori numero, quam sex vocalium, non poterit eligi de corpore capituli, sed eo casu oportebit eligere vnum ab extra.

De confirmatione Priorum.

CAPVT X.

PRiores conuentuales supra dicto modo electi à Priore Prouinciali, si ei bene visum fuerit, confirmentur. Idem etiam fiat si aliquis à maiori parte vltra medietatem eorum ad quos spectat electio de alio Conuentu fuerit postulatus. Et semper intelligatur confirmatorem supplere defectus electionis, qui eius subsunt potestati, quando sine clausula diminutiua confirmat electionem.

Ex cap. de elect. Prioris.

Cum dicit Constitut. Prouincialem debere confirmare electum, si bene ei visum fuerit, hæc verba non significat libertatem, sed discussionem rationis, & arbitrium boni viri, & ideo Prouincialis non propria voluntate, sed præmisso iudicio confirmare debet Priores. Imo imponitur confirmatoribus quatenus electos quantumcumque vnanimiter, non præsumant confirmare, nisi sufficientes in scientia, & moribus, & nisi verisimiliter sperent, quod correctioni, & reformationi ordinis operam dabunt efficacem. Neq; etiam debent electionem canonicè factam, nisi ex causa rationabili, cassare. Et Barch. 1574. ordinatur, vt Prouinciales in confirmatione Priorum vota Patrum discretorum quos ad consilium capiendum vocauerint, secreto, siue per fabas suscipiant, quo liberius possint suam sententiam proferre, quod & Romæ 1580. confirmatum fuit.

Ex Caietano in summula verbo, Electio, Confirmatores debent hanc notare doctrinam, quod Prouincialis, quando est prouisor, & non confirmator .i. quando ad ipsum deuoluitur auctoritas, ob negligentiam electorum, prouidendi de Priore, debet seruare leges prædictas de electoribus, quia debet concedere Priorem duabus pollentem conditionibus .i. sanctum, hoc est, sine peccato mortali, & meliorem aliis ab eo cognitis pro tali regimine, pensatis reliquis particularibus occurrentibus, secus autem est de confirmatore, quoniam confirmator non eligit, sed supponit electionem, & si electus dignus est, sufficit ei tantum ex hoc, quia electus est, quod erit carus ouibus suis, & ex hac conditione, quia gratus, existimandus est melior alio magis idoneo, & minus caro, quia hoc casu charitas coalescit, si vero plures sunt nominati, liberum est confirmatori dare quem vult, tenetur tamen inter illos meliorem præferre.

Electus autem canonicè in Priorem, non potest renunciare iuri suo, nec interponere appellationem, si non confirmetur, nec aliquid in foro contentioso repetere, ob multa. Primo, quia in ordine nostro per electionem nullum ius acquiritur, ideo neque vllam habet administrationem antequam confirmetur. Secundò, quia religiosus non habet nec velle, nec nolle, nec est in eo assentire, & dissentire, cum eius voluntas pendeat à voluntate Superioris. Tertiò, quia per Constitut. in libertate confirmatoris ponitur confirmatio, & abolitio. Si tamen alicui electioni contradicitur, non debet confirmari electus, quousque examinentur contradictiones, & iudicentur. Et prætcrea quantumcumque vnus sit in Priorem electus, & confirmatus, & in confirmatione contineatur præceptum, vt tale munus accipiat, nisi consensum præbeat, nullum ius habet aut acquirit. Et si vnus habet literas à Magistro ordinis, vt non possit cogi ad officium prioratus, & eligatur, ac confirmetur, cum mandato, vt onus suscipiat, & non consentiat confirmationi, nedum non acquirit ius, sed neque est absoluendus, sed sufficit, vt cassetur electio, vt procedatur ad electionem alterius. Hæc ex cap. de elect. Prioris. Et Valentiæ 1596. dicitur, quòd si contigerit aliquem absolui à prioratu, ad eum finem, vt possit Prior alibi creari, & non alio fine, si confirmatio suum effectum non sortiatur quauis de causa, nulla erit censenda absolutio, & poterit in primo prioratu perseuerare, quicumque ille.

sit. Et aduertant Priores, vt deinceps etiam in illis prouinciis in quibus hactenus id seruatum non fuit, literæ confirmationis Priorum legantur in capitulo, vel refectorio, & notetur in eis dies, hora, & locus intimationis Valleoleti 1605.

Quando etiam celebratur capitulum prouinciale, debet formari scrutinium super retentione, vel absolutione Prioris per Suppriorem, vel Vicarium eius, & duos antiquiores in ordine de Conuentu præsentes, cum expressione nominum, & officiorum eligentium exprimentium vota sua, quod scrutinium non publicetur, nec alicui ostendatur, sed sigillo Conuentus muniatur, & per socium mittatur ad capitulum prouinciale. Ita dicit Constit. cap. de capitulo prouinciali. Et ex formulario habetur, quod congregatis fratribus pro electione socij Prioris debent singuli fratres coram scrutatoribus sigillatim dicere. Ego frater talis peto confirmationem, vel peto amotionem, siue renuntio voto meo.

De Prælatis in communi.

CAPVT XI.

PRęposito tanquam patri obediatur, multo magis Presbytero, qui omnium vestrum curam gerit. Vt ergo cuncta ista seruentur, & si quid minus seruatum fuerit, non negligenter prætereatur, sed vt emendandum corrigendumq; curetur, ad Præpositum præcipuè pertinebit, vt ad Presbyterum, cuius est apud vos maior auctoritas referat, quod vires, vel modum eius excedit. Ipse vero, qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate seruiente felicem. Honore coram vobis Prælatus sit vobis, timore coram Deo substratus sit pedibus vestris. Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum. Corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiant infirmos, patiens sit ad omnes. Disciplinam libens habeat, metuendus imponat, & quamuis vtrumq; sit necessarium, tamen plus amari à vobis appetat, quam timeri, semper cogitans Deo se pro vobis redditurum esse rationem. Vnde, & vos magis obediendo, non solum vestri, sed etiam ipsius miseremini, qui inter vos, quanto in loco superiori, tanto in periculo maiori versatur. Item, Quando autem necessitas disciplinæ in moribus coercendis dicere vos dura verba compellit, etiam si ipsi modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, vt à vobis subditis veniam postuletis, ne apud eos, quos oportet esse subiectos, dum nimium seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui nouit eos, quos plus iusto fortè corripitis, quanta beneuolentia diligatis. *S. Augustinus in regula.*

Colligenda

Colligenda ſunt hic loco declarationum, quædam notatu digna circa Prælatos deſumpta ex irrefragabili doctrina S. Thomæ. Qui autem appetunt, aut etiam inquirunt Prælatorum officium obſeruent, quæ tradit .ſ. doctor. quodlib. 2. art. 11. vbi dicit ex D. Auguſt. Officium Prælati, & ſi adminiſtretur vt decet, tamen indecenter appetitur. Cuius ratio eſt, quia qui appetit, aut ſuperbus eſt, aut iniuſtus. Iniuſtitia enim eſt appetere ſibi plus de dignitate, & poteſtate, niſi ſit maior alijs. Et ſuperbia eſt, exiſtimare ſe eſſe aliis prælatione digniorem. Vnde Heb. 5. dicitur. Nemo aſſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Et quia ſæpe, ſe tuentur multi teſtimonio D. Pauli 1. Thim. 3. quod eſt. Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat, perſpiciatur expoſitio huius dicti in D. Tho. 2. 2. q. 185. artic. 1. vbi tradit hanc ſcitu dignam doctrinam. In Epiſcopatu ſunt tria, epiſcopalis operatio, per quam intenditur vtilitas proximi, altitudo gradus, quia Epiſcopus præeminet aliis, honor, qui ſibi exhibetur, cum ſufficientia rerum temporalium. Ex qua diſtinctione colligit hæc dicta. Appetere Epiſcopatum, ſiue quamcumque prælationem ratione honoris, & affluentiæ temporalium, pertinet ad ambitionem, vel cupiditatem, ex conſequenti malum eſt, quem appetitum reprehendit Dominus Matth. 23. Amant primos accubitus, in cœnis, & primas cathedras in ſinagogis, & vocari ab hominibus Rabbi. Appetere Epiſcopatum ratione celſitudinis gradus, præſumptuoſum eſt, & reprehenditur, Matth. 20. Scitis, quia principes gentium dominantur eorum, vos autem non ſic, &c. Appetere Epiſcopatum pręcisè propter opus tendens in vtilitatem proximi, laudabile eſt, quia appetitur quod bonum eſt, nam ſubditur. Qui Epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat. Et tunc .ſ. in principio Eccleſiæ laudabile erat Epiſcopatum appetere, & quærere, quia non habebat annexa ea quæ appetitum illius deturpant, quandoquidem opus bonum cadebat ſub deſiderio, non autem dignitatis celſitudo, & honor. Appetere autem tale opus prout habet annexam celſitudinem dignitatis, honorem, & affluentiam diuitiarum, præſumptuoſum videtur, niſi manifeſta immineat neceſſitas, vel charitatis zelo diuinitus moueretur. Et quodlibet 3. art 9. comparans appetitum magiſterij cum appetitu prælaturæ dicit. Homo redditur dignus magiſterio per ſcientiam, quam poteſt aliquis certitudinaliter ſcire ſe habere, ideo poteſt appetere, & petere licite cathedram magiſtralem. Homo autem fit idoneus ad officium paſtorale per charitatẽ, vnde Dominus dixit Petro Ioan. vlt. Petre diligis me, &c. & nullus poteſt ſcire certo ſe habere charitatem, ideo ſemper eſt vitioſum pontificatum petere. Et nedum vitioſum eſt, appetere, & petere præſulatum modo iam dicto, ſed etiam conſentire electioni, aut cõfirmationi de ſe factæ. Vnde S. Thomas quodlibet 5. art. 22. ita in ſumma philoſophatur. Electus conſentiens confirmationi poteſt duo intendere. Si enim intendit aliquod temporale, puta honorem, diuitias, excuſſionem à iugo religionis, manifeſtum eſt, quod praua eſt intentio, & hic melius faceret, ſi non aſſentiret. Si autem intendit profectum Eccleſiæ, bona erit intentio, at quia ad hoc fructuoſe agẽdum opus eſt maxima idoneitate, quam non, niſi auxilio gratiæ habere homo poteſt, iuxta illud 2. Cor. 3. Idoneos

nos fecit ministros noui testamenti, poterit electus laudabiliter renuere considerans defectum suum ex humilitate, & poterit etiam laudabiliter annuere intendens ex charitate salutem proximi. Quia autem difficile est se purgatum agnoscere, tutius est declinare non tamen pertinaciter.

In primis autem præsules ad regimen destinati tenentur omnem adhibere curam, ac diligentiam, vt reformationem introducant, si collapsa est, ita enim præcipit Conc. Trid. sess. 25. cap. 1. de regularibus hac forma verborum.

Quo facilius ac maturius, vbi collapsa est, vetus, & regularis disciplina instauretur, & vbi conseruata est perseueret, S. Synodus hoc decreto præcipit, vt omnes regulares tam viri, quam mulieres, ad regula, quam professi sunt præscriptum vitam instituant, & componant, atque in primis, quæ ad suæ perfectionem professionis, vt obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si, quæ alia sunt peculiaria vota, & præcepta, &c. fideliter obseruent. Omnisque cura, & diligentia à Superioribus adhibeatur, tam in capitulis generalibus, & prouincialibus, quam in eorum visitationibus, quas suis temporibus facere non prætermittant, vt ab illis non recedatur, &c.

Propter hoc decretum Bononiæ 1564. dicitur à patribus. In primis quoniam generalis reformationis à S. Synodo Trid. dudum propositæ, pars non modica est, quæ regularibus instituitur, eius nos sanctiss. decreta cum pietate suscipientes, & qua decet obedientia exequi cupientes, omnibus fratribus tam Prælatis, quam subditis districtè iniungimus, vt ipsius sacri Concilij canones, præcipuè quæ de regularibus præscribuntur attente legant, & solicitè obseruent, &c. Et quicquid Prælati in communi, vel in particulari viderint reformandum, sedulo exequi curent, Romæ 1601. habetur. Ordinamus, & pro nostrarum constitutionum regulari obseruantia mandamus Prælatis omnibus eorum conscientias in diem Domini aggrauantes, vt earum obseruantiæ, & Conuentuum suorum reformationi inuigilent, & Superiores se ipsos præbeant bonorũ operum exemplum. Deinde Romæ 1608. ob difficultatem introducendi generalem reformationem in vniuerso ordine decretum fuit, vt infra. Confirmamus illam sanctiss. ordinationem olim à B. Raimundo de Capua Magistro ordinis factam, à Bonifacio Papa VIII. approbatam, & in multis capitulis præcipuè Valleoletano innouatam, atque in pluribus prouinciis executioni mandatam, vt Prouincialis vnusquisque in sua prouincia, vnum, vel plures Conuentus deputet in quibus regula, & constitutiones in omni rigore, & exactissimè, siue ad vnguem seruentur. In quibus tamen Conuentibus, non nisi spontanei, & voluntarij assignentur, nec eis vllo pacto liceat habitum, vel formam eius immutare, nec alias cærimonias, & obseruantias, quam in ordine receptas, & approbatas inducere, nec possessiones, & alia bona immobilia, & preciosa sine speciali Magistri ord. licentia, alienare audeant, nec se ab obedientia Præsidentis prouinciæ subtrahere vllo pacto præsumant. Hortamur autem prouinciarum Præsidentes, vt fratres in his Conuentibus assignatos omni charitate foueant, adiuuent, neque illis sint impedimento, sed in illa arctiori obseruantia conseruare, & augere procurent. Minus etiam principale Prælatorum est corrigere vitia, vt alij cohibeantur. Et circa hanc cor-

rectionē aduertāt, quod tradit S. Tho. 4. sent. dist. 19. q. 2. ar. 2. quæstiun. 2. 5. Duplex est opinio de correctione facta à Prælato existente in peccato mortali. Quidam dicunt quod si est in simili aut maiori peccato non potest corripere delinquentem siue illud peccatum sit occultum siue notorium, nam alterum iudicans, seipsum condemnat. Alij dicunt eum posse corripere si illius peccatum est occultum, non autem si notorium. Vtraque autem opinio sustineri potest secundum aliquid. Nam si Prælatus est in peccato etiam occulto, & corripit vt Prælatus peccat, quia quicumque indigne vtitur officio suo peccat, & Prælatus in peccato mortali etiam occulto indigne vtitur officio prælationis corripiendo, & quicquid aliud sui officij exequendo, ergo &c. & secundum hunc sensum vera est prima opinio. Si autem corripit non vt Prælatus aut minister Ecclesiæ, sed ex zelo charitatis, non peccat nisi propter scandalum, quod abest, quando eius peccatum occultum est, & in hoc sensu procedit secunda opinio. Quod si arguis, correctio conuenit Prælatis de præcepto. Respondet S. doctor ibidem ad 2. & dicit non est Prælatus absolutus ab officio corripiendi propter peccatum, quia potest dimittere peccatum, vel officium resignare, aut etiam humiliter suum peccatum recognoscens, peccatorem admonere rogando, & tunc non peccabit.

Aduertant etiam quod traditur ab eodem 2. sen. dist. 44. quæst. 2. ar. 3. vbi dicit. Ad hoc autem prælationes in religionibus ordinantur, vt status religionis secundum instituta regulæ conseruetur. Ad regulam autem pertinent aliqua dupliciter, quædam directe, vt ea quæ in regula præcipiuntur, vt non comedere carnes, silentium tenere, & huiusmodi, quædam indirecte, vt ea quæ pertinent ad pœnam transgressionum etiam si de eis nulla in regula fiat specialis mentio. Et circa vtrorumque obseruantiam Prælati ex debito sui officij, intenti esse debent, memores quod sicut oderunt peccare boni virtutis amore, ita oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Non autem prætermittenda est illa admonitio ad Prælatos quæ habetur in Conc. Trid. sess. 13. cap. 1. de refor. quæ talis est in substantia.

S. Synodus admonendos censet Prælatos, vt se Pastores, non percussores esse meminerint, & ita præesse subditis oportere, vt non eis dominentur, sed tanquam filios diligant, vt monendo ab illicitis deterreant, ne vbi deliquerint pœnis coërcere cogantur, quod si eos per fragilitatem peccare contigerit, illos arguant, moneant, increpent, in omni patientia, & bonitate cum sæpe plus in delinquentes agat beneuolentia quàm austeritas, plus exhortatio quàm comminatio, plus charitas quàm potestas. Si autem ob delicti grauitatem virga opus sit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate seueritas, adhibenda est, vt sine asperitate disciplina conseruetur, & correcti emendentur, quod si resipiscere noluerint, cæteri, salubri in eos animaduersione exemplo, à vitijs deterreantur, cum etiam pij Pastoris officium sit, morbis primum lenia fomenta adhibere, post ad grauiora remedia descendere, & cæteros à contagionis periculo liberare.

De præcipuis muneribus Priorum.

CAPVT. XII.

COlligenda duxi hoc in capitulo ea quæ frequentius Prioribus contingunt seruanda, quarum quædam ex Constit. quædam ex ordinationibus postremis selecta sunt. In primis curet ne sua frangatur auctoritas à quocumque, & recolat quæ capite de grauiori culpa traduntur .s.

Si quis per contumaciam aut manifestam rebellionem inobediens extiterit, aut cum eo intus vel foris proterue contendere ausus fuerit. Item si quis procurauerit quod ipse vel alius eximatur via non iuridica à potestate sua. Et si quis per coniurationem vel conspirationem aut malitiosam concordiam contra eum manifeste, se erexerit, cogatur subire pœnam grauioris culpæ. Si tamen non malitiose sed in veritate habet quid quod tolerari non possit, primo eum cum omni humilitate corripiat, quod si frequenter admonitus non resipuerit, Prouinciali aut visitatori notificet. Et quamuis ex regula Prælatus plus amari appetere debeat quam timeri, caueat tamen ne apud eos quos oportet esse subiectos, dum nimiũ seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.

In condendis legibus, præceptis, aut censuris, præ oculis habeat quæ traduntur in prologo Constitutionum .s. Prælati non faciant præcepta obligantia ad mortale in ira, & maxime contra subditos turbatos, &c. si fecerint irrita sint, facta tamẽ valeant quoad pœnas temporales. Præcepta in scriptis facta censentur sine ira facta. Nec faciant ea nisi in scriptis extra necessitatem. A multitudine præceptorum, & ordinationum abstineant, ne laqueos animabus inijciant, & propter defectum aliquorum quos corrigere non audent, commutatem inuoluant. Excommunicationis autem gladius sobrie, & magna cum circumspectione exercendus est, cum experientia doceat si temere aut leuibus ex rebus incutiatur, magis cõtemni quam formidari, & perniciem potius parere, quam salutem, & non nisi in scriptis seruata forma.

In dispensationibus ieiuniorum, abstinentiarum, & vigiliarum aduertat eas pro libito concedere non posse, ne dissipator potius sit quam dispensator, sed tantum ex causa rationabili, & honesta, præcipue vero ob studium, vel prædicationem, aut animarum salutem nunquam tamen cum toto Cõuentu, nec cõmuniter, aut regulariter, seu facilè, & in ieiunio feriæ 6. quod tanti fit in ordine, difficilem se exhibeat. Omnino esum carnium à refectorio excludat, & alibi non eum concedat, nisi ratione debilitatis aut infirmitatis, neque etiam extra Conuentum, vbi eum habemus. Et nulli tam Priores quam alij, extra domum comedant, nisi cum Episcopis, aut religiosis, & raro, sed communem victum refectorij sequantur. Et si Prior infirmatur cum alijs procuretur. Non permittat aliquos etiam Magistros in cameris comedere, nec ipse se à refectorio vel alijs locis communibus absentet. Circa infirmos tamen caueat ne sit negligens, sic enim procurandi

ſunt, vt citius recreentur, curam adhibeat vt ſint in Conuentu cameræ eis deputatæ, bene inſtructæ de lectis, linteaminibus, & alijs, inſtituat infirmarium, qui eis prouideat de neceſſarijs, cui adiungantur coadiutores, cum opus fuerit.

In his quæ ad Dei cultum pertinent ſoliciti ſint Priores, ipſi in primis ſeipſos alijs exemplum præbeant, non permittant ſubditos ſuos quocumque prætextu ſiue paternitatis ſiue lectoriæ præteritæ, eximi à ſequela chori, Magiſtris, Lectoribus, Prædicatoribus, actu legentibus aut prædicantibus exceptis. Inuigilent vt ſtatutis horis diurnis pariter, & nocturnis laudes debita cum attentione, & pauſis perſoluantur, cerimoniæ tam ad Altare quàm in choro vniformiter ab omnibus ſeruētur, & omnia ad Dei cultum facientia decenter aptentur, vt nihil ſit quod aduenientium oculos offendere poſſit. Eum numerum miſſarum tantum admittant, quem commode poſſint fratres implere. Curent officium mortuorum dici hora, qua omnes adeſſe poſſint.

Maxima cum vigilantia ſtudia prouocent, iubeantque lectoribus, vt ſtatutis horis lectiones ſuas perlegant, nec deſint lectionibus, & conferentiis. Non permittant libros à communi bibliotheca extrahi ſine vrgenti neceſſitate, & conſilio patrum, Libros decedentium fratrum pro vſu communi conſeruent, & vbi non ſunt bibliothecæ conſtructæ deputetur vna camera, in qua recondantur libri pro communi vſu fratrum, & in dies emantur libri vtiliores. Et vt ſtudentes magis ſtudijs incumbant non permittantur exire Conuentum niſi ſemel in menſe ad campum recreationis cauſa.

Circa nouitios vero hæc obſeruent Priores. non recipiant pueros ante quartumdecimum annum completum vel quintumdecimum inceptum, nec ſine licentia, & approbatione litterarum teſtimonialium de moribus, & legitimatione illorum. Et ſi aliquis ante quintumdecimum annum inceptum receptus fuerit, ſciant quod completo anno ſextodecimo adhuc debent ei aſſignare tres menſes ad minus, ad melius de ea deliberandum iuxta Conſtit. cap. de Nouitiis, Ante profeſſionem infra duos menſes, iterum ab examinatoribus de intentione, vita, & moribus tententur, & in capitulo proponantur, volentes exire non impediant, nec expellant ſine patrum conſilio, moneant de renuntiatione bonorum ſuorum facienda ſi volunt, operam dent vt omnes auſteritates ordinis experiantur, non permittant eos ſtudiis artium attendere, ſed cerimoniis, cantui, pſalmodiæ, & his ſimilibus, ante profeſſionem, incumbant. Non inſtituant aut deſtituant Magiſtros eorum ad libitum, ſed conſenſum patrum requirant, & Prouincialis licentiam. Cum nouitius profeſſus fuerit, procurent, vt in ſocietatem aliorum profeſſorum conſtituatur, nec tam puros quàm profeſſos permittant cum alijs Conuentum exire.

Ædificium aliquod reſpectiue notabile non faciant, niſi cum conſilio peritorum, aſſenſu patrum, & licentia Prouincialis, & inceptum ab aliis proſequantur, antequam, nouis manum apponant, & ſi in fabrica expendi debeat ſumma ſcutorum decem, accedat & conſenſus capituli. Superfluitates aut vanitates in cellis, lectis, cubiculis, alijs ornamentis, vbique abij-

ciant, vt apud omnes paupertas religiosa reluceat, preciosa quæque vt argentea, aurea, & ex lapidibus preciosis, in cultris, vaginis, &c. amoueant, & sacristiæ applicent. Vestes de communi panno, & vili materia sine plicis, &c. tantum permittant, prouideant de tunicellis, & linteaminibus laneis, & à cellis imagines profanas, & non pias abiiciant.

Deposita vbi consuetudo non est ea permittendi, non concedant, vbi vero concessa sunt, ea non nisi in moderata pecunia attenta personarum qualitate, ac ad certum tempus, & determinatum vsum indulgeant, cogãt hospites si vltra sex dies apud ipsos moraturi sunt vt hanc legem depositi seruent. Moneant sępe subditos teneri eis præsentare omnes, & qualcumque pecunias sibi traditas sub formali præcepto infra terminum viginti quatuor horarum, & semel in anno omnia sibi ad vsum tradita ad pedes suorum Prælatorum integre ponere satagant, & sciant si qui habent libellaria instrumenta, aut inuestituras pecuniarum seu census, & ea reponant in communi archiuio Conuentus, & à Syndicis exigantur. In quo archiuio constituantur etiam inuentaria omnium scripturarum, iurium, bonorum, censuum, & fructuum qui colliguntur, & omnium mobilium quarumcumque officinarum. Non concedant licentias quibuscumque retinendi pecunias, aut alia quæque apud seculares. Depositum commune constituant, in quo recondantur pecuniæ omnes Conuentus antequam à Syndico vel alijs officialibus expendantur, cuius claues distinctas habeant Prior & duo patres depositarij, & cum recipiuntur aut tolluntur, illico in libro ibi constituto notentur.

Non exponant fratres ad ordines sacros, nisi præmisso examine in litterarum sufficientia per quinque examinatores, & consilio patrum in moribus approbatos ab his per vota secreta. Idemque obseruent circa exponendos prima vice ad audiendas confessiones tam fratrum quàm secularium.

Circa hospites aduertant, vt eos non recipiant sine debitis licentijs, nisi in carceribus, & punitos, ad suos Conuentus remittant, quas licentias, & perquirere debent, & legere. Apostatas, & fugitiuos ad Conuentus reducere conentur inuocato etiam si opus fuerit auxilio brachij secularis. Agant vt fratres bini incedant per ciuitatem & cum toto habitu, & socios prodeuntibus nominatim designent. Seculares in domibus non recipiant ad hospitium, nisi pro triduo ad summum. Non permittant fratres pernoctare extra conuentum in ciuitatibus, castris, & villis vbi domum habemus. Litteras hinc inde scriptas per fratres legant. Capitulum de quindena in quindenam imo omni hebdomada habeant, in quo culpas fratrum audiant, & corrigant. Si ex hac vita decedat frater sui Conuentus, infra sex dies moneant omnes Prælatos illius prouinciæ, qui Conuentui notificent illius mortem, vt suffagia persoluantur. Ostiarium instituant qui in tabella nomina exeuntium, & redeuntium annotet, vt perquisitus de eis rationem reddere possit, & hic curam habeat, ne seculares introeant. Hæc, & alia multa in Const. & ordinationibus mandata obseruare procurent. Et maxime notent duo dicta S. Thomæ, primum habetur 2.2. q. 47. ar. 4. ad 3. in

fine.f. Ex hoc ipso quod Prælati dissimulant videntur annuere, Alterum habetur 1. Thim. cap.1. vbi versans illa verba Apostoli. (Secundum imperium Dei) dicit. Ex quo patet Prælatos ex necessitate præcepti, teneri ad ea quæ sunt proprij officij.

De institutione Supprioris, & eius potestate.

CAPVT XIII.

PRior autem conuentualis de consilio discretorum fratrum sui Conuentus instituat Suppriorem cuius officium erit habere diligentiam circa Conuentum, & corripere delinquentes, & in alijs quantum Prior assignauerit, vel ei permiserit. Idem autem Supprior mortuo vel amoto Priore, vices eius plenarie obtineat, quousque Prior eiusdem loci fuerit electus, confirmatus, & præsens in domo extiterit nisi Prouincialis aliter ordinauerit. In quotidianis capitulis Supprior non accusetur, nisi pro aliquo maiori excessu, secundum quod Priori visum fuerit.

Cap. de electione Prioris.

Non potest Prior instituere Suppriorem, nisi cum consilio specialiter ad hoc congregato maioris vel sanioris partis patrum illius Conuentus, qui ad consilium vocari solent. Et oportet vt instituendus, sit in eo Conuentu assignatus. Et potest etiam Prior Suppriorem institutum tum à se, tum à Prouinciali, absoluere. Cui dicto in cap. Valentino 1596. additur, id intelligendum esse cum patrum consilio, & per vota secreta, & alibi etiam additur, eos non posse absolui quando imminet tractatus eorum quæ ad capitulum mittenda sunt, nec antequam Prior suum adierit Conuentum.

Insuper Priores quando Suppriorem non habent in Conuentu, debent sub pœna absolutionis ab officio instituere vnum de assignatis iuxta Constitutionem, infra spacium vnius mensis.

Prouinciales in omnibus Cõuentibus suæ prouinciæ possũt Suppriores instituere, etiam ex non assignatis in eo Conuentu vbi instituuntur, ibidem eos assignando, quia in rectoribus subordinatis quicquid conceditur minori, intelligitur concessum etiam maiori, nisi fiat exceptio, neque necesse est Prouincialem in illorũ institutione consilium petere, vt traditur Barch. 1574. Et potest etiam eum ab officio amouere quandocumque placuerit etiam sine consilio, & etiam tempore quo mortuus vel amotus est Prior in eo Conuentu.

Item Supprior eo tempore quo Priorem habet siue absentem, siue præsentem, non habet auctoritatem nisi tantum quantum ei à Priore conceditur, mortuo autem vel amoto Priore vices Prioris plenarie gerit. Vnde quamuis quãdo Priorem habet, non possit recipere fratres ad habitum, vel ad professionem, neq; ad sacros ordines promouere, potest tamen absente Priore per priuilegium quod dicitur Mare magnum omnes fratres sui Cõ-

uentus, & ad eum declinantes, ab omnibus excessibus, & censuris, à iure, vel à iudice, generaliter promulgatis, absoluere, sacramentaque Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis, conferre fratribus. Et quando Priorem præsentem vel absentem non habet potest prædicta facere s. recipere fratres ad habitum, & ad professionem, confessorem eligere, aliorum fratrum cõfessiones audire, & absoluere vt supra, & alios fratres ad audientiam confessionum fratrum exponere: non poterit tamen eos Episcopis præsentare pro audientia confessionum secularium, aut pro ordinibus suscipiendis, vel alia huiusmodi, quæ Prioribus de iure non conueniunt, sed ex commissione, neque potest Vicarium in sui adiutorio assumere, sicut potest mortuo vel amoto Priore. Et tandem vt dicitur in decl. prologi, videtur posse vocari Prælatus tempore quo Priorem non habet, cum tunc plenarie vices eius gerat, & sit quasi Ordinarius.

Quia autem Suppriorum absentia à Conuentibus valde nociua est, non debent nec possunt eligi in socios Priorum euntium ad capitulum prouinciale nisi forsan essent prædicatores generales, vt traditũ fuit Romæ 1608. Neque eis debet concedi facultas recipiendi fratres ad ordinem vel professionem nisi à Prouinciali. Ita decretum fuit Valleoleti 1605. Neque etiam nunc possunt admittere fratres ad audiendas confessiones aliorum fratrum, quia requiritur examen de quo dictum est cap. de institutione cõfessariorum. Neque locum habent extra Conuentum suum, etiam super Baccalaureos suos si contingat Suppriorẽ, & Baccalaureum simul ad alium Conuentum declinare, vt traditur Barch. 1574. Inter patres autem à consilijs conuocandi sunt post patres prouinciæ. Ex decl. cap. de Recipiendis. Et ad hunc Suppriorem tempore electionis Prioris pertinebit conuocare electores ad electionem, & recipere vota eligentium, vt supra traditum fuit. Cap. de electione Prioris.

Suppriores etiam quocumque modo instituti siue à Prouinciali siue à Priore perseuerant in officio suo mortuis vel amotis eorum institutoribus, quod expresse legitur in prologo Constitutionum, vbi disponitur Confessores, Suppriores, & Vicarios monialium, non expirare cum expirant eorum institutores, sicuti expirant Vicarij fratrum. Potest Supprior in aliquo casu Vicarium instituere dum Priorem habet: & hoc quando sibi à Priore commissum fuisset dicendo in suo recessu, instituo Vicarium eum, vel eos quem vel quos duxeris instituere.

De Vicarijs Conuentuum, & locorum.

CAPVT XIIII.

MVlti in ordine sunt, qui hoc nomine Vicarij nuncupantur. Quidam enim sunt Vicarij generales siue prouintiarum, siue Congregationum, siue etiam totius ordinis, de quorum institutione, & officio suis locis infra pertractabitur. Sunt alij Vicarij Conuentuum particularium siue locorum, de quibus præsens est tractatus.

Vicarij Conuentuum sunt qui à Prioribus in sui adiutorium assumuntur. Et quamuis

Et quamuis Prior Suppriorem instituere non possit nisi vnum ex assignatis in suo Conuentu; poterit tamen Vicarium constituere, & assignatum, & non assignatum, imo, & Priorem alterius Conuentus, licet id agere non debeat, nisi pro vrgenti necessitate, nam secundum iura ordinarius potest vices suas committere his qui sunt alterius diœcesis, oportet tamen vt Prior nedum sit electus, & confirmatus si Vicarium deputare debeat, sed requiritur vt etiam Conuentui suo præsens extiterit, & postea etiam absens constituere poterit. Cessabit autem potestas huius Vicarij illico quod Prior mortuus aut amotus fuerit ab officio.

Vicarius autem sic institutus, non potest alium Vicarium sibi assumere, neque etiam Supprior, nisi in casu mortis vel amotionis Prioris, quia tunc vices Prioris plenariè gerit. Prouincialis vero semper potest Vicarium instituere etiam supra Suppriorem. Et si instante electione mittat pro Vicario vnum ex alieno Conuentu, hic habebit vocem actiuam in ea electione, & vocales ad capitulum congregabit, & proponenda proponet. Supprior autem cum scrutatoribus vota eligentium recipiet.

Si accidat, quod mortuo vel amoto Priore, aut etiam eo absente Conuentus Suppriorem non habeat neque Vicarium, ne fratres sine capite remaneant tres antiquiores patres de consilio sibi Vicarium constituent modo in Constit. expresso. Ex cap. de elect. Prioris, qui est.

Si vero mortuo vel amoto aut absente Priore, domus Suppriorem præsentem vel Vicarium nō habuerit, tres patres illius Conuentus præsentes, & vocem in electione habentes, qui primitus habitum nostri ordinis susceperunt, si tamen post professionem à nostro ordine nullatenus recesserunt, nisi per Magistrum ordinis, vel prouinciale aut generale capitulum cum eis fuerit dispensatum, aliquem fratrem de Conuentu illo antequam comedant, & bibant eligere teneantur, renuntiatione qualibet non obstante. Qui vices Prioris obtineat, quousque domus ipsa Priorem præsentem habeat vel Suppriorem aut Vicarium Prioris in eius absentia, vel Prouincialis aliter ordinauerit. Quod si prædicti tres non cōcordauerint, duorū sententia ad prouidendū, siue de vno illorum trium, siue de alio fratre conuētuali præsente, præualebit.

Vicarius sic institutus habet eamdem auctoritatem in Conuentu, quam habent Suppriores mortuo vel amoto Priore, & ad eum spectat electionem dirigere.

Vocantur Vicarij locorum, qui præsunt domibus in quibus non alitur tantus numerus fratrum, vt possint in Conuentum erigi, & de istis ne minimum verbum in Constitutionibus haberur, & quæ notanda sunt, ab ordinationibus sunt petenda.

Hi ergo Vicarij eam solent habere potestatem supra fratres suos, quam habent Suppriores in Conuentibus mortuo aut amoto Priore. Et in suis locis præcedunt fratres suos, demptis Magistris si quos habent, & si con-

tingat Priorem aliquem ad locum venire, præcedet Vicarium, & eo præsente dicit. Fidelium, ita dicitur Barch. 1574. & Romæ 1589. Et in ciuitatibus, vel castris, vbi sunt Conuentus, & loca huiusmodi in processionibus Vicarius locum tenebit immediate post Suppriorem Conuentus & Baccalaureos, si qui aderunt, Neapoli 1600.

De his tamen locis dicitur Barchin. 1574. Si Prouinciales repererint loca in quibus minus apte religio foueri possit, quin potius ocij, & dissipationis sint fomenta, & occasiones scandali, ea meliori quo poterunt modo, consultis grauioribus patribus resignent, & relinquant. Et Valentiæ 1596. statuitur, vt loca omnia in quibus ad minus quatuor clerici morari non possunt, deserantur, & renuntientur, sicuti præsenti decreto renuntiantur, excipiuntur tamen prouinciæ desolatæ, & existentia in partibus Indiarum, ac quæ pro hospitio itinerantibus seruiunt.

De Vicariis Congregationum siue nationum.

CAPVT XV.

STatuimus autem vt in singulis prouinciis Prouinciales vel eorum Vicarij, & Diffinitores capituli prouincialis, prouincias suas per Vicarias distinguant, secundum quod eis videbitur expedire, quibus singulis Vicarios præficiant, qui non sint Priores aut Lectores actu legentes, nisi prius à suis officiis absoluantur, requisito consilio fratrum præsentium ad dictas Vicarias pertinentium, qui sint de corpore capituli prouincialis. Qui Vicarij in domibus sibi assignatis Prouincialis plenariè vices gerant, exceptis dumtaxat institutione & destitutione Priorum, & electorum, & vbique sua loca teneant, nisi in capitulo, dum officium suæ Vicariæ exercent. Quorum potestas in die immediatè præcedente electionem Diffinitorum capituli prouincialis expiret. Hos etiam Vicarios Prouincialis corrigere possit, & ex causa rationabili amouere.

Ex cap. de electione Prouincialis.

Sub nomine horum Vicariorum comprehendi possunt, & illi, qui Visitatores vocantur & à Prouincialibus destinantur ad certos Conuentus visitandos, de quibus infra in hac 3. parte capitulo suo, & hi sunt qui vocari possunt Vicarij nationum.

Reperiuntur etiam quædam congregationes siue Vicariæ ex pluribus Conuentibus constantes, quæ per Vicarios reguntur, qui vocari solent Vicarij generales congregationum, siuè Vicariarum, de quibus Constitutiones nullam mentionem faciunt, & sępius in capitulis generalibus nominantur. Hi autem Vicarij in suis congregationibus solent habere eam potestatem, quam habent Prouinciales in suis prouinciis, hoc solo excepto, quod locum non habent in capitulis generalibus, nec ad illa Diffinitores mittuntur, nec in electione Magistri ordinis votum præstant.

Quantum autem in officio suo perdurare debeant, Iulius II. in suo priuilegio primo decreuit hac verborum serie.

Volumus autem, & auctoritate Apostolica statuimus, quod Vicarij generales congregationum exemptarum à Prouincialibus, siue vitæ communis sint, siue regularis non possint vltra triennium in Vicariatus officio perdurare, sed perfecto triennio, ipso facto ab officio sint absoluti absque alia declaratione, siue absolutione, nec possit qui Vicarius fuit eiusdem Congregationis Vicarius esse infra sex annos immediate sequentes, nec intendimus consuetudines quarundam congregationum infringere, in quibus Vicarius prædictus tantum per biennium, durare consueuit.

Valleoleti 1605. declaratur Vicarios istos congregationum siue Vicariatum expleto officio tenere locum super alios fratres congregationis, eo modo quo, & prouinciales in suis prouinciis tenent.

De Vicariis prouinciarum mortuo vel amoto Prouinciali.
CAPVT XVI.

STatuimus, & ordinamus, vt mortuo vel amoto Prouinciali, vel eo, & illo cui vices suas commiserit extra prouinciam existente. Prior conuentualis illius loci in quo primum prouinciale capitulum fuerit celebrandum, vices eius obtineat, quousque Prouincialis illius prouinciæ sit electus, & confirmatus, & ipse vel ille, cui vices suas commiserit præsens in prouincia extiterit. Quod si capitulum Prouinciale ex aliqua causa, ad Conuentum alium transferatur (quæ translatio fiat per Prouincialem vel eius Vicarium de consilio discretorum) post translationem prioris Vicarij potestas expiret, & Prior loci illius ad quem capitulum fuerit translatum, vices Prouincialis in omnibus obtinebit. Si autem Conuentus ille cui capitulum assignatum fuerat vel translatum, priorem non habuerit, vel eum infra tempus Vicariæ suæ mori vel amoueri contigerit, vel extra prouinciam esse, durante eius absentia Prior illius domus vbi prouinciale capitulum præcedens fuerat celebratum, vices Prouincialis in omnibus obtineat, & sic deinceps retrocedendo quousque Conuentus ille in quo prouinuinciale capitulum fuerat celebratum Priorem habuerit. Qui vices Prouincialis obtinebit in omnibus quousque Conuentus ille in quo prouinciale capitulum fuerit celebrandum Priorem habuerit. Qui vices Prouincialis in omnibus obtinebit quousque Prouincialis sit electus, & confirmatus, vel Magister ordinis, aut capitulum generale in prædictis casibus aliter ordinauerit, vel ipse Prouincialis, aut ille cui vices suas commiserit præsens in prouincia extiterit. Si vero Prior illius Conuentus vbi prouinciale capitulum fuerit celebrandum in prouincia præsens ex-

titerit, sed aliqua ex causa capitulo non interfuerit prouincial i, simili modo Prior illius Conuentus vbi præcedens capitulum fuerit celebratum vices Prouincialis in ipso capitulo, durante prædicti Prioris absentia, in omnibus obtinebit, finito vero capitulo Prior domus in quo nouiter fuit capitulum celebratum vices Prouincialis in omnibus obtinebit.

Si Magister ordinis, vel capitulum generale aliquem fratrem illius prouinciæ Vicarium instituerit in eadem, volumus ipsum Vicarium in electione prædicta vocem habere. *Cap. de elect. Prouincialis.*

Quilibet Vicarius generalis prouinciæ per quemcumque modum fuerit legitime institutus, locum Prouincialis teneat, Fidelium dicat, licentiam loquendi tribuat, & potest concedere litteras de beneficiis illius prouinciæ durante capitulo prouinciali dumtaxat. *Cap. de capitulo Prouinciali.*

Vicarij huiusmodi prouinciarum quamuis secundum constitutiones vices Prouincialium dicuntur obtinere in omnibus, & per omnia, non tamen ob hoc potestatem habent super sorores ordinis, quia hæc potestas Prouincialibus concessa est per priuilegia. Veruntamen in decl. prædicti textus dicitur, Iulium II. per suas litteras in forma breuis P. F. Thomæ de Vio Caietano scriptas, concessisse Vicariis prouinciarum, & Conuentuum, ac etiam Vicariis ordinis, vt mortuis, vel amotis, Magistro ordinis, Prouincialibus, & Prioribus omnem potestatem, & facultatem, tam Apostolica auctoritate, quam quomodolibet aliter concessam, & in posterum concedendam ipsis Magistro ordinis Prouincialibus, & Prioribus præfati ordinis Prædicatorum, exceptis illis, quæ in constitutionibus specialiter illis inhibentur, ex speciali gratia.

Prouincia nostra vtriusque Lombardiæ libera est, & immunis ab his angusthis inueniendi Vicarium casu mortis, vel amotionis Prouincialis, quia illi per Constit. Apostolicam fuit concessum à Paulo III. vt semper succedat in Vicariatu Prior Bononiensis. Sic enim dicit hic Pontifex Prouinciali dictæ prouinciæ.

Exposui nobis fecisti, quod in capitulo prouinciali nuper celebrato in domo S. Dominici Brixiæ, statutum fuit, vt nullus Prior, etiam Prouincialis vltra quam per biennium perdurare possit in officio, & in principio capituli secundi anni officium prouincialatus terminari debeat, & ex eo principio in posterum Vicarius prouintiæ, sit & remaneat quousque Prouincialis alius sit electus, confirmatus, & præsens in prouincia. Item etiam fuit statutum, vt si Prouincialis infra tempus sui prouincialatus decederet, vel amoueretur, tunc, & eo casu Prior Bononiensis, qui pro tempore erit, vices Prouincialis obtineat, donec Prouincialis alius fuerit electus, confirmatus & præsens in prouincia. Et supplicari nobis fecisti, vt huiusmodi ordinationes confirmare dignaremur, &c. Nos huiusmodi supplicationibus inclina-

ti auctoritate Apostolica per præsentes approbamus, & confirmamus huiusmodi ordinationes & statuta illa quæ perpetuæ firmita, robur obtinere, & inuiolabiliter obseruari debere mandamus. Non obstantibus constitutionibus Apostolicis, & aliis, quibuscumque, &c.

De Vicario ordinis mortuo, vel amoto Magistro ordinis.

CAPVT XVII.

MOrtuo, siue amoto à Magisterio, Magistro ordinis, Prouincialis, illius prouinciæ in qua sequens capitulum fuerit celebrandum vices Magistri ordinis obtineat, quousque Magister ordinis sit electus, exceptis absolutionibus Priorum tum prouincialium aliarum prouinciarum, & translationibus fratrum de vna prouincia ad aliam de quibus se nullatenus intromittat, nisi fortè aliquis frater non Prouincialis existens, pro prouinlatus officio peteretur. Si autem prouincia in qua futurum capitulum generale est celebrandum Prouincialem non habuerit, vel infra tempus vicariæ suæ mori vel amoueri contigerit, Prouincialis illius prouinciæ in qua præcedens capitulum fuit celebratū, vices prædictas obtineat, & sic deinceps retrocedendo donec in aliqua prouinciarum isto modo valeat Vicarius inueniri. Postquam vero illa prouincia in qua fuerit capitulum generale celebrandum Prouincialem habuerit confirmatum, ipse prouincialis vices prædictas obtineat. *Ex cap. de electione Magistri ordinis.*

Si contingat mortuo, vel amoto Magistro ordinis capitulum generale assignatum in vna prouincia transferri ad aliam, auctoritas etiam vicarij transferatur ad Prouincialē ad cuius prouinciam capitulum translatum fuit. *Ex cap. de elect. Prouincialis.*

Tribus occasionibus instituuntur Vicarij generales totius ordinis in nostra religione, prima est, quando Magister ordinis aliquem talem instituit in sui adiutorium, siue sit præsens, siue absens ab vrbe Romana. Hunc autem instituere, & destituere potest Magister ordinis prout sibi videtur iuxta beneplacitum suum, & potest illi conferre eam facultatem, quam idoneam iudicabit. Alia occasione instituitur Vicarius generalis ordinis quæ est, quando celebratur capitulum generale, & aliquo casu interueniente Magister ordinis à capitulo abest. De quo Vicario ita disponit Constitutio cap. de capitulo generali.

Si vero dum celebratur capitulum generale Magistrum aliqua occasione abesse contigerit, vnus de Diffinitoribus prædicti capituli, ab ipsis Diffinitoribus, vel à maiori parte illorum assumatur in Magistri ordinis Vicarium, qui durante cap. vices Magi-

ſtri ordinis obtinebit, in omnibus dumtaxat, quæ adt actatum, & acta capituli pertinebunt. Qui etiam locum Magiſtri vbique tenebit, Fidelium dicat, licentiam loquendi tribuat, & poteſt concedere litteras de beneficiis ordinis, vt Magiſter. In diffinitionibus tamen, vnam vocẽ tantum habeat. Quod ſi in eius aſſumptione in partes æquales ſe diuiſerint, vnus de præſentibus fratribus eligatur ab ipſis, & in quorum ſententiam declinauerit, ille ſit Vicarius, cum quo Vicario Diffinitores in diffinitione procedant, Quod ſi in diffiniendo in partes æquales ſe diuiſerint forma ſupradicta teneatur.

Eſt autem tertia occaſio inſtituendi Vicarium generalẽ mors, ſiue amotio Magiſtri ordinis, de qua ſermo habetur in Conſtitut. ſupracitata. Quãuis, vt plurimum ſummus Pontifex tali ocaſione auctoritate Apoſtolica Vicarium inſtituere illum, quem ipſe idoneum iudicauerit. Si autem loco demortui Magiſtri ordinis ſuccedit in vicariatu ille Prouincialis ſecundum Conſtitut. in cuius prouincia celebrandum eſt capitulum generale, clarum eſt cum ſit Prouincialis eum vocem habere in electione Generalis. Si autem ſit inſtitutus per ſedem Apoſtolicam vocem nõ habet in prædicta electione, quia & ſi Alexander VI. vt habetur capite vltimo Conſtitutionum contulerit ei primam vocem in dicta electione, tamen vt habetur in decl. eiuſdem capitis Paulus III. hanc gratiam reuocauit, & poſt dictam reuocationem, nunquam fuit admiſſa aut ſeruata.

De electione Prouincialis.

CAPVT XVIII.

SI contingat Prouincialem in capitulo generali, vel medio tempore vſque ad capitulum prouinciale, vel in ipſo capitulo prouinciali, mori vel amoueri, vel quocumque caſu infra illud tẽpus prouinciam aliquã Prouinciali carere cõtigerit, vel carentia ipſa durauerit, ad ipsũ prouinciale capitulũ eius electio pertinebit qua peracta capitulũ prouinciale celebrabitur. Quod ſi nec ipſe in prouinciali ca. electus nec alius cõfirmatus fuerit, vel poſt prouinciale capitulum Prouincialem mori vel amoueri contigerit, qui eius locum obtinet teneatur, quam citius conuocare electores, & in die ad eligendum aſſignata Prouincialis eligatur, vel poſtuletur. Quod ſi die ſtatuta non elegerint, vel poſtulauerint qui debent eligere, poteſtas prouidendi ad Magiſtrum ordinis transferatur. Et ſi fratres cuiuſcumque prouinciæ intra an. poſtquam eis conſtiterit, quod prouincia ſuo legitimo Prouinciali caret, Prouincialem non elegerint, vel poſtulauerint, ele-

ctio, siue prouisio de Prouinciali ad Magistrum ordinis sit deuoluta.

Volumus autem, quod prædicta electio, quæ non in ipso prouinciali capitulo, sed post capitulum debet celebrari, tantum spectet ad Priores Conuentuum, & Prædicatores generales, & vnũ fratrem de quolibet Conuentu ad hoc idem pro qualibet electione de Prouinciali facienda (si pluries fieri contigerit) nouiter electum, nisi confirmator præsens fuerit, vel in tam parua distantia, quod ante dissolutionem capituli, potuerit de cassatione electionis facta (si eam cassari contingat) nuntium peruenire. Tũc enim, & secunda, & tertia (si opus fuerit) electio ad eosdem pertinebit. Qui secundum formam inferius in electione Magistri ordinis positam, electionem huiusmodi celebrabunt, hoc excepto, quod eos includi non oportet. Quod si Magister ordinis, vel cap. generale aliquem fratrem illius prouinciæ Vicarium instituerit in eadem, volumus ipsum Vicarium in electione prædicta vocem habere.

Tres autem Priores conuentuales, qui primitus habitum nostri ordinis susceperunt, cum electio per scrutinium facienda est, voluntatem singulorum sigillatim, & seorsum aliquantulum coram oculis omnium disquirant, & scribant, deinde scripturam publicent expressis nominibus eorũ, qui electi sunt. Et facta collatione numeri ad numerum si omnes, vel maior pars vltra medietatem omnium eligentium in vnum concordauerint, ille, qui primam vocem habuit surgens formet decretum dicens, Ego frater N. vice præsentium electorum, eligo Fr. N. in Priorem Prouincialem prouinciæ N. In nomine Patris, &c.

Instante vero Prouincialis electione, Priorum absolutiones fieri prohibemus nisi ob causam criminis, vel grauis scandali, vel ipsis Prioribus petentibus vel in capitulo prouinciali à Diffinitorio illius post electionem Prouincialis factam licet pendentem, quoad confirmationem. Instare autem electionem Prouincialis dicimus, quandocumque prouincia Prouincialem non habet præsentem, vel absentem.

Prior autem Prouincialis supradicto modo electus poterit per Magistrum ordinis confirmari, vel eius electio cassari, si ipsi Magistro videbitur. Quod si ordo Magistrum non habuerit, ipsum electum confirmandi, vel infirmandi, & ad dictum officium suf-

cipiendum compellendi, Vicarius ordinis habeat potestatem. Si vero post confirmationem per Magistrum ordinis factam antequam, ad electum confirmatio ipsa perueniat, Magistrum ordinis mori, vel amoueri contigerit, confirmatio suum sortiatur effectum. Statuimus autem, vt Prouincialis in capitulo generali à Magistro, & Diffinitoribus capituli, præmissa diligenti examinatione confirmetur, vel amoueatur.

Pro ampliori declaratione eorum, quæ afferuntur in hac Constitut. circa electionem Prouincialis, aliqua sint animaduersione digna: Primũ autem quod occurrit est tempus electionis eius, de quo ita loquitur declaratio huius cap. Circa principium ordinis singulis annis fiebant capitula generalia, & prouincialia, & primo celebrabatur capitulum generale, post vero prouinciale, in quo publicabantur acta cap. generalis. Si ergo Prouincialis moriebatur, aut amouebatur tempore medio inter capitulum prouinciale, & capitulum generale conuocabantur electores, & die statuta eligebatur Prouincialis, & nullum aliud capitulum prouinciale celebrabatur, quia iam celebratum erat. Si autem Prouincialis moriebatur, vel amouebatur medio tempore inter capitulum generale, & prouinciale, aut etiam in ipso capitulo generali, conuocabantur electores, & die statuta eligebatur Prouincialis, & simul etiam celebrabatur capitulum prouinciale, & legebantur acta capituli generalis. Et si ante capitulum generale prouincia inceperit carere Prouinciali, & non potuerint electores ante capitulum generale congregari ad eligendum Prouincialem, aut si eligerunt tamen non fuit confirmatus, & sic eius carentia durauit vsque ad capitulum generale, tunc, & eo casu electio Prouincialis pertinebit ad capitulum prouinciale, & non ad electores. Et pro maiori dilucidatione dictorum scito, quod quãdo quolibet anno celebrabantur capitula prouincialia, aliquando celebrabatur capitulum, sine electione Prouincialis, & tunc conueniebant Priores cum sociis suis, aliquando fiebat electio Prouincialis, sine capitulo, & tunc cõueniebant Priores, & electores prouincialis, quod occurrebat, quãdo vacabat prouincialatus post capitulum prouinciale celebratum, aliquando celebrabatur simul capitulum, & electio prouincialis, & tunc conueniebant priores, & socij, qui socij erant etiam electores Prouincialis. At, quia postea prouinciales sicut & Priores facti sunt temporales, & habent præfixum tempus officij sui, ideo liberati sumus ab his angustiis & tempore completi officij sui conuocantur electores ad capitulum prouinciale, in quo etiam fit electio prouincialis, quod si contingat Prouincialem antequam compleat officium suum mori, vel amoueri, Vicarius prouinciæ quantocitius poterit, conuocare debet conuocandos ad electionem futuri Prouincialis peragendam, quod si non suppetat tempus illos conuocandi ante ordinarium tempus celebrandi capitulum, supersedeatur vsque ad illud tempus. Recolendum tamen est id, quod statuit Iulius II. in suo priuilegio .i. quando decreuit Prouinciales debere in officio suo perseuerare

tantum

tantum per quadriennium,ita enim dispenit.

Verum ne capitula generalia oportunis contingat carere suffragiis, & fratres temporibus sacris discurrere, eadem auctoritate declaramus, quod si quadriennium alicuius Prouincialis finiri contingat ordine non habente Magistrum, aut inchoato anno celebrandi capitulum generale, in quo Prouinciales dissinire debent extensum intelligatur illius quadriennium in vtroque casu vsquè ad capitulum generale completum, &c.

In prouincia tamen Lombardiæ per Constitut. Pauli III. Prouinciales sunt tantum biennales. Secundum, quod obseruandum est, in proposito est id quod habetur in Constitut. cap. de capitulo prouinciali.s.quod conuenientes ad illud, & vocem in eo habentes, sunt Priores conuentuales cũ singulis sociis eligendis à quolibet Conuentu & Prædicatores generales, sub quorum nomine comprehenduntur etiam Magistri in sacra Theologia, qui gaudent priuilegiis illorum, ac illi, qui fuerunt Prouinciales. Et id, quod ex decl. huius capitis habetur.s. Sicut imminente electione Prioris non debent fieri mutationes fratrum in illo Conuentu infra mensem ante electionem, nisi in casibus in Constitutionibus expressis, simili modo non debent fieri mutationes fratrum, priuationes vocum, absolutiones Priorum à tempore notitiæ carentiæ Prouincialis, vsque ad notitiam confirmationis eiusdem, nisi in casibus in præcedenti Constit. expressis. Est etiam Tertio obseruandum in electione Prouincialis, nedum electores posse vnũ eligere, sed etiam posse alterum, aut plures in suis schedulis nominare, quia dicit Constit. quod si nec ipse in capitulo electus, nec alius fuerit confirmatus, super quibus verbis habetur talis declaratio. Cum per priuilegia fuerit nobis concessum, vt cum occurrit electio facienda de Priore, vel Prouinciali, si ex aliqua causa contingat electionem non confirmari, poterit Superior confirmator auctoritate Apostolica confirmare aliquem de illis, quos electores, vel maior pars illorum vltra medietatem petierint, quando mittunt pro electi confirmatione, propter quod dicitur in textu, (vel alius.i. postulatus fuerit confirmatus.) De huiusmodi postulationibus dictum est satis supra capite suo. Quarto ponderanda sunt illa verba (Prouincialis electus poterit per Magistrum ordinis confirmari, vel eius electio cassari si Magistro videbitur) super quibus ex decl. habetur, quod Magister ordinis per priuilegia Bonifacij 8. & Clementis 7. potest singulos fratres Prouinciales, Priores, & alios quoscumque officiales, ac Priorissas, quacumque auctoritate deputatos etiam per sedem Apostolicam quoties sibi videbitur, reuocare, etiam si esset per eandem sedem concessum quod remoueri non possint, & loco ipsorum alios substituere, officia ipsa limitare. Quæ priuilegia recensentur infra capite de potestate Magistri ordinis.

Postmodum notandum est circa scrutatores electionis Prouincialis, de quibus disponit Constitutio in hunc modum.s. Tres autem Priores conuentuales, qui primitus habitum nostri ordinis susceperunt voluntates singulorum disquirant, & scribant &c. Quibus verbis crederem esse addenda illa omnia, quæ supra tradita fuerunt de scrutatoribus, maxime, quod oporteat tales Priores non dimisisse habitum religionis post professionem, &c. Et quod si vnus antiquiorum impeditus fuerit ob infirmitatem, qui ta-

men in capitulo præsens sit, non succedat qui post eum est in ordine antiquior, sed alius eligatur modo tunc expresso. Circa electores Prouincialium, siue socios Priorum euntium ad capitulum prouinciale, nota illa verba Constit. §. Electio Prouincialis spectat ad Priores, & vnum fratrem de quolibet Conuentu pro qualibet electione facienda, si plures electiones fieri contingat, nouiter electum &c. quorum sensus est iuxta decl. huius capitis, quod socij Conuentuum electi pro capitulo prouinciali, vocem tantum habent in capitulo illius anni pro quo fuerunt electi. Si autem ex aliqua causa super sedeatur illo anno à capitulo, non admittendus erit ille ad actiones capituli celebrandi sequenti anno, sed alius eligi debet, similiter si ante mortem, vel amotionem Prouincialis fuerit in aliquo Conuentu electus socius Prioris pro capitulo prouinciali, & cõtingat fieri postea electionem Prouincialis propter mortem, vel amotionem alterius, non erit ille socius electus verus socius, siue elector, sed oportebit alium nouiter eligere.

De potestate, & officio Prouincialis.

CAPVT XIX.

PRouincialis eandem potestatem habet in sua prouincia, quã habet, & Magister ordinis, & eadem sibi reuerentia debetur ac obedientia à comprouincialibus, quæ & Magistro debetur, nisi Magister præsens extiterit. Item Prouincialis totam suam prouinciam per se si poterit, vel per Vicarios idoneos teneatur singulis annis visitare, quibus auctoritatem suam cõmittat prout sibi viderit expedire. Item Prouinciales cum fuerint absoluti pertinebunt ad illos Conuentus de quibus fuerunt assumpti, nisi per Superiores aliter de ipsis fuerit ordinatum. Statuimus, vt Prouinciales, & Diffinitores capituli prouincias suas per Vicarias distinguant, secundum quod eis expedire videbitur, quibus singulis Vicarios præficiant, qui non sint Priores, nec lectores actu legentes, nisi prius à suis officiis absoluantur, requisito consilio patrum præsentium ad dictas vicarias pertinentium qui sint de corpore capituli prouincialis. Qui Vicarij in domibus sibi assignatis vices Prouincialis plenariè gerant. *Cap. de elect. Prouincialis.*

Potestas siue iurisdictio Prouincialium, non se extendit vltra limites suæ prouinciæ etiam si dum actu Prouinciales sunt, locum habeant supra Priores alienarum prouinciarum, in choro processionibus & etiam in refectorio, dummodo tamen nolam non pulsent, & absoluti ab officio Prouincialatus, locum super alios fratres tenent in sua prouincia dumtaxat, vt traditum est cap. de loco seruando. Et quando à Diffinitoribus capituli prouincialis committitur Prouinciali, vt possit omnia facere, quæ ipsi possent, non tamen conceditur propter hoc ei aliquod sibi denegatũ à Constitutionibus, vnde vi huius concessionis non posset remittere pœnas priuatiuas condemnato ad pœnas grauioris culpæ. Et iuxta Constit. Iulij II. supra re-

latam capite de conditionibus eligendorum, eorum officium solum per quadriennium perseuerat nisi forsan hoc quadriennium finire continga tempore quo ordo Magistrum non habet, aut inchoato anno celebrandi capitulum generale in quo Prouinciales diffinire debent. Quæ Const. Iulij II. est prima inter sua priuilegia ordini nostro concessa. Et si contingat Priorem aliquem actualem eligi, & confirmari in Prouincialem statim vt prouincialatus confirmationem accepit, ab officio prioratus censeatur absolutus, etiam si talis absolutio in literis confirmationis non sit expressa. Prouinciales titulares nullo pacto creentur, excepto Prouinciali Terræ Sanctæ, quo titulo Magister ordinis potest vnum ex sociis suis insignire, vel etiam titulo Prouincialis Angliæ, vel alterius desolatæ prouinciæ, per concessionem factam Magistro ordinis à Iulio 3. quæ habetur inter priuilegia fol. 157. nec vnius Prouinciæ possunt esse plures, quam duo Prouinciales, vnus in sua, & alter in alia pruoincia quasi desolata, vti de mandato S.D.N. Papæ ordinatum fuit Romæ 1601. & confirmatum Valleoleti 1605. Mandātur autem multa Prouincialibus in diuersis capitulis generalibus, quorum præcipua hic breuiter recensenda sunt. Barch. 1574. eis præcipitur, vt in deligendis sociis non ducantur humano affectu, sed publicam vtilitatem intendentes socios eligant, prudentia, religione, & eruditione, præstantes, boni nominis, & exempli, amabilesuè, qui sibi cōsilio, & zelo prodesse sciant, & pòssint. Romæ 1571. & Barchin. 1574. eisdem imponitur, vt infra quadriennium, quo in officio suo perseuerant, visitare teneantur omnes Conuentus curæ suæ commissos, & illi quorum potestas non extenditur vltra biennium, saltem semel personaliter visitare debeant. Et Barchin. 1574. admonentur, ne diutius in Conuentibus quos visitant moram trahant, cum grauis iactura Conuentibus ob eorum præsentiam, & fratres ad eos aduenientes, sequatur. Ita tamen, quod inter visitandum, non contenti sint audire tantum, sed etiam inuestigent de statu Conuentus, de Priorum regimine, officialium administratione, & Lectorum sollicitudine, & curent post se relinquere euidentem fructum visitationis suæ. Aduertant tamen, ne faciles se præbeant in eiiciendis à religione fratribus, seu exuendis habitu, sed circa eos seruetur Constitut. de grauiss. culpa. Eisdem in cap. Veneto 1592. præcipitur, vt seipsos bonorum operum prębeant exemplum, voluntariam amplectentes paupertatem, vanitates omnes, & superfluitates, resecando, in vestibus, comitatu, itineribus, in victu, & cubiculorum ornamentis, quatenus sic subditos suos ad perfectionem perducant. Ipsis tamen ex communibus contributionibus ita prouideatur, vt honestam suoque gradui conuenientem familiam alere possint, hac lege, vt dati, & accepti in capitulo prouinciali rationem reddere teneatur, & Parisiis additur, vt de regimine, & aliis actionibus suis examini se subiiciant. Obseruent etiam illud Const. decretum, quod habetur cap. de elect. Magistri ordin. 5.

Statuimus autē, quod Magister ordinis, & Prouincialis, ac quouismodo Præsidēs nihil accipiat, directè, vel indirectè, etiam ipō-

te oblatũ, à quacũq; persona, siue prælata, siue subdita prætextu literarũ, sigilli, registri, licẽtiæ confirmationis, & vniuersaliter cuiuscũque gratiæ, aut iustitię concessæ, vel concedendæ, sed quilibet sit cõmunibus cõtributionibus cõtẽtus, & Prouinciales ac alij inferiores Prelati cõtrafacientes in pœnã à suis officijs absoluãtur.

Romæ etiam 1571. & subinde in multis capitulis sequentibus prohibetur eisdem ac omnibus Visitatoribus, & Prælatis, ne pecuniam, aut preciosa munera recipiant à fratribus, vel sororibus, ab his maximè, qui vel gratiam, vel iustitiam prætendunt, nec etiam secularium interuentu, exceptis paruis munusculis, quæ inter amicos offerri solent, & facultas ea retinendi tollitur, vnde vitium proprietatis incurrunt. Et in proposito obseruetur statutum Clementis 8. quo interdicit largitionem munerum inter religiosos his verbis.

Inter religiosos quoque ne praua ambitionis impulsu pro consequendis gradibus alter alterius gratiam aucupetur, quæcumque munerum largitio, nisi rerum minimarum cum licentia expressa Superiorum in scriptis, sit penitus interdicta.

Admonentur etiam Prouinciales Romæ 1583. vt per singulos annos bis saltem certiorem reddant Magistrum ordinis de statu suarum prouinciarum, cum illi cura sit de omnibus. Et Parisiis 1611. dicitur, vt Priores singulis mensibus Prouincialem moneant de negociis occurrentibus sui Cõuentus, & Prouinciales idem faciant erga Magistrum sexies saltem in anno, qui in Europa sunt. Qui autem in Indiis morantur toties quoties occasio se obtulerit. Et Venetiis 1592. statuitur, vt mittant notam præcipuorum Patrum, qui regularis obseruantiæ zelo, dexteritate prudentiæ in regendo, aut etiam literarum sufficientia pollent inter alios, quatenus opera eorum in negociis vti possit. In assignandis hinc inde fratribus seruet, quod traditur, Romæ 1589. vt. s. abstineant à multitudine assignationum infra annum, vt vagandi tollatur occasio, & permittant Lectores prosequi cursum lectionum cum eisdem discipulis. Neque concedant Præsidentibus Conuentuum assignationes indeterminatas, quas albas vocant, nec fratribus licentias dent absque temporis determinati designatione, quo transacto nullæ sunt, vt mandatur Valleoleti 1605. & confirmatur Romæ 1608. Procurent etiam certam habere notitiam de reditibus certis, & incertis quorumcumque Conuentuum, & de consilio grauiorum patrum singulis numerum præfigant, vltra quem eos non aggrauent, vt de necessariis prouidere possint vt traditur, & Valleoleti & Parisiis. Et si inter visitandũ repererint loca in quibus religio minus foueri possit, quin potius sint ocij fomenta & scandali, maturo consilio discretorũ renuntient, vt dicitur Barch. 1584. Et Valentiæ 1596. additur, vt loca in quibus ad minus quatuor fratres clerici morari non possunt, renuntientur, exceptis locis prouinciarum desolatarum, & Indiarum, & his, quæ itinerantibus pro hospitio deseruiunt. Commissum etiam fuisse reperitur Prouincialibus Bonon. 1564. Romæ 1571. Barchin. 1574. Romæ 1580. & alibi, vt ad petitionem fratrum arctè regularem vitam seruare volentium

vnum, vel plures Cõuentus deputent. Et præterea Valleoleti 1605. mandatur eisdem iuxta Constitut. Bonifacij VIII. vt in qualibet prouincia vnum, vel plures deputent Conuentus in quibus Constitut. cum omni rigore seruentur, nec in eis dispensetur in carnibus, & aliis regulari vitæ repugnantibus, nisi infirmitatis causa, ad quos tamen deputare non debent fratres, nisi sponte se exhibentes. Et huiusmodi fratres subditi suis Prouincialibus remaneãt, nec possint formam habitus mutare, nec bona immobilia, aut preciosa alienare, nec alios fratres spernere, aut illis detrahere audeant, memores quod perfectio vitæ Christianæ in humilitate consistit. Et vice versa Prouinciales eos foueant in bono proposito, ac adiuuent, ne Domini spiritus in eis extinguatur. Et vt multa summarie annotemus, cauere debẽt Prouinciales infra scripta. Fugitiuos, & vagabundos non recipiant, nisi in carceribus, & punitos ad suos Conuentus remittant. Gratias siue remissiones pœnarum non concedant fratribus interuentu quorumcumq; secularium, iuxta Constitutiones Gregorij XIII. Clementis VIII. Pauli V. Nouitios ad habitum recipi non permittant, nisi habeant requisita tradita in Constitutionibus Apostolicis. Neque eos à cura Magistri abducant ante ordinem sacerdotij. Confessarios monialium non instituant nisi ætate graues, & scientia præditos. Prædicatores non creent nisi præuio examine. Lectores nouitiis puris non assignent. Curent vt Conuentus in quibus nouitij aluntur bis in anno visitentur. Attendant, vt nedum abusus non introducantur in prouinciis suis, sed reformationem in his quæ regularem obseruantiam concernunt introducant. Visitatoribus particularibus ad aliquos Conuentus visitandos missis visitationis tempus præfigant, vltra quod visitationem non protrahant. Non permittant Lectores artium tempore quadragesimæ ob conciones ordinariam lectionem dimittere. Ne Priores itinera voluntaria arripiant, & à suis Conuentibus facile recedant, diligentiam adhibeant. Studium linguarum, Græcæ, Hebraicæ, & Latinæ in Conuentibus vbi viget studium erigant, ac etiam Chaldææ in celebrioribus studiis, mandato D. Pauli V.

Insuper librum habeant quem regestum vocant, in quo principalia per eos acta notentur. Deputationes fratribus non nisi ad breue tempus concedant. Ad capitula generalia prouincialium proficiscantur, & si legitimum impedimentum obstiterit Magistrum ordinis admoneant. Conuentibus in quibus electiones Prælatorum celebrandæ sunt nullum proponant eligendum, quod si necessitas id postulauerit, tres ad minus nominent. De translationibus conuersorum ad statum clericalem non se intromittant, nec de translationibus filiationum. Postremo Parisiis 1611. admonentur, vt Prioribus Conuentuum auctoritatem, quæ eisdem per Constitutiones, & de iure communi concessa est, auferre aut limitare non attentent, & vice versa Priores facultatem Prouincialibus tantum concessam, sibi vsurpare non præsumant. Hæc eadem seruare debent Vicarij Congregationum siue Vicariarum.

De electione electoris Prouincialis, vel socij Prioris euntis ad Capitulum Prouinciale.

CAPVT XX.

ELectio Prouincialis pertinet ad Priores, & vnum fratrem de quolibet Conuentu ad hoc idem pro qualibet electione de Prouinciali facienda, si pluries fieri contigerit, nouiter electum, nisi confirmator præsens fuerit, aut in tam parua distantia, quod ante dissolutionem prioris congregationis potuerit de cassatione electionis factæ, si eam cassari contingit, nuntium peruenire, tunc enim secũda, & tertia electio, si opus fuerit, ad eosdem pertinebit.

Qui electores à maiori parte vltra medietatem per disquisitionem Supprioris vel Vicarij eius, & duorum fratrum qui primitus habitum nostri ordinis susceperunt, &c. omnibus fratribus ad eum Conuentum pertinentibus conuocatis, eligantur, & ad eos pertinebit electionem Prouincialis celebrare, secundum formam in electione Magistri ordinis infra positam, excepto quod eos includi non oportet. *Ex cap. de electione Prouincialis.*

Ille elector in anno electionis Prouincialis sit etiam socius Prioris euntis ad capitulum prouinciale. Quod si eum impediri contingat antequam iter arripiat, Conuentus poterit alium eligere. Idem dicitur etiam de socio Prioris electo pro capitulo prouinciali. *Ibidem.*

Hi socij, & electores tantum de Conuentibus in quibus sunt assignati assumantur. *Ex cap. de electione diffin.*

In declaratione prædictorum videntur haberi duo dicta contraria, nam primo dicitur Priorem in electione electorum Prouincialium debere habere primam vocem, non obstante quod in Const. habeatur, talem electionem fieri debere per disquisitionem Supprioris, & duorum antiquiorum, & secundo subditur Priores non debere se intromittere de tempore, vel de die instituendo pro tali electione, nec de quocumque alio eorum quæ ad tractatũ capituli prouincialis pertinent, vel ad electionẽ socij, nec eius electioni interesse debere, cũ hæc ad Suppriores pertineãt, nisi forsan dicatur primũ dictũ de electione electoris intelligi debere, secundum vero de electione socij. Qui elector vocem tantum habebit in capitulo illius anni, quod si eo anno supersedeatur à capitulo non erit admittendus ad capitulum sequens. Similiter si aliquis fuisset electus in electorem viuente Prouinciali, & postea contingeret eum mori aut amoueri, non erit talis frater verus elector, sed oportebit alium eligere quando electio fieri deberet per electores, & non per capitulum prouinciale.

Iste socius siue elector debet eligi per schedulas secundũ formã canonicam, vt traditũ fuit Bononiæ 1564. Vbi etiam dicitur quod qui vno anno in vno Conuentu electus fuit in socium, non poterit in eodem Cõuentu anno sequenti eligi. Quod assertum reuocatum fuit Romæ 1569. Vbi vero non sunt quinque vocales excepto Priore non potest eligi socius, & ita electus non debet admitti, quia nulla est electio. N cap. 1600. Parisiis vero 1611. additur oportere esse ad minus sex vocales. Et qui vno anno sociũ in vno Conuentu elegit, non poterit eodẽ anno in alio Conuentu alium eligere socium.

Quia absentia Suppriorum Conuentui valde damnosa est, nullo modo debent eligi in socios Priorum, & qui oppositum fecerint, debent grauiter puniri, & voce priuari, ita dicitur in decl. cap. de elect. Prioris. Veruntamen Romæ 1608. declaratur Suppriores qui sunt Prædicatores generales posse ire ad capitulum, cum in eo vocem habeant. Simul autem cum electione socij debet formari scrutinium supra retentione vel amotione Prioris, iuxta seriem Const. cap. de capitulo Prouinciali, vbi dicitur.

Fiat autem scrutinium secretum in conspectu omnium, super retentione vel absolutione Priorum, cum expressione nominum, & officiorum fratrum exprimentium vota sua præsentium in Conuentu, per Suppriorem vel eius Vicarium, & duos antiquiores in ordine, & sigillo Conuentus sigilletur, & mittatur per socium ad capitulum, & non debet publicari nec alicui ostendi.

Romæ 1571. declaratur huiusmodi scrutinia debere fieri iuxta morem ordinis, dispensando etiam super his qui per schedulas illa peragere solebant.

De electione Diffinitorum capituli prouincialis.

CAPVT XXI.

IN singulis capitulis prouincialibus, quatuor fratres de magis idoneis per disquisitionem Prouincialis vel eius Vicarij, & Prioris, & Supprioris loci in quo celebratur capitulum, & si vnus defuerit per disquisitionem duorum, & si duo defuerint per disquisitionem duorum antiquiorum in ordine præsentium in capitulo, hoc modo eligantur. Prædicti duo vel tres scrutatores in eodem loco coram oculis omnium recipiant schedulas sigillatim omnium, conscribant nomina electorum in eis, & antequam fratres recedant, publicent scrutinium. Et illi in quibus plures conuenerint pro Diffinitoribus habeantur.

Prædicti Diffinitores eligantur die præcedenti diem assignationis capituli, & ex tunc illorum auctoritas incipiet. Quod si aliquem illorum durante capitulo mori vel impediri contigerit, alius eodem modo eligatur, qui loco decedentis cum aliis omnia diffiniet, & tractabit. Qui in vno capitulo Diffinitores ele-

cti fuerint, sequenti anno ad idem officium non eligantur.

Declaratur autem quod ad hoc vt aliquis sit Diffinitor, non solum oportet vt habeat plures voces in comparatione aliorum, sed debet habere plures vltra medietatem. Et debent omnes quatuor Diffinitores eligi simul, & non sigillatim, nisi in illis prouinciis in quibus eliguntur per nationes. Et statim vt electi sunt, locum tenent super omnes fratres, inter se autem secundum ordinem graduum, vel Conuentuum dignitatem, & suam auctoritatem non possunt prorogare vltra decem dies, vt in Constit. notatur, cap. de solemni celeb. capituli, quod tempus etiam Diffinitoribus capituli generalis ibidem assignatur.

Ex hac autem declaratione deducitur. Diffinitores duobus modis eligi posse vel generaliter quando omnes vocales conueniunt ad electionem quatuor Diffinitorum, vel per nationes, quando vocales in quatuor partes diuiduntur, & vnaquæque pars suum Diffinitorem eligit, vt fit in prouincia Lombardiæ. Et Neapoli 1600. declaratur, quod in illis prouinciis in quibus collectim eliguntur, si accidit plures habere vota æqualia, illi præferantur qui aut ratione gradus, aut ratione antiquitatis in ordine alios præcedunt. Et si per nationes eliguntur, necesse est dicere duos antiquiores inter vocales vnius nationis, debere scrutari vota eligentium. Et Parisiis 1611. statuitur, vt vbi Diffinitores eliguntur per nationes, scrutatores vocalium etiam per nationes eligantur à patribus prouinciæ. In prouincia tamen Lombardiæ nihil innouatum esse dicitur. Venetiis 1596. declaratur ad tollendas difficultates circa locum Diffinitorum, vt ipsi locum teneant inter se secundum ordinem Conuentuum, nec vllo pacto detur locus primus Priori Conuentus in quo capitulum celebratur, si fuerit Diffinitor, nisi causa Magisterij honoratior locus sibi debeatur.

De electione Diffinitoris capituli generalis.

CAPVT XXII.

STatuimus, vt imminente proximo capitulo generali Diffinitorum, in capitulo prouinciali eligatur vnus de magis idoneis à maiori parte capituli per disquisitionem Prouincialis, vel eius Vicarij, & Prioris ac Supprioris loci illius in quo capitulum prouinciale celebratur, & si vnus defuerit per disquisitionem duorum, & si duo defuerint per disquisitionem duorum antiquiorum in ordine præsentium in capitulo, eligatur, qui sit capituli generalis Diffinitor. Cui socius competens à Prouinciali, & Diffinitoribus assignetur. Qui Diffinitor, & socius solum ex suis prouinciis quorum sunt filij assumantur. quod si supersedeatur illo anno à capitulo generali, & in sequenti capitulo prouinciali, alter eligatur, hic erit Diffinitor capituli, si vero nullus electus fuerit, prior electus pro Diffinitore legitimo habeatur.

Nolumus

Nolumus autem quod qui in præcedenti capitulo electus fuerit Diffinitor, ad idem officium eligi valeat in anno diffitorum proxime sequenti. Si vero medio tempore decesserit, vel in Prouincialem electus fuerit, & confirmatus, vel aliquo modo impeditus, ita vt non possit ad capitulum generale venire, ipso iure eius loco socius eius Diffinitor habeatur, nisi forsan superuenerit Diffinitor, cui socius cedet, etiam post inceptam per eum diffinitionem. Quod si alterum eorum supradicto modo impediri contigerit primus Conuentus ad quem declinauerit, teneatur ei de competenti socio itineris prouidere.

Diffinitores capituli generalis per scrutinium canonice eligi debent, & ideo prohibitum reperitur ne vocales in capitulo congregati committant Prouinciali aut Diffinitoribus capituli prouincialis electionem Diffinitoris prædicti, sed eligantur à maiori parte vltra medietatem iuxta seriem Constitut. Et Bonon. 1564. imponitur vt hæc electio fiat iuxta formam electionis canonicè traditam à Concilio Trid. Neap. 1600. instituitur, vt Prouinciales non possint eligi in Diffinitores capituli generalis diffinitorum tam primi quàm secundi, neque etiam deputari in socios eorum. Possunt tamen eligi Priores actuales. Et si quis Prior electus fuerit in Diffinitorem vel socium eius, propter eius absentiam à suo Conuentu non debet absolui, & si absoluitur, nulla est absolutio, nisi alia subsit causa.

Cum dicitur in Constit. Diffinitores, & socios debere esse de illa prouincia in qua eliguntur, declaratur, vnum dici de aliqua prouinciæ in hoc loco, quando in ea pro aliquo Conuentu illius prouinciæ professus est, vel quādo ad illam auctoritate Magistri ordinis, aut capituli generalis translatus est. Vnde quamuis frater alterius prouinciæ si in aliena prouincia per annum continuum moratus sit, habeatque alia requisita. possit eligere Priores, & eorum socios non tamen ipse poterit eligi in Diffinitorem vel socium eius. Romæ autem 1601. mandato S. D. N. Clementis VIII. ordinatur, vt in prouinciis quasi desolatis habentibus tantum aliquos Conuentus, non possint esse plures Diffinitores aut Prouinciales vnius alterius prouinciæ, ita vt quælibet prouincia vltra tria vota propria quæ habet in electione Magistri ordinis, non potest pro alienis prouinciis habere nisi vnum votum. Quādo autem in capitulo electionis Magistri ordinis nō habetur Diffinitor, & elector alicuius prouinciæ, tunc loco ipsorum debent duo Diffinitores cap. prouincialis, admitti, vt dicetur cap. de electione Magistri ord. Neap. 1600. Imponitur Prouincialibus, vt Diffinitoribus, & sociis euntibus ad capitulum generale dent sufficientem summam pecuniarū pensata qualitate personarum, & itineris, vt commode ire, & redire possint. Diffinitores tam capituli generalis quam prouincialis dicant Fideliū, etiam præsente Priore. Valleoleti 1605. Et Diffinitores in anno diffinitorū tenebunt locum super Prouinciales Valentiæ 1596.

Hi socij cum contingit Prouincialem vel Diffinitorem ad capitulum non venire, & loco ipsorum diffinient, & socius Prouincialis tenebit locum post omnes Prouinciales, & si ibi erunt plures socij, illi inter se tenebunt locum suarum prouinciarum; sicut, & Diffinitores in anno Diffinitorum tenent locum supra Prouinciales, Valentiæ 1596.

Quandoque etiam isti socij, Diffinitorum euadunt electores Magistri ordinis, nam data electione Diffinitoris, & deputatione socij eius in capitulo prouinciali, si post accideret mors vel amotio Magistri ordinis, & non suppeteret tempus eligendi electores illius, tunc Diffinitor prædictus, & socius eius essent electores Magistri in illo capitulo, quod esset capitulum Diffinitorum. Si autem non essent electi Diffinitor, & socius, neq; suppeteret tempus eligendi, tunc duo Diffinitores capituli prouincialis præcedentis antiquiores in ordine essent in capitulo generali electores. Ita pariter si fieret electio Magistri in capitulo generali prouincialium, & mors vel amotio Magistri ordinis accidisset post celebratum capitulum prouinciale, tunc etiam duo Diffinitores capituli prouincialis antiquiores admitti debent ad electionem. Hæc habentur capitulo de electione Magistri ordinis, & in decl. eius, & in actis cap. Romæ 1583.

De electione Magistri ordinis.

CAPVT XXIIII.

STatuimus, vt si ante festum S. Michaëlis, vel in ipso festo contigerit Magistrum ordinis mori vel amoueri, Prior Conuentualis vel Prouincialis qui propinquior illi loco extiterit vbi Magister decessit. Parisiensi vel Bononiensi, sibi videlicet proximiori cum festinatione denuntiet. Alteruter autem istorum Conuentuum cui primo denunciatum fuerat, teneatur alteri nuntiare. Parisiensis autem Conuentus teneatur illico mortem vel amotionem prædictam nunciare Prouincialibus istis .s. Hispaniæ, Bethicæ, Arragoniæ, Portugalliæ, Tholosanæ, Franciæ, Prouincię, Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Germaniæ inferioris, Theutoniæ, & Prouinciarum Indiarum. Conuentus autem Bononiensis notificabit alijs Prouincialibus, .s. Lombardiæ, Romanæ, Regni, Trinacriæ, S. Thomæ, Calabriæ, Gręciæ, Terræ Sanctæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Vngariæ, Saxoniæ, S. Petri Martyris, S. Dominici, & S. Catherinæ Senensis.

Si autem ante dictum festum S. Michaelis Magister ordinis decesserit vel amotus fuerit, nihilominus modo prædicto nuntietur, vt supersedeatur illo anno à capitulo generali.

Prouinciales igitur omnium prouinciarum singuli cum duobus

fratribus in capitulo prouinciali electis à pluribus medietate omnium eligentium ad capitulum veniant generale. Si autem eo tempore fuerit celebratum capitulum prouinciale, & fuerint in eo electi Diffinitor, & socius quia celebrandum erat capitulum Diffinitorum, tunc Diffinitor, & socius prædicti, erunt electores Magistri ordinis. Si autem in dicto capitulo prouinciali non fuerint electi Diffinitor, & socius, quia proximum futurum capitulum generale non erat capitulumDiffinitorũ,sed Prouincialium, tunc duo de Diffinitoribus capituli prouincialis celebrati,qui primitus habitum nostri ordinis susceperunt, qui superstites sint, erunt illo anno electores Magistri ordinis, quorum antiquior erit etiam Diffinitor capituli. Qui si non venerit ad capitulum, aut extiterit Diffinitor præcedentis capituli generalis, tunc ad diffiniendum alter elector admittatur.

Qui postquam fuerint cõgregati in vigilia Pentecostes à Prioribus, & fratribus præsentibus in vno conclaui firmiter includantur, ita quod inde egredi nullatenus valeant, nec eis vllo modo alimenta subministrentur, quousque Magister odinis secundum formam canonicam sit electus. Hoc autem tam ab electoribus quam à recludentibus præcipimus firmiter obseruari. Quod si quis contraire præsumpserit, ipso facto sit excommunicatus, & pœnam grauioris culpæ sustinebit.

Forma autem electionis hæc est. Electoribus supradicto modo inclusis, si per scrutinium fit electio tres Prouinciales inter alios qui primitus habitum religionis susceperunt, voluntatem singulorum sigillatim,& seorsum aliquantulum coram oculis omnium recipiant, & conscribant, & notent numerum eorum qui electi sunt. Quod si inspirante Dei gratia in vnum omnes consenserint, aut maior pars vltra medietatem eligentium, ex vi talis electionis, & huius Constitut. ille sic electus, sit ordinis Magister.

Quod si aliquem vel aliquos de electoribus contigerit non venire, nihilominus per eos qui aduenerint, celebretur electio. Et hoc ita fiat, vt semper in secunda feria Pentecostes capitulum habeat Magistrum antiquum vel nouum, præsentem vel absentem, quia tunc incipit solemniter celebrari, ne acephalum iudicetur.

Hæc omnia quæ circa electionem Magistri statuta sunt, absquè contradictione, præcipimus firmiter obseruari. Qui autem ausus fuerit contradicere pertinaciter vel rebellare, tanquam excom-

municatus,& schismaticus,& destructor nostri ordinis habeatur, &quousque satisfecerit à communione omnium sit penitus alienus, & pœnæ grauioris culpæ subiaceat. Præcipimus etiam in virtute Spiritus Sancti, vt nullus ante electionem Magistri ord. circa statum ordinis aliquid audeat immutare.

Circa tempus electionis Magistri ordinis Constit. aperte loquitur, nam si Magister moritur aut ab officio amouetur ante festum S. Michaelis, eligendus est Magister in vigilia Pentecostes proxime futura, idem etiam faciendum est si ipso die festo decedit. Si autem moritur vel amouetur post diem festum prædictũ, reseruabitur electio in subsequentem vigiliam Pentecost. non illius anni proximi, sed subsequentis.

At plusculum difficultatis versatur circa electores, nam quamuis apertum sit ex qualibet prouincia aduenire debere tres vocales qui sint Prouincialis, Deffinitor, & Elector, quis tamen sit aut esse debeat Diffinitor, & Elector aliquando difficultatem habet. Dico igitur primo, quod si capitulum in quo celebranda est electio Magistri ordinis est capitulum Diffinitorum, destinguendum est, nam aut tempore mortis Magistri erat celebratũ capitulum prouinciale, & ex consequenti in eo erat electus Diffinitor, & socius, & hoc casu ambo isti vocem habebunt in electione, & socius Diffiitoris erit elector, aut non erat celebratum hoc capitulum prouinciale, & tunc etiam subdiuidendum est, nam aut suppetit tempus celebrandi illud, aut non, si suppetet, celebretur, & eligãtur Diffinitor, & elector, si non, duo Diffinitores capituli prouincialis præcedentis, antiquiores in ordine superstites, sint electores Magistri, quorum duorum antiquior sit Diffinitor, & alter Elector, & si primus ad capitulum non venerit, aut in præcedenti capitulo generali fuerit Diffinitor, alter succedat, nam vnus non potest diffinire in duobus capitulis immediatis, & hoc est quod tradit Constitutio in illis verbis iuxta declarationem capituli Romani 1583. §.

Quando ex quacumque causa, non fuerint electi Diffinitor, & socius, vel electores, neque suppetat tempus vt eligantur, propter aliquod impedimentum legitimum iudicio discretorũ, tunc duo diffinitores capituli prouincialis, &c.

Hoc enim dictum ad capitulum Diffinitorum referendum est, non autem ad annum prouincialium, vt ibidem dicitur. Si autem capitulum electionis sit capitulum Prouincialium, siue sit celebratum capitulum prouinciale, siue non, non debet aliud capitulum prouinciale celebrari ad hunc effectum eligendi dictos Electores, sed assumi debent duo antiquiores Diffinitores capituli prouincialis, qui erunt Electores Magistri ordinis modo dicto. Si tamen capitulum prouinciale alia de causa celebraretur, tunc in eo eligi debent Diffinitor capituli generalis, & elector. Quod si contingeret antiquiorem Diffinitorem capituli prouincialis, in Prouincialem confirmatum fuisse tempore electionis, iudicandus est tanquam non superstes, & ideo alij duo sequentes munus electionis subibunt. Et ibidem. §. Romæ

1583. dicitur. Si antiquior illorum quatuor Diffinitorum capituli prouincialis deficiet, aut morte, aut senio, infirmitate, vel alio impedimento, tunc primo succedat secundus, & secundo tertius, & tertio quartus, quod si omnes defecerint, recurrendum est ad capit. immediate præcedens, sic retrocedendo quousque prouincia possit suis suffragijs gaudere.

Quoad formam electionis, non conueniunt in scrutatoribus huius electionis Constitutio, & declaratio, nam Constit. dicit tres de Prouincialibus, qui primitus habitus nostri ordinis susceperunt debent voluntatem singulorum disquirere, & conscribere .i. iuxta decretum Conc. Trid. schedulas votorum recipere, & esse scrutatores, Declar. vero huius cap. dicit. Tunc Vicarius ordinis cum duobus Prouincialibus, qui diutius habitum religionis portauerunt, vota singulorum disquirant, &c. In quam vero partem inclinandum sit iudices sint Superiores. Hoc tamen certum est, quod si Vicarius ordinis præter leges nostras esset à S. sede deputatus, non posset esse scrutator, cum nec vocem habeat per decretum Pauli III. quod reuocat Constitutionem Alex. VI. vt habetur cap. vlt. Constitut. Hæc autem sunt, quæ obseruari debent in electione Magistri ord. desumpta, tum ex formulario ord. tum ex declarationibus Constit. Primo deputantur examinatores vocalium, qui debent esse tres, vnus de Hispania, alter de Gallia, alius de Italia. Secundo in die electionis debet cantari missa de Spiritu Sancto, cui Vicarius ordinis cum Prouincialibus, & Electoribus interesse debet, & debent in ea dici orationes de B. Virgine, & B. Dominico. Tertio congregentur fratres ad capitulum per Vicarium, & fiat sermo exhortatorius ad eligendum virum prudentem, discretum, maturum, doctrina, & virtutibus ornatum, zelatorem religionis, & obseruantiæ regularis. Quarto finito sermone includantur omnes electores in sacristia, vel alio loco per Priores, qui sunt in capitulo. Quinto in conclaui legatur Constitutio, & Rubrica de electione Magistri ordinis, & aliæ literæ Apostolicæ, si quæ sunt legendæ. Quinto seruentur, quæ supra tradita sunt seruanda in quacumque electione .s. perquisitio num placeat locus, & tempus celebrandi electionem per viam scrutinij, protestatio de non admittendo, aut excludendo, non admittendos, nec excludendos, absolutio à censuris, inuocatio gratiæ Spiritus sancti per Hymnum, Veni Creator Spiritus, &c. & Antiphonam, Veni sancte Spiritus, &c. & orationem, Deus, qui corda, &c. Sexto scrutatores ad mensam in oculis omnium præparatam accedant, & primi schedulas suas in vrna ponant, deinde omnes alij non turmatim, sed sigillatim, attendentibus scrutatoribus, vt vna tantum ab vno ponatur. Septimo numerẽt, vt videant, an sint æquales Electoribus, & percepta æqualitate aperiant, & legant eas, & notent quot vota quisque nominatus habeat. Octauo comburantur schedulæ. Nono publicetur scrutinium per Vicarium electionis dicentem, quot vota quisque habuit. Decimo, si vnus à maiori parte vltra medietatem nominatus fuerit, dictus Vicarius, siue primus inter scrutatores formet decretum, vt supra, & ex vi talis electionis absque alia confirmatione electus sit Magister ordinis. Si autem primus in-

ter scrutatores reperitur electus, formet decretū secundus, vltimo in conclaui incipiatur. Te Deum, & fratres, qui sunt extra aperiant ostium conclauis, & prosequantur canticum, ad Ecclesiamque accedant duobus antiquioribus Prouincialibus Magistrum ducentibus post alios, & Magister prosternat se ante gradus altaris, & antiquissimus Prouincialium dicat versum, Saluum fac seruum tuum, &c. Dominus vobiscum. Oremus.

Concede quæsumus omnipotens Deus, vt famulum tuum, quem ad regimen animarum nostrarum elegimus, dono tuæ gratiæ prosequaris, vt te largiente, cum ipsa tibi nostra electione placeamus. Per Christum Dominum, &c.

Postea ijdem antiquissimi Prouinciales Magistrum eleuent, & faciant eum sedere in sua sede chori & interim ad capitulum pulsetur, & fratres sine processionis ordine capitulum intrent, & vltimō Magister. Et positus in loco suo seipsum commendet orationibus fratrum, & proponat, quæ proponenda habet circa spiritualia, & posta dicat, Adiutorium nostrum, &c.

De Magistri ordinis auctoritate, & officio.

CAPVT XXV.

SVprema est in ordine auctoritas, & iurisdictio Magistri ordinis super omnes fratres, & moniales, ab Apostolica sede immediate dependens, vnde hic oportet priuilegia illi concessa recensere, Innocentius IV. in priuilegio suo primo, ei indulget, vt cum fuerit canonice electus, illico confirmatus existat, & vt caput ordini præsideat, & hæc sunt eius verba.

Cum igitur tu Magister, & prædecessores tui iuxta eiusdem ordinis antiquam consuetudinem hactenus seruatam, & à sede Apostolica toleratam, statim postquam electi secundum Constitutionis formam extitis, fratrum omnium curam gesseritis, magisterij officium plene, & libere in omnibus exercentes, ipsique fratres vobis deuote, & humiliter obedierint, &c. Nos volentes omnem ambiguitatis scrupulum in hac parte de vestris cordibus amputare, &c. vestris supplicationis inclinati, vt successores tui Magistri, qui pro tempore erunt, statim postquam electi secundum Constitutiones prædictas fuerint, eo ipso veri eiusdem ordinis effecti Magistri curam animarum fratrum plene habeant, & libere gerant, ipsosque fratres auctoritate propria ligare, & soluere valeant, necnon in eodem ordine agere, quæ ipsi Diffinitores iuxta memoratas Constitutiones secundum Deum viderint expedire, & magisterij officium licite in omnibus exercere, ijdemque fratres tibi, & successoribus tuis deuote, & humiliter intendant, &c. Apostolica auctoritate tenore præsentium, de fratrum nostrorum consilio indulgemus.

Idem recenset, & confirmat Sixtus IV. in Mari magno.

Consuetum tamen est ipso die electionis solemni processione totius generalis capituli post vesperas Magistrum electum ad S. D. N. Papam deduci, & ab eodem humaniter, & beneuole recipi, quod, & solet toti ordini denuntiari in actis eiusdem capituli. Habet, etiam Magister ordinis illico electus iurisdictionem super fratres Armenos. S. Basilij per diploma Bonifacij IX. quod est inter sua 6. & tale est.

Nos vestigiis inherentes Innocentij VI. Vrbani V. ac nonnullorum prædecessorum nostrorum, dilectos filios fratres ordinis Armenorum Sancti Basilij, ac etiam vnitorum seu qui vniti, & Armeni nuncupantur, sub cura, & regimine ordinis fratrum Prædicatorum auctoritate Apostolica subijcimus, & ponimus per præsentes, statuentes, quod deinceps Magister dicti ordinis pro tempore existens per se, vel alium, seu alios, in domibus, & locis omnibus dictorum fratrum Generales, seu Gubernatores, ac Vicarios, & alios officiales pro suæ voluntatis beneplacito amouere, & electos confirmare, ac domos, & loca, ac fratres visitare, & ea quæ correctionis, & visitationis officio nouerint indigere, prædicta corrigere, & reformare prout de iure, vel consuetudine dicti ordinis fuerit faciendum, ac alia omnia, & singula erga fratres facere valeat, quæ præfatus Magister in ordine prædicatorum facere potest, & debet, gratijs, & immunitatibus illis alias concessis in suo robore manentibus, Non obstantibus, &c.

Matinus V. plurima priuilegia contulit Magistro ordinis, quæ habentur in suo priuilegio 3. & hæc præcipua sunt.

Deuotis in hac parte supplicationibus inclinati, & Benedicti, ac Gregorij II. & aliorum prædecessorum nostrorum vestigijs inhærentes, de Apostolicæ potestatis plenitudine, ex certa scientia, tenore præsentium indulgemus. Vt tu Magister ordinis, & successores tui pro tempore, in quolibet capitulo generali vni ex fratribus in theologica facultate prouecto, per tuam, vel successorum tuorum, necnon, & diffinitorum dicti capituli, vel aliorum Magistrorum ad hoc assumendorum, diligentem examinationem, sufficientem, & idoneum inuento; magisterij honorem, & docendi licentiam in facultate prædicta largiri, & gratijs quibuscumque vti, & gaudere valeat, ac si in Parisiensi studio magisterium recepisset, possitis.

Quodque tu, & successores tui omnes, & singulos fratres ad partes infidelium transmissos seu in pœnitentiarios extra Romanam Curiam, & Inquisitores hæreticæ prauitatis nec non Prouinciales, Priores, Vicarios, Lectores, Baccalaureos, per quoscumque, qualitercumque, & quauis auctoritate etiam nostra deputatos hactenus; & in posterum deputandos, & alios quoscumque officiales, &c. reuocare, & ab huiusmodi officijs, & administrationibus remouere, ac alios loco ipsorum substituere, ac eorum officia limitare valeatis.

Vt etiam aliquem ex fratribus tui ordinis, Procuratorem deputare, & instituere, & institutum ab officio amouere, & alium loco eius ponere, semel, & pluries, toties & quoties, placebit, qui ipso facto omnium Prouinciarum Conuentuum, & Locorum ordinis, & personarum censeatur Procurator, & sit, nec decedente Magistro ordinis expiret, donec per succedentem Magistrum aliter ordinetur, Dictusque Procurator possit causas quascumque tam ciuiles, quam criminales, ecclesiasticas, & mundanas, &c. per se, & per alium, seu alios, tam in Romana Curia, quam extra, contra quascumq; personas, collegia, & vniuersitates mouere, & prosequi valeat, &c. valeatis.

Quodque tu, & successores tui cum quibuscumque personis tui ordinis vtriusque sexus, ex quocumque damnato coitu, procreatis, vel procreandis, vt ad quoscumque gradus, dignitates, honores, & officia in ipso ordine dumtaxat promoueri libere & licite possint (generali excepto ordinis magistratu) auctoritate Apostolica dispensare valeatis.

Vt illos ex fratribus, qui forsan ante legitimam ætatem se fecerint, aut permiserint à quocumque sacros ordines promoueri, ab omnibus sentẽtijs, & pœnis, quas propterea incurre-

incurrerint, eadem auctoritate absoluere, & super irregularitate forsan per eos qualitercumque contracta, auctoritate Apostolica dispensare valeatis.

Vt quascumque vtriusque sexus personas, tibi, & successoribus pro tempore, confitentes extra prædictam curiam, ab eorum peccatis in illis casibus tantum in quibus minores nostræ sedis pœnitentiarij possunt, absoluere possitis.

Vt quoties tu, & successores tui per aliquas mundi partes iter facere contingerit, missam antequam dies illucescat circa tamen diurnam lucem celebrare, aut per alium idoneum sacerdotem celebrari facere possitis, ita vt vobis ad culpam imputari non valeat.

Iulius II. hæc alia priuilegia eidem Magistro concedit in suo priuilegio.

Nos igitur tuis supplicationibus in hac parte inclinati, auctoritate Apostolica ex speciali gratia concedimus, vt tu Magister, & successores tui, omnes vtriusque sexus personas ad ordinem spectantes, licentiare ad confitendum peccata sua sacerdotibus alijs, deficiente idoneo ordinis Confessore, possitis.

Vt ad magisterium in theologia, etiam peracto quadriennio lectura pro gradu & forma eius, seruata tamen consuetudine dicti ordinis licentiam dare valeatis.

Vt moniales infirmas ad balnea de consilio medici, cum honesta societate sororum licentiare valeatis, ita tamen, vt nulla sit omnino inhonestatis suspicio, & vagationis, sine luxus.

Vt ordinationes factas à quondam Magistro ord. F. Vincentio Bandello, quamuis Apostolico præcepto firmatas, sicut & aliorum prædecessorum tuorum mutare, & reuocare tu Magister valeas.

Idem Pontifex in suo priuilegio 3. has eidem Magistro gratias confert.

Volumus, & tibi Magister ordinis concedimus, quod si in Constit. ordinis aut etiam circa priuilegia ab ipsa S. sede concessa vel in posterum concedenda, quæ omnia tenore præsentium confirmamus, aliqua ambiguitas emerserit, tu illam quoad serenitatem conscientiarum tuorum subditorum tantum possis auctoritate Apostolica declarare.

Nolumus personas tui ordinis confessionalibus vel indulgentiæ literis etiam per sanctam sedem emissis vel emittendis, nisi consensu tuo accedente, & eo durante, gaudere posse.

Concedimus vt mulieres sorores quæ de pœnitentia vocantur, collegialiter viuentes si tibi placuerit, & illæ hoc cupiant, tria vota religionis in manus tuas, aut illorum quos duxeris deputandos, emittere licite valeant.

Binos præterea fratres tibi de more socios, quorum vnus Prouincialis Terræ Sanctæ, alter scriba esse solet, &c. ad Baccalaureatus, & Magisterij Theologiæ gradus, & honores valeat promouere. Hæc autem ita concedimus, vt eadem simili auctoritate successoribus tuis indulgeamus.

Idem Iulius II. in alio suo priuilegio, quod habetur fol. 246. indulget, vt infra.

Volumus, & declaramus quod Magister generalis pro tempore, possit in regularis vitæ fauorem eximere non solum Conuentus fratrum à cura, & iurisdictione Prouincialium, sed etiam monasteria sororum sub cura, & habitu eiusdem ordinis existentium, & collegia ac personas vtriusque sexus tertij habitus eximere, quamuis secundum Constitut. & priuilegia Apostolica, ac fundationes, cautum sit vt Prouincialibus subsint.

Iulius 3. duo priuilegia infra notata Magistro ordinis præbuit.

Concedimus tibi, & futuris generalibus, vt iuxta antiquam, & approbatam consuetudinem, vnum ex sociis tuis nulla praecedente electione, titulo Prouincialis Terrae Sanctae, vel Angliae, vel alterius desolatae prouinciae auctoritate Apostolica insignire valeas. Qui voce, loco, & aliis gratiis quibus caeteri Prouinciales in dicto ordine, & cap. generalibus gaudere solent gaudeant, & potiantur.

Item concedimus tibi Magistro, vt vnum vel plures tui ordinis religiosos etiam in sacerdotio constitutos, in notarios siue tabelliones ad effectum vt inquisitiones, interrogationes, responsiones, attestationes, confessiones, & acta quacumquè quae circa negocium fidei, & officium inquisitionis pro tempore facienda occurrerint, constituere, & deputare possis, auctoritate Apostolica indulgemus.

Quantam vero habeat auctoritatem spiritualem super omnes fratres, & moniales circa absolutionem à peccatis, casibus, & censuris, & dispensationem super irregularitatibus, illegitimationibus &c. suis locis expressum fuit. Aduertatur tantum facultatem licentiandi moniales ad balnea moderatam fuisse per sac. Conc. Trid. sess.25. cap.5. quo in loco statuitur nemini sanctimonialium licere post professionem egredi à monasterio quacumq; causa, nisi legitima ab Episcopo approbanda quibuscumque priuilegiis non obstantibus.

Quaedam etiam Magistro ordinis interdicta sunt, siue per mandata Apostolica, siue per nostras Constitutiones, quae afferenda sunt. Vetitum autem reperitur nedum ipsi soli, sed etiam aliis Praelatis ordinis concedere gratias aut gradus, & officia fratribus per mendicatos fauores existentium extra ordinem. Nam Gregorius XIII. ita digreditur in quadam sua Constitutione promulgata inter acta capituli Romani 1580. Cuius summa est.

Dilectis filiis Magistro Generali, & Prouincialibus, ac reliquis Praelatis, per Apostolica scripta, & in virtute Sanctae obedientiae, praecipimus, ne ad instantiam, & requisitionem quarumcumque personarum tam laicarum quam Ecclesiasticarum extra ordinem constitutarum, etiam Cardinalatus honore, ac quacumq; seculari dignitate, etiam Regali, &c. fulgentium, cuiuis Religioso vllam gratiam concedere, vel poenas aliquas remittere, praesumant, tenore praesentium, inhabilitantes fratres hac via fauores mendicantes, ad talia, & similia, & etiam maiora in ordine consequenda, à qua inhabilitatione non nisi per sedem Apostolicam dispensari posse volumus.

Clemens Papa VIII. aliam similē, & ampliorē edidit Const. talis tenoris.

Praefatam Gregorij prohibitionem de gratiis per mendicatos fauores vt prefertur, non concedendis, extendimus, & extendi debere decernimus, ad quoscumque gradus, honores, dignitates, officia, administrationes, functiones, & praelaturas eiusdem ordinis, Et propterea dilectis filiis Magistro Generali, Prouincialibus, & aliis Praelatis, eiusdem ordinis, auctoritate Apostolica in virtute S. Obedientiae mandamus, ne post hac aliquam gratiam, ad instantiam vel contemplationem, vt supra concedere audeant.

Quae Constit. habetur in actis cap. Venetiis 1592.

Paulus V. easdem Constit. ratificat, & confirmat his verbis.

Motu proprio, & ex certa scientia de Apostolicae potestatis plenitudine dictorum Gregorij, & Clementis litteras, & in eis contenta quaecumque, eorum tenores pro expressis habentes, auctoritate Apostolica perpetuo confirmamus, & approbamus, ac illis perpetuae firmitatis robur adiicimus.

Ita habetur in cap. Romano 1608.

In Constit. etiam dist. 2. cap. 4. nu. 7. interdicitur Magistro ord. vt infra.

Statuimus autem quod nec Magister ord. nec Prouincialis, aut quoquomodo in nostro ordine Pręsidens, aliquid accipiat directe vel indirecte, etiam sponte oblatum à quacumque persona siue Prælata siue subdita, prætextu literarum, sigilli, registri, licentiæ, confirmationis, & vniuersaliter cuiuscumque gratiæ, aut iustitiæ concessæ vel concedendæ, sed quilibet sit communibus contributionibus, & visitationibus contentus, &c. Et Magister ordinis, si in hoc excesserit à Diffinitoribus c. generalis corrigatur, & obstinate si restiterit, deponatur.

In capite autem 9. eiusdem dist. 2. nu. 6. dicitur.

Porro Magister ordinis, vel Prouinciales non mutent acta capituli prouincialis, aut generalis, nisi forte in speciali ex causa necessaria, & vtili. Item generale statutum ordinis, vel consuetudinem diu obtentam, & communiter approbatam in ordine, nec Magister ordinis, nec Prouincialis aliquatenus audeant immutare, nisi per tria c. fuerit approbatum.

Ex declarationibus infra notata sibi concessa apparent.

In capitulo Neapolitano 1600. declaratur, quod cum Magister ordinis omnimodam & plenariam habeat facultatem in toto ordine, tam in spiritualibus quam in temporalibus, tenentur omnes pręsidentes Prouinciarum vicariarum, Congregationum, & Conuentuum siue Locorum ex officio seuere punire eos, qui quoquomodo ausi fuerint in discrimen vocare, vel aliquid tentare contra ipsius Magistri ordinis, & capituli generalis auctoritatem cum hoc sit supremum tribunal nostræ religionis. Quod vt faciant, ipsis sub pœna absolutionis ab eorum officiis districte mandamus.

Declaratur etiam in eodem capitulo, quod titulus Reuerendiss. Diffinitorio capituli generalis, & Magistro ordinis intra religionem à fratribus tantummodo debetur, nisi quis eodem potiatur titulo ex priuilegio sedis Apostolicæ, quod quidem ordini est insinuandum, vt per Constitutionem publicam eidem præstetur, quod sibi debetur. Repetitur idem Romæ 1608.

Admonetur etiam in eodē capitulo Reuerendiss. Magister ordinis, quod regulariter velit Romæ manere propter principaliora religionis negocia, & protectionem, & inde non discedere nisi vrgente capituli generalis celebratione, vel aliquo alio negocio, vel visitatione, quæ suam omnino requirant præsentiam.

Ad Magistrum etiam ordinis solum pertinet concedere licentiam fratribus eundi Romam, ex dist. 2. capite de Itinerantibus, & decreto Apostolico quod habetur in cap. Romano 1601.

Facultatem dare vt Conuersi fiant clerici, & inde ad sacros ordines promoueantur. *Super. cap. de Conuersis.*

Transferre affiliationes de vno ad alium Conuentũ. *Cap. de Affiliationibus.* Recipere ad habitum nostrũ professos alterius ordinis. *Cap. de Recipiendis.* Habilitare illegitimos ad gradus, & honores, Prioratus aut Diffinitoriatus ibid. Restituere ad gratias ordinis qui per varia delicta priuati existunt,

De Inquisitoribus hæreticæ prauitatis.

CAPVT XXVI.

DE Inquisitoribus hæreticæ prauitatis dicimus non esse instituendos qui sufficenter in locis suæ inquisitionis nesciunt prædicare, quod si secus factum fuerit nullius sit roboris vel momenti. *Cap. de Prædicatoribus.*

Ex Constit. Bonifacij Papæ IX. quæ habetur dist. 2. cap. 17.

Statuimus, quod ordinis prædicatorum contra ordinis minorum, nec eiusdem ordinis minorum fratres, Inquisitores hæreticæ prauitatis pro tempore existentes, contra ordinis prædicatorum fratres aut etiam dicti ordinis prædicatorum fratres Inquisitores sine licentia Magistri aut Prouincialium, contra ipsos confratres eiusdem ordinis inquirere nequaquam possint, aut debeant. sed si quid prædicatores contra prædicatorum vel minorum fratres, Inquisitores, & minores contra prædicatores fratres de prauitate huiusmodi præsenserint, ad sedem Apostolicam, vel dictorum fratrum Superiores deferre teneantur.

Quoad institutionem, & destitutionem Inquisitorum, sunt multa rescripta Apostolica in quibus standum est, omissis decretis religionis.

In primis Sixtus IV. in Mari magno ita statuit.

Illos vero ipsius ordinis fratres, qui ad prædicandam crucem, vel ad inquirendum contra hæreticam prauitatem, seu ad alia huiusmodi negocia sunt, vel fuerint deputati à sede Apostolica, tu fili Magister, tuiq; successores remouere, seu reuocare, & penitus transferre, ipsisq; quod supersedeant iniungere, aliosq; substituere, cum expedire videritis, licite, & libere valeatis, ac in eos si contra iuerint censuram Ecclesiasticam exercere, ac quilibet Prouincialis, & Vicarius eius, idipsum in sua Prouincia circa fratres ipsius ordinis, quibus ab eadem sede similia committi contigerit facere possit, concedimus. Non obstantibus, &c.

Idem de verbo ad verbum concesserat Innocentius IV. vt habetur libro priuilegio fol. 246.

Sixtus IV. in eodem Mari magno prope finem decernit, vt infra.

Cæterum vt dictorum ordinum .f. prædicatorum, & minorum professores, qui Inquisitores hæreticæ prauitatis in diuersis mundi partibus deputantur, tanto diligentius eorum officia studeant exercere, &c. quanto cognouerint, posse eorum errores facilius corrigi, concedimus, & statuimus, quod Magister prædicatorum, & Minister minorum, nunc, & pro tempore, generales, existentes, gesta per dictos Inquisitores suorum ordinum respectiue examinare, & querelas contra illos propositas audire, ac super illis,

quantum eis videbitur iustum, & æquum statuere, & ordinare. Et si in aliquo eos deliquisse inuenerint, illos iuxta excessuum indigentiam etiam per amotionem ab officio, & alias corrigere, & punire libere & licite valeant. Et Prædicatorum in minorum, & è contra minorũ ordinis inquisitores in Prædicatorum professores quoscumque, officio Inquisitionis huiusmodi fungi illudque exercere nullatenus possint, absque licentia sedis Apostolicæ, &c.

De Inquisitoribus in Italia & præcipuè in Lombardia instituendis extat Constit. Innocentij 4. ex directorio Inquisitorum quæ est.

Volentes igitur in prouincia Lombardiæ à Bononia, & Ferraria inclusiuè, vsque ad vltimos fines superiorum partium eiusdem Prouinciæ, ac Marchia Ianuensi, per aliquos de fratribus tuis partes nostræ solicitudinis impleri, discretioni tuæ (.s. Prouinciali) per Apostolica rescripta mandamus, quatenus tu, vel Vicarius tuus cum contigerit te abesse de consilio discretorum fratrum quatuor fratres tui Prioratus, viros zelum habentes Christianæ fidei, opere & sermone potentes, assumas, eisque inquisitionis officia committas contra hæreticos, eorumque fautores, & complices, &c. exequendum iniungas. Si vero quemquam eorundem ex causa videris esse amouendum, alium illo amoto substituas, &c.

Vrbanus 4. ex directorio aliam Constitutionem edidit in fauorem Inquisitorum, quæ est.

Ne catholicæ fidei negocium in partibus Lombardiæ, & Marchiæ Ianuensis, Inquisitoribus fratribus commissum contingat impediri ex personarum defectu, volumus, & præsentium auctoritate districtè præcipimus, quatenus tu Prior Prouincialis singulis prædictis fratribus .i. Inquisitoribus, singulos socios fratres prædicti ordinis prouidos, & discretos, negotio fidei congruentes, sublata qualibet difficultate assignari procures, & nihilominus tam tu, quam alij Priores, Suppriores, Vicarijque quoties ab eisdem fratribus, quibus dictum negocium fidei commissum est, aut committetur, fueritis requisiti, de aliis etiam fratribus præter eos qui eis in socios deputati fuerint, cum omni promptitudine prouidere curetis, &c.

Hodie tamen in tota Italia delegitur Inquisitores non à Prælatis ordinum, sed ab Illustriss. D. Cardinalibus Inquisitoribus generalibus in tota República Christiana.

Pius 4. ex dicto directorio hanc promulgauit Constit.

Motu proprio &c. statuimus quod de cætero in omnibus Christiani orbis partibus Inquisitores hæreticæ prauitatis, tam generales quam particulares, contra quoscumque religiosos etiam mendicantes, quouis modo priuilegiatos & exemptos, de hæresi suspectos, aut culpabiles, dummodo ab eorum Superioribus, & Prælatis in causis huiusmodi præuenti non fuerint, iuxta facultates Sancti officij, inquirere, & procedere, aut culpabiles repertos iuxta canonicas sanctiones castigare, atque punire, & alia etiam agere libere, & licite possint, & valeant, super quibus plenam, & liberam eisdem Inquisitoribus facultatem concedimus.

Demum Paulus V. hanc Constit. Pij 4. moderatur modo vt infra, recensita prius dicta Constit. verbotenus.

Nos igitur de consilio D.D. Cardinalium, Generalium, Inquisitorum, &c. Motu proprio omnia priuilegia Prælatis religiosorum etiam mendicantium concessa, &c. & per sedem Apostolicam approbata, & confirmata, & longissimo tempore obserua-

ta, causas ad Sanctum officium spectantes cognoscendi, & terminandi, auctoritate Apostolica tenore præsentium cassamus, & abolemus. Ipsisque Prælatis etiam Generalibus, &c. de cætero quouis quæsito colore, in eisdē causis, motis, & mouendis, quoquomodo se intromittere, denuntiationes recipere testes examinare, processus conficere, causas ipsas cognoscere: &c. simili auctoritate inhibemus, volentes & expresse mandantes, vt religiosi possint, & debeant alios religiosos de hæresi suspectos, Inquisitoribus vel Ordinariis locorum vicinioribus, libere denuntiare, absque hoc quod Superiores personas denuntiandas, & causas perquirere, vel quomodolibet impedire, aut retardare audeant, vel præsumant. Insuper omnes, & quascumque causas ad dictum officium pertinentes, contra quoscumque religiosos, etiam exemptos, ad nos harum serie, auocamus, & eas in terminis in quibus reperiuntur Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum vicinioribus committimus, &c.

Ex decl. cap. de Prædicatoribus hæc colliguntur.

Inquisitores actu non exercentes officium S. Inquisitionis, vel non se actu occupantes in eodem, existunt in potestate, & obedientia suorū Prælatorum siue Priorum, & eorum obedientias tenentur implere cum effectu, sicut, & cæteri fratres & ad chorum venire, & alia officia facere, nec debent extra Conuentum exire sine licentia suorum Prælatorum, & tenentur venire ad capitula.

Tenentur etiam de personalibus singulis annis reddere rationem suo Priori Conuentuali, de pertinentibus autem ad officium suo Priori Prouinciali.

Nunc autem dati, & accepti in officio rationem reddunt dictis Illustriss. D. Card. supremis Inquisitoribus generalibus.

Ex decl. cap. de capitulo generali habetur, Inquisitores qui non sunt Magistri teneant primum locum post Suppriores, & Baccalaureos.

Nunc vero ex concessione Sacræ Congregationis Sancti officij, tenent locum supra Suppriores, & etiam altiorem.

In cap. Romano 1580. dicitur, locum Ad. R. P. Commissarij in vrbe esse immediate post Ad. R. Prouincialem Romanum cum in Vrbe morari contigerit, & Post alios Prouinciales cum ad alias Prouincias proficisci eum oportuerit.

Romæ vero 1583. additur dictum Ad. R. Commissarium nedum habere locum post Prouincialem Romanum, sed etiam post omnes Prouinciales, & Vicarios Congregationum, & Vicariatum.

Romæ 1580. Admonentur Prouinciales, quod si inquisitores in Priores eligi contigerit, non confirmentur, nisi consulto Magistro ordinis ne forte Sanctum officium Inquisitionis impediatur.

Nunc autem oportet ab Illustriss. D. Cardinalibus generalibus Inquisitoribus consensum habere.

De Protectore ordinis.

CAPVT XXVII.

De institutione Protectoris ordinis, ac illorum protectione nil in nostris Constitutionibus, aut declarationibus, nec etiam in priuilegiis

ordini nostro concessis habemus, sed hæc ab aliis mendicare debemus.

Sixtus 4. in suo priuilegio 3. inter nostra priuilegia inserto multa dicit de Protectoribus, & primo refert de verbo ad verbum quandam Constitutionem Gregorij XI. cuius summa hæc est, & conceditur fratribus ord. minorum.

Sane cum in B. Francisci regula hæc verba contineantur expresse v3. Per obedientiam ad hæc iniungo Ministris vt petant à D. Papa vnum de S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector, & Corrector istius fraternitatis, vt semper subditi, & subiecti pedibus eiusdem S. Romæ Ecclesiæ, stabiles in fide catholica, paupertatem, & humilitatem, & Sanctum Euangelium Domini Iesu Christi, quod firmiter promisimus, obseruemus. Et ob id fratres semper pro tempore Protectorem petierunt, & obtinuerunt, sed aliqui Protectorum potestatem suam nimium extendisse dicuntur.

Nos igitur vt dictus ordo in sua quiete permaneat, &c. auctoritate Apostolica eisdem Protectoribus inhibemus districtius, ne præsumant.

Quæcumque ordinata statuta siue disposita, aut ordinanda, statuenda & disponennenda per generalia, aut prouincialia capitula, infringere, reprobare, corrigere, suspendere, dispensare super ipsis, vel contra ea aliquid immutare, quod contra regulæ articulos extiterit manifeste aut quemcumque Prælatum, seu officialem dicti ordinis quocumque nomine nuncupetur, ponere seu instituere, deponere seu destituere, aut priuare, vel à suo officio suspendere, aut super eius libero exercitio, impedire.

Aliquem fratrem, ad lectoratum, vel quamcumque lecturam, seu studium, vel gradum promouere, aut promotos ab eis remouere, seu etiam reuocare aut de loco ad locum mittere aut mutare.

Alicui fratrum eundi ad quodcumque monasterium, vel locum alium, aut dominium, vel aliquam personam, licentiam impartiri.

Nec quemuis singularem fratrem de quocumque crimine punire, vel à pœna liberare, aut eam minuere, augere vel immutare.

Aut etiam alicui fratri Locum, Cameram, cellam, Libros vel alias res dicti ordinis concedere, vel eius vsui deputare, aut quæcumque per Prælatos deputata, quomodolibet amouere, nec de rebus, aut correctione fratrum se intromittere quouis modo, ita vt dictus ordo, & ordinis fratres in nullo subsint futuris Protectoribus, nisi dumtaxat in casu quo fratrum communitas, vel capitulum generale, (quod absit) ab articulis regulæ, vel eorum aliquo deuiarent, alioquin si secus fecerint, id decernimus irritum, & inane, & fratres qui aliquid contra hanc nostram inhibitionem impetrabunt, vel impetratis etiam per alios vtentur, puniantur eis pœnis quibus pro grauibus culpis secundum statuta ordinis puniri solent.

Cæterum, Protectores hortamur attentius sic nominis sui procurent effectum, quod ordo ipse non lædatur in aliquo, sed potius ab aduersis oportuno defensionis clypeo protegatur, &c.

Subinde idem Sixtus 4. huic enarratæ Const. addit.

Dilecti filij F. Zanetti de Vtino Ministri generalis, & totius generalis capituli supplicationibus inclinati, inhibitionem, & literas prædictas præsentium tenore approbamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernimus, & Protectori qui pro tempore erit inhibitum fore declaramus, ne nisi in casibus in literis prædictis

expreßis, se impediat. Neque in illis, dum non vniuersi, sed tantum aliqui illorum in quouis numero à fidei vnitate, & S. Romanæ Ecclesiæ obedientia deuiarent, vel regulam præfatam, non obseruarent.

In Compendio Priuilegiorum ord. min. refertur Iulium II. confirmasse prædictas literas Gregorij 11. & Sixti 4.

Rodericus in suo bullario inter bullas Gregorij 13. refert Const. quæ est eius 4. in qua roborat omnes prædictas concessiones Gregorij 11. & Sixti 4. & Iulij 2. & eas authenticas esse declarat, & subdit.

Cæterum nos, eosdem futuros Protectores hortamur attentius, quod præfati sic efficacem nominis sui officij procurent effectum, quod ordo per eos non lædatur in aliquo, sed potius ab aduersis, suo opportuno defensionis clypeo, protegatur, & à noxis præseruetur, vt ex charitatiuis eorum gestis quietem, & consolationem percipiat.

Vnde Collector priuilegiorum ordinis minorum obseruat Protectores in tribus tantum casibus se posse intromittere. s. quando non aliqui fratres sed tota communitas, vel capitulum generale deuiaret ab vnitate fidei, ab obedientia Romanæ Ecclesiæ, aut ab obseruantia regulæ. Credibile tamen est eos ampliorem habere potestatem, cum aliquando maiorem exerceant.

De Capitulo quotidiano.

CAPVT XXVIII.

FInitis matutinis teneatur capitulum, vel aliquando post primam vel etiam intermittatur, ne studium impediatur, secundum quod Prælato videbitur. Ingresso capitulum Conuentu, lector pronuntiet lunam, & quæ de calendario pronuntianda sunt, & Sacerdos prosequatur, Preciosa est, &c. deinde residentibus fratribus lector pronuntiet lectionem de Constitutionibus, vel de Euangelio pro tempore, præmisso, Iube domne, &c. Et hebdomarius subiungat, Regularibus discipulis, &c. vel Diuinum auxilium, &c. pro tempore, & facta absolutione pro defunctis, dicat qui tenet capitulum, Benedicite, & responso, Dominus, inclinent omnes deinde dicto à Priore. Retribuere dignare, &c. dictis etiam à Conuentu Psalmis, Ad te leuaui, &c. Et de profundis, &c. Kyrie eleison, &c. Pater noster, &c. Subsecutis etiam tribus versiculis. s. Oremus pro Domino Papa, &c. Saluos fac seruos, &c. Requiescant, &c. Dominus vobiscum, &c. Ab Hebdomario dicendis, cum his tribus collectis, Omnipotens sempiternus Deus qui facis, &c. Prætende, &c. Fidelium Deus, &c. Deinde resideant fratres.

Tunc Prælatus poterit dicere breuiter si quid ad honestatem ordinis, & correctionem fratrum viderit expedire. Post hæc autem

tem egrediantur Nouitij. Quibus egressis dicat qui præest. Faciant venias qui se reos existimant. Continuo qui se reos intellexerint prostrati veniam petant. Deinde surgentes confiteantur culpas suas humiliter. Et quorum culpa talis est, quæ digna sit correctione, præparent se ad correctionem, quam Prior faciat vel ille cui inuenerit.

In capitulo vero nisi duabus de causis fratres non loquantur. s. culpas suas dicendos, vel aliorum simpliciter, & Prælatis suis tantum ad interrogata respondendo. Vno etiam fratre loquente alius non loquatur. Nullus faciat proclamationem ex sola suspicione. Item nullus accuset de auditu, nisi dicat à quo audierit, & ille sit præsens in Conuentu.

Auditis vero culpis dicatur Psalmus, Laudate Dominum omnes, &c. cum versiculo, Ostende nobis, &c. Dominus vobiscum, &c. & collecta, Actiones nostras, &c. In fine dicat Prior, Adiutorium nostrum &c.

Capitulum de culpis si non potest fieri quotidie propter studium, & alias occupationes, debet saltem teneri in qualibet septimana, vel ad tardius semel infra quindenam, vt recitentur beneficia, & commendentur benefactores orationibus fratrum.

Cum dicitur fratres debere facere venias, ita debent intelligi veniæ, vt fratres se posternant non supra ventrem, sed super vnum latus in longum, tibiam vnam super aliam tibiam tenendo.

Hoc autem capitulũ vocatur de culpis, quia fratres debent se accusare de omissione, & transgressione regulæ, quæ quãuis ex se essentialiter culpa non sit, dicitur tamen culpa antecedenter vel consequenter: antecedenter quidem, si omissio vel transgressio fiat ex negligentia, non autem ex obliuione, aut fragilitate, aut inaduertentia consequenter si renuunt subire pœnam: nam in his omissio, & transgressio, est peccatum veniale, & etiam mortale, si id fieret ex contemptu. De his dictum est supra.

Debent autem fratres in his capitulis accusare se de commissis manifestis contra regulam, & Constitutiones.

Venetiis 1592. ordinatur, vt Priores, & locorum Præsidentes teneantur sæpius capitulum facere, ad minus de quindena in quindenam, gratias Deo cum suis subditis de receptis beneficiis reddituri, pro benefactoribus precaturi, & eosdem subditos ad regularem obseruantiam hortaturi, quando & de commissis defectibus illos reprehendere, & charitatiue corrigere tenebuntur. Confirmatur Valentiæ 1596. addendo tale capitulum fieri debere omni hebdomada, & tenebuntur Præsidentes audire culpas vnius chori ad minus, vt in sequenti capitulo pro altero satisfiat. Repetitur idem Romæ 1601. & Valleoleti 1605. vbi etiam dicitur, quod Priores negligentes in hoc à Prouinciali à suis officiis absoluantur.

De Capitulo Prouinciali.

CAPVT XXIX.

CApitulum prouinciale post capitulum generale(quando, & vbi Prouincialis cum consilio Diffinitorum elegerit) celebretur. Capitulum autem prouinciale appellamus Priores cum singulis sociis à pluribus de capitulo suo vltra medietatem eligentium electis, & Prædicatores generales. Prædicatores autem generales dicimus Magistros in Sacra Theologia,& qui per Prouincialem,&Diffinitores Capituli prouincialis instituti sunt. Prouinciales etiam absoluti in prouinciis in quibus præfuerunt locum,& vocem habeant in electionibus Prouincialium Diffinitorum, & electorum Magistri ordinis. Et nullus Prior ducat secum plures fratres ad capitulum sine causa legitima.

Quod si Prouincialem à capitulo abesse contigerit, nec vices suas alicui commiserit,vel ille cui commiserit aliquo casu absens fuerit; Prior illius Conuentus in quo capitulum celebrandum est cum Diffinitoribus capituli in celebratione eiusdem procedat. Et prædicti Diffinitores electi vt supra tractabunt omnia, & diffinient cum Prouinciali,quod si in diffinitionibus se diuiserint in partes æquales,illorum sententia præualebit, in quorum partē Prouincialis declinauerit,alias vero sentētia plurium præualebit. Si autem in absentia Prouincialis, vel eius Vicarij, partes sint æquales, vnus eligatur de capitulo, & in quorum partem consenserit,illorum sententia præualebit.

Isti etiam quatuor Diffinitores excessum Prouincialis confessi vel proclamati in capitulo coram fratribus audiant, & emendent, ei pœnitētiam iniungentes. Si autem(quod absit)incorrigibilis extiterit, ipsum vsque ad capitulum generale suspendāt ab officio prouincialatus, & eius excessum referant ad capitulum generale scripto communiter sigillato. Prouincialis etiam cūDiffinitoribus in quolibet capitulo determinent tempus,ante quod fratres ad capitulum sequens non veniant. Et Priores cum suo Conuentu capitulo prouinciali scribāt debita domus suæ,& causas debitorum. Similiter etiam Prouincialis, & Diffinitores suarū prouinciarum debita cum suis causis scribant capitulo generali.

Nulla petitio offeratur capitulo prouinciali nisi à Conuentu, nec generali capitulo, nisi à capitulo prouinciali, fuerit approbata. Nullus religiosus alterius ordinis, nec sæcularis cuiuscumque conditionis, secretis vel tractatibus capituli admittatur vllo modo.

Capitula prouincialia deinceps sint biennalia, & inquantum Prouinciali, & Diffinitoribus videbitur expedire. In singulis capitulis prouincialibus, auditis culpis, fiat scrutinium in conspectu omnium super retentione vel absolutione Prouincialis, cum expressione nominum & officiorum fratrum, per Diffinitores capituli prouincialis, quod scrutinium non publicetur nec alicui ostendatur, sed statim coram oculis omnium Diffinitorum sigillis omnium Diffinitorum sigilletur, & per Diffinitorem capituli generalis, vel eius socium Prouincialis in anno Prouincialium, ad capitulum generale deferatur.

Antiquitus quando singulis annis celebrabantur capitula generalia, post capitulum generale celebrabatur capitulum prouinciale, in quo publicabantur acta capituli generalis antea iniri, & eligebatur Diffinitor capituli generalis sequentis, si erat capitulum Diffinitorum, vel assignabatur socius Prouinciali, si erat capitulum prouincialium. Postea vero statutum fuit, accedente etiam auctoritate Gregorij 11. vt capitula generalia essent biennalia vel triennalia, & capitula prouincialia essent biennalia, quorum vnum congregabatur subito post capitulum generale, alterum vero post duos annos, ante tamen sequens capitulum generale. Et in hoc eligebatur Diffinitor, vel socius Prouincialis vt supra, & fiebat scrutinium super retentione vel absolutione Prouincialis. Nunc vero capitula generalia sunt triennalia, & inter duo capitula generalia, mediant duo prouincialia. Imo Barchin. 1574. Admonentur Prouinciales, vt nulla ratione nisi grauissima, nec inconsulto Magistro ordinis, omittant celebrare capitula prouincialia intermedia, cum hinc sequantur incommoda, & non formetur scrutinium super retentione vel amotione Prouincialis, & aliquando Diffinitores pro capitulo generali non habeantur.

Valentiæ 1596. ordinatur ad tollenda grauamina subditorum, siue vera, siue prætensa vt prouinciales, & Vicarij congregationum in capitulo prouinciali subeant iudicium suæ administrationis, & proponitur modus eligendi tres Patres, quorum vnus sit iudex, alij duo sint consultores super querelis exhibitis contra eos. At in capitulo Romano 1601. dicitur. Reuocamus ordinationem factam in cap. Valentino, in qua præfigitur modus quo Prouinciales, & Vicarij congregationum iudicium suæ administrationis subire debent. Sed iterum Romæ 1608. ordinatur iuxta seriem Cōstit. vt Prouinciales expleto sui regiminis officio Diffinitoribus capituli prouincialis rationem reddant datorum, & acceptorum in officio, & quæ supersunt, reponantur in communi deposito prouinciæ. Quod & Parisiis

1611. confirmatur, & apponitur, vt non solũ de administratione temporalium, sed etiam de regimine, & actionib. rationẽ reddant. Constit. autẽ cap. de nouitiis, hæc verba habet. Quicũque frater pecuniam, vel alia quæcũq; receperit, expẽderit, dispẽsauerit aut dispẽsari fecerit, reddat singulis annis maiorib. suis rationẽ semel vel pluries si fuerit requisitus. s. Magister ordinis Diffinitoribus cap. generalis, Prouincialis Diffinitorib. c. prouincialis, &c.

De Capitulo generali.

CAPVT XXX.

CApitulum generale vna vice vltra montes, altera vice citra montes alternatim de triennio in triennium celebretur, nisi Magistri cum Diffinitoribus, vel cum discretorum consilio maturo, ex vrgentissima causa illud alibi assignare, aut assignatum præuenire, vel etiam prorogare, necessarium videatur, & nisi obitus Magistri ordinis acciderit. Quo eueniente fiat sicut decretũ est capite de electione Magistri ordinis. Diffinitores autẽ in duobus capitulis, & Prouinciales in tertio capitulo cum Magistro ordinis omnia diffinient, constituent,, & tractabunt. Quod si in partes æquales se diuiserint, illorum sententia præualebit, in quorũ partem Magister ordinis inclinauerit. Si autem in partes inæquales, obtineat sententia plurium. Quod si aliqui ad capitulum præpediti non venerint, illi qui venerunt cum Magistro ord. omnia pertractabunt.

Si vero Magistrum aliqua occasione contigerit abesse, vnus de Diffinitoribus à Diffinitoribus, vel maiori parte illorum assumatur in Magistri ordinis Vicarium modo expresso cap. De Vicario ordinis, &c. Isti autem Diffinitores habebunt plenariam potestatem super excessu Magistri ordinis corrigendo, vel eo penitus remouendo. Ipsorum vero sententia tam in his quã in aliis inuiolabiliter obseruetur, ita quod à nemine ab illorum sententia liceat appellare. Et si appellatum fuerit, friuola & nulla appellatio habeatur. Appellationem enim intra nostrum ordinẽ, sub interminatione anathematis fieri inhibemus, cum non venerimus cõtendere sed, delicta corrigere. Item ad nullum iudicem extra ordinem, nisi ad sedem Apostolicam, cui ordo immediate subiectus est, aliquod membrum ord. subditum recurrat pro iustitia, sub pœna absolutionis ab officio si est Prælatus, & priuationis vocis actiuæ, & passiuæ quoad alios, vtraquè ipso facto incurrenda.

Diffinitores igitur prædicti, quando eis videbitur expedire

excessum Magistri ordinis seorsum corrigant, & emendant. Qui coram ipsis humiliter se prosternens veniam faciat, & stans de suis excessibus se accuset, & Diffinitores audiant accusantem. Auditis vero accusationib. secedat, vt eo absente, Diffinitores de eius correctione conferant, & disponant. Quod si præuaricator ordinis fuerit, aut contemptor, aut adeò negligens, & remissus quod ordinis dissolutionem, & destructionem inducat, moneantur à Diffinitoribus vt magistratui cedat, & locum ad manendum sibi eligat, vt possit honeste conuersari. Alioquin amouendi eum ab officio magistratus liberam habeant facultatem. Cessio autem Magistri non admittatur à Diffinitoribus, nisi propter aliquod prædictorum, aut defectum, aut impotentiam, quæ ipsum ab executione officij perpetuo impediret. Perpetuum autem dicimus quod Diffinitores, de prudentum consilio perpetuum iudicabunt.

Diffinitores autem, Dominica infra octauas Ascensionis Domini, vel sabbato præcedenti locum capituli intrare teneantur, & alibi ordinate loca sua teneant, quousque tempus suæ diffinitionis expiret.

Item in virtute Spiritus, & S. Obedientiæ præcipimus, ne quis causam depositionis Magistri ordinis, vel Prouincialis, vel eorum excessum, siue correctionem, vel secretum capituli, aut dissensiones Diffinitorum vel fratrum, vnde ordo noster possit turbari, vel infamari, audeat scienter extraneis publicare. Si quis autem ex deliberatione contra fecerit, tanquam excommunicatus, & schismaticus, & destructor nostri ordinis habeatur, & quousq; satisfecerit, à communione omnium sit penitus alienus, & pœnæ grauioris culpæ subiacebit. Eadem districtione præcipimus, ne quis verbo vel facto ad diuisionem ordinis audeat laborare, quod si fecerit pœnæ grauioris culpæ subiacebit.

Statuimus etiam, & in virtute Spiritus Sancti, & S. Obediendientiæ, & sub interminatione anathematis prohibemus districte, ne Prouinciales Diffinitoribus, & Diffinitores Prouincialibus, per suas diffinitiones præiudicium aliquod audeant generare. Quod si facere attentauerint, prohibemus ne in hoc aliquis præsumat eis obedire.

Statuimus etiam, vt in capitulo in quo celebratur electio Magistri ordinis, si fuerit capitulum Prouincialium, vnus ex electo-

ribus admittatur ad diffiniendum cum Prouincialibus, & si vnus vel primus electorum defuerit, alter succedat. In anno veró Diffinitorum cum Diffinitoribus Prouinciales conuenient. Prouinciali eunti ad capitulum generale socius detur à Diffinitoribus capituli prouincialis, & si contingat Prouincialem impediri ita vt non accedat ad capitulum generale Prouincialium, socius loco ipsius admittatur cum Prouincialibus ad omnia tractanda, & diffinienda. Et in anno Diffinitorum, si Diffinitor venire ad capitulum non poterit, socius sibi assignatus loco ipsius habeatur vt Diffinitor, nisi ipse Diffinitor superueniat, qui non obstante diffinitione incepta per socium, diffiniet, & socius cedet, vt dictum est cap. de electione Diffinitoris.

De tempore, & loco celebrationis capituli generalis, Const. in principio ordinis sic habebat. Capitulum generale vno anno Parisiis, alio anno Bononiæ celebretur, & seruata fuit vsque annum 1244. Inde statutum fuit, vt etiam alibi celebrari posset. Et de ann. 1370. ordinatum fuit, vt de biennio in biennium celebraretur, aut saltem de triennio in triennium, accedente ad hoc auctoritate Gregorij XI. Et insertum erat in Constit. antiquis capitulum, cuius titulus erat. De capitulo generali biennali vel triennali. Postremo in cap. Romano 1553. & Romano 1558. & Auenioni 1561. assensu Iulij 3. sancitum fuit, vt de triennio in triennium, vna vice vltra montes, altera citra, vt in hac Constit. dicitur, celebraretur, & ita fuit seruatum, nisi in anno electionis Magistri ordinis, quia hac occasione semper à tempore prædicto, Romæ in faciem Pontificis capitulum celebratur.

Habent facultatem Diffinitores capituli generalis absoluere Magistrum ordinis ab officio, nedum à Const. sed etiam à Sede Apostolica, nam Innoc. III. suo primo priuilegio id decernit his verbis.

Vt successores tui, & tu Magister à Diffinitoribus capituli secundum Constitutiones ordinis eiusdem absolui, & amoueri possitis, auctoritate præsentium indulgemus.

Hoc idem concedit, & corroborat Sixtus IV. in Mari magno. Non tamen possunt Diffinitores illum absoluere nisi in casibus à Constit. productis .s. si esset præuaricator ordinis. Diceretur autem præuaricator si frequenter, & quasi ex habitu regulam, & Constit. transgrederetur, nam propriè vocatur præuaricator, qui præ aliis plusquam debet legem transgreditur. Item si esset contemptor, hoc est si ita spernit & vilipendit leges vt nihil de eis curet, & pro nihilo reputat illas transgredi, & voluntas sua renuit illis subiici, & nulla subsistente causa eas transgreditur, cum firmo proposito perseuerandi in transgressione. Item si esset adeo negligens & remissus, quod ordinis dissolutionem, & destructionem induceret, quando .s. non hortaretur fratres verbo, literis, ordinationibus, & exemplis ad honeste religioseque viuendum, si defectus non corrigeret, nec puniret. Si nunquam celebraret, nec ad chorum, & refectorium veniret. Qui si talis non esset, etiam si aliquando Constit. transgrederetur non ex contemptu, nec plus-

quam alij, & esset negligens aliqualiter circa diuina, & communitatem, non ob id posset à Diffinitoribus officio priuari.

Cum dicitur Prouinciales, & Diffinitores non posse in diffinitionibus præiudicium sibi inuicem generare, declaratur tunc præiudicium fieri, quando aliquid statueretur per quod auctoritas eorum tolleretur aut minueretur. Quod quidem fieri non potest nec per tria capitula generalia immediata, nec per capitulum generalissimum, sed tantum auctoritate D. Papæ. Non autem generatur præiudicium si id quod fuit statutum in vno vel pluribus capitulis per Diffinitores, reuocetur in alio capitulo per Prouinc. & è conuerso, vt sepe factum est.

In capitulo Neap. 1600. declaratur Diffinitorium capituli generalis esse supremum tribunal in ordine, cui omnes obedire tenentur, sicut & Magistro ordinis: & Prælatis sub pœna absolutionis mandatur, vt seuere puniant eos, qui audent in discrimen vocare illorum potestatem. Et sicut Magistro ordinis datur titulus Reuerendiss. ita & Diffinitorio dari debet. Et Romæ 1589. declaratur non esse in potestate alicuius Prouinciæ prætextu cuiuscumque consuetudinis, aut priuilegij, non acceptare acta capituli generalis, & ea non obseruare, & tales consuetudines aut priuilegia si quæ sunt, etiam auctoritate Apostolica interueniente, reuocantur. Vnde in fine actorum capituli solet apponi tali præceptum. Præcipimus in virtute Spiritus Sancti, & S. Obedientiæ Præsidentibus prouinciarum, & congregationum, vt acta huiusmodi in suis Conuentibus legere faciant publice quamprimum, & postea quater in anno, & executioni mandari procurent, & quod in quolibet Conuentu tres copiæ illorum habeantur, quarum vna cum aliis in deposito seruetur, alteram habeant Priores, tertiam Magistri nouitiorum. Ex quo præcepto colligitur in declarationibus cap. sequentis, acta, & ordinationes tum Magistri ordinis, tum capitulorum generalium in sua firmitate manere, etiam cessante illorum vita. Ad quid enim præciperetur vt in omnibus Conuentibus haberentur copiæ ordinationum, & conseruarentur in deposito, & legerentur quater in anno, si illis decedentibus annullarentur? Ex quibus patet reuocatam fuisse quandam declarationem asserentem, acta capitulorum generalium non habere vim, nisi solum vsque ad receptionem actorum capituli sequentis. Quod etiam fuit supra notatum 1. parte, cap. de promulgatione Constitut.

Sciendum est etiam, quod in ea prouincia in qua celebratur capitulum generale, simul cum eo debet etiam celebrari capitulum prouinciale à Prioribus, & sociis, imo, & prouinciæ vicinæ, si id vult Magister ordinis. Ita enim decernit Constit. in hoc capite.

Statuimus insuper, vt omnes Priores cum sociis suis, & Prædicatores generales illius prouinciæ in qua celebratur capitulum generale illo anno veniant ad capitulum generale, nec ad aliud capitulum prouinciale celebrandum teneantur. Et quod idem faciant prouinciæ propinquæ, mandandi Magister ordinis facultatem habeat.

De solemni celebratione capituli.

CAPVT XXXI.

CApitulum generale quantum ad auctoritatem Diffinitorum incipiat celebrari in vigilia Pentecostes. Cum autem secunda feria post Pentecostem, vel ipso die festo, fratres in capitulum venerint, primo omnium deuotè inuocetur Spiritus Sancti gratia, à qua filij Dei aguntur, & dicatur. Emitte Spiritum tuum,&c. & collecta de Spiritu Sancto. Deinde residentibus fratribus, & loca sua tenentibus, vt verbo Dei cœli firmentur, verbum Dei in communi fiat. Sermoni autem interesse poterunt,qui ad ædificationem interesse voluerint. Finito sermone, quia indigentibus quantocius subueniendum est,obitus fratrum post præcedens capitulum defunctorum in communi recitetur, & fiat eis communis absolutio, & dicatur psalmus, De profundis, &c. Kyrie, &c. Pater noster,&c. Cum versic. A porta, &c. Et oratio, Absolue, &c. Postmodum si litteræ legendæ sunt legantur, & eis suo tempore cum consilio respondeatur. Perlectis autem literis, & facta recommendatione viuorum,dicatur psalmus, Ad te leuaui, &c. Kyrie, &c. Pater noster, &c. cum versic.&c. Saluos fac, &c. & oratione, Prætende. Et tunc omnes qui non sunt de capitulo egrediantur. Quibus egressis qui missi sunt ad excusandum eos qui non adsunt,ad quid venerint loquãtur. Si qui vero ad capitulum generale vel prouinciale sine licentia venerint, primo culpæ eorum audiantur, & recepta pœnitentia, à capitulo excludantur. Vt autem modus in eundo seruetur, nullus exeat sine licentia, & necessitate, egressus autem non discurrat, sed expleta necessitate citius reuertatur. Qui autem in præsenti anno visitare debuerant, & non sicut oportuit fecerunt,culpam suam dicant,& dignæ vindictæ subiaceant. Tunc etiam absentibus,qui adesse debuerant,& his qui peccauerunt, & non satisfecerunt, pœnitentia scripta mittatur.

Conuentus autem qui mittit accusationes ad capitulum generale vel prouinciale, scribat numerum,& nomina accusantium,& si accusant de visu, vel de auditu, Accusatio autem vnius tantum ad capitulum generale vel prouinciale non mittatur. Et tractatus eorum quæ mittenda sunt ad capitulũ,vltra vnum diem non prolõgetur. Qui autẽ habẽt facere proprias quæstiones,vel cõmunes

ad ordi-

ad ordinem vel prædicationem pertinentes, proponant fratribus à Magistro, & Diffinitoribus ad hoc statutis, vt pro loco, & tempore soluantur, & terminentur. Si qua vero dissensio inter fratres (quod absit) emerserit de libris vel de alijs, cum præponenda sint spiritualia temporalibus, non inde agatur in capitulo, sed dicti fratres extra capitulum discussa veritate, dissensionem dirimant, & inter fratres pacem restituant. De solutione autem, & terminatione quæstionum, de correctione fratrum, de modo pœnitentiarum, & de prædicatoribus ad prædicandum, & studendum mittendis, prælatus maior cum alijs qui ad hoc statuti sunt, tractabunt, & quidquid inde Spiritu Sancto donante ordinauerit, capitulum vnanimiter, & deuote recipiat.

Nullus murmuret, nullus reclamet, nullus contradicat. In fine fiat confessio & absolutio, & perseuerātibus benedictio detur. Et hæc eadem forma in capitulo prouinciali firmiter obseruetur.

Porro Magister ordinis aut prouinciales non mutent acta capituli generalis vel prouincialis, nisi forte in speciali ex causa vrgenti, & necessaria. Nec etiam generale statutum, seu cōsuetudinem diu approbatam in ordine aliquatenus immutare audeant, nisi per tria capitula fuerit approbatum. Ea vero quę de generali capitulo dicta sunt, in vigilia Pentecostes debent inchoari.

Capitulum generale vltra sabbatum intra octauas Pentecostes, non prolongetur, nisi ex causa rationabili Magistro, & Diffinitoribus videatur, quod per vnum diem, vel duos ad plus debeat prolongari. Capitula etiam prouincialia infra prætaxatum numerum dierum terminentur. Necessitate vrgente Magister ordinis vel Vicarius de assensu Prouincialis prouinciæ in qua celebrādum est capitulum generale, & de consilio discretorum poterit illud transferre ad alium Conuentum eiusdem prouinciæ, aut etiam quando in eadem prouincia commode celebrari non poterit, ad aliam prouinciam transportare, de consilio semper discretorum.

Quæ hic consideratione aut declaratione egent, alibi habentur, solum circa auctoritatis Diffinitorum tempus, huic Constitut. addo id quod habetur in præcedenti cap. de capitulo generali, vbi dicitur.

Diffinitores capituli generalis dominica infra octauas Ascensionis Domini vel Sabbato præcedenti locum capituli intrare teneantur, & ex tunc in choro, & alibi teneant sua loca quousquè tempus suæ diffinitionis expiret.

Hoc videtur dissonum his quæ habentur in principio huius capituli, nisi dicatur. Diffinitores incipere tenere loca sua in Dominica infra octaua Ascensionis: & solum in vigilia Pentecostes eorum auctoritatem incipere. In nostra Prouincia Lombardiæ, solent hæc in capitulo prouinciali seruari. Feria 5. ante capitulum, per Prouincialem, Magistros, & Patres prouinciæ examinantur scrutinia Priorum, & sociorum. Feria 6. eliguntur Diffinitores per nationes, & ab eis cum Prouinciali instituuntur hi officiales .s. Vicarius capituli, Iudices in criminalibus, Iudices in ciuilibus, Iudices vestiũ, Examinatores recipiendorum, deputanturque disputatores, & Prædicatores, Sabbato post cantatam missam de Spiritu sancto, & sermonem de eligendo viro probo in Prouincialem, electio celebratur. Subinde Priores cum socijs sigillatim dant nomina in Diffinitorio fratrum quos remouere intendunt à suis Conuentibus. Deinde redeunt ad petendos quos volunt. Feria 2. vel 3. fit electio Diffinitoris capituli generalis, si futurum capitulum est Diffinitorum, & deputatur illi, aut Prouinciali socius pro eo capitulo. In fine Prouincialis, Diffinitores, Magistri, & Patres prouinciæ approbant Magistros Baccalaureos & Magistros studentium, & ab eisdem statuuntur quædam ordinationes pro manu tenenda regulari obseruantia.

Vltimo die conuocantur omnes fratres ad capitulum, præmittitur sermo, quo omnes ad obedientiam erga Superiores seruandam admonentur, inde dicto Benedicite à Prouinciali, recitantur beneficia maxime collata pro capitulo, & commendantur qui in capitulis commendari solent. Inter commendationem defunctorum recitantur nomina omnium qui decesserunt ex hac vita ab alio capitulo citra, & dicuntur psalmi, versiculi, & orationes ordinariæ. Post Prouincialis dicat quæ dicenda viderit expedire pro bono regimine prouinciæ, & postremo leguntur acta capituli, & mutationes fratrum in quolibet Conuentu factæ, & omnes cum benedictione ad propria reuertuntur.

De capitulo generalissimo.

CAPVT XXXII.

CApitulum generalissimum non conuocetur, nisi quando maior pars prouinciarum petierit, vel Magistro, cum media parte prouinciarum visum fuerit expedire. Prouinciæ vero quæ petunt, scribant causas quare petunt. De his tamen capitulum generale non habet iudicare vtrum sufficientes sint vel non, sed tamen scribantur, vt fratres de his ante capitulum conferre valeant. Priores autem Prouinciales singuli cum duobus socijs à suo capitulo prouinciali electis à pluribus medietate omnium eligentium, tale capitulum celebrabunt. Duobus autem annis ante pronuntietur, nisi vrgens fuerit necessitas.

Anno ab Incar. Domini 1228. Conuenerunt Parisijs in domo S. Iacobi, Priores Prouinciales vnà cum Venerabili Patre F. Iordane bonæ me. Magistro ordinis nostri, cum duobus Diffinitoribus à capitulis prouincialibus deputatis, in quos fratres omnes vota sua vnanimiter transtulerunt, eisdem potestatem plenariam concedentes, vt quicquid ab eis fieret, siue in constituendo, siue in destituendo, mutando, addendo vel diminuendo, de cætero firmum, & stabile maneret, nec liceret alicui (quantumcumque auctoritatis) capitulo, aliquid eorum immutare, quæ ipsi statuerunt perpetuis temporibus permansura.

Priores igitur Prouinciales præfati cum suis Diffinitoribus, gratia Spiritus Sancti inuocata, quasdam Cõstitutiones ad vtilitatem, & honestatem, & conseruationem ordinis, præmissa diligenti examinatione vnanimiter, & concorditer, ediderunt, quas in locis suis in Constitutionibus inserere procurarunt. Inter alias autem quasdam voluerunt inuiolabiliter, & immutabiliter in perpetuum obseruari, v3. De possessionibus, & reditibus non habendis vel recipiendis, De appellationibus remouendis. Et quod non possit per fratres Diffinitores Prioribus Prouincialibus, neq; per Priores Prouinciales fratribus Diffinitoribus in suis diffinitionibus aliquod præiudicium generari. Quasdam autem voluerunt sic immobiles permanere, vt non (nisi à consimili capitulo) nouis emergentibus articulis, casibus, vel negocijs, de ipsis possit aliquid pro tempore immutari. v3.

De Constit. non faciendis nisi per tria generalia capitula continua fuerint approbatæ. De non equitando. De expensis non portandis. De carnibus (nisi causa infirmitatis) non comedendis, ita tamen quod in his pro loco, & tempore Prælato liceat dispensare.

Propter istam Constitutionem editam in capitulo generalissimo de possessionibus & reditibus non habendis, multa à diuersis viris doctis, & timoratis dicta, & scripta sunt, & quæ huic proposito seruire possunt, habentur supra 1. part. cap. de possessionibus, & reditibus non habendis. Inter alia autem ad omnem scrupulum tollẽdum sufficiens esse debet decretũ Conc. Trid. sess. 25. de regularibus cap. 3. loco prædicto relatum, per quod S. Synodos concedit omnibus Monasterijs, & domibus tam virorum quàm mulierum, etiam mendicantium, exceptis domibus Capucinorum, & minorum de obseruantia, etiam his quibus ex Const. prohibitum erat, vt deinceps bona immobilia possidere liceat.

De visitatoribus.

CAPVT XXXIII.

STatuimus vt quatuor fratres ad visitandam prouinciam in capitulo prouinciali à Prouinciali, & Diffinitoribus assignentur, vel plures, secundum quod capitulo prouinciali videbitur expedire. Qui excessus Priorum, & fratrum audiant, & emendent, absque constitutione, & immutatione status domus. Loca vero sua vbique teneant, nisi in capitulo dum ab eis officium suę correctionis exercetur, quod in tribus diebus continuis terminetur. Si quæ autem grauia, & periculosa inuenerint emersisse à tempore visitationis vltimo factæ per visitatorem præcedentem, licet correcta fuerint, nihilominus cum testimonio partis maioris capituli studeant denuntiare Magistro, & Diffinitoribus capituli generalis, vel prouinciali, & Diffinitoribus capituli prouincialis, si ibi capitulum generale non fuerit celebrandum.

Visitatores præsentes verbo, absentes scripto, referre debent Diffinitoribus capituli prouincialis, vel generalis, cum in sua prouincia celebratur, de his quos visitauerint fratribus, si in pace cõtinui, in studio assidui, in prædicatione feruẽtes, quæ de eis fama, quis fructus, si in victu, vestitu & alijs secundum tenorem institutionum ordo seruetur.

Priores autem, & lectores, seu Suppriores in Visitatores non eligantur. Quod si quis Visitator antequam visitet, vel in ipsa visitatione in Priorem fuerit electus, & confirmatus, vel mortuus, aut alias impeditus, prouideat Prouincialis de alio fratre, qui visitet loco eius.

Visitatores non debent esse iuuenes, sed antiqui in ordine, graues, maturi, moribus, & vita approbati, qui in suis Visitationibus de profectu iuuenum, & studentium, qualiter in moribus, & sciencia se habeant, & si fratres caste, & sine proprio viuant, & si silentium, ieiunia, abstinentiam à carnibus, & alia regularia instituta obseruẽt debent diligenter inquirere, & omnia Prouinciali, & Diffinitoribus capituli prouincialis referre. Visitatores isti, & multo magis Prouinciales in Visitationibus debent operam dare in primis, vt omnes cerimoniæ, quæ ad altaris ministerium, & alia diuina officia in nostris ordinarijs notatæ sunt, diligenter obseruentur, & in eis addiscendis, & exercendis iuuenes instruantur, & vniformitas inter fratres maxime appareat. Vestium quoque sacrarum, & corporalium, eadem sit forma, & eapuritas, quæ tantum decet sacrificium. Quæ omnia supra notata sunt locis suis.

Possunt Visitatores fratribus ad visitationem pertinentibus præceptum facere, & etiam sententiam excommunicationis ferre, quando per præceptum veritatem extorquere non possunt. Et fratres tenentur Visitatoribus, & Prælatis præcipientibus reuelare etiam secreta sibi commissa, quæ in periculum communitatis vergunt, vel etiam aliarum personarum.

Debent autem Visitatores primo excessus Priorum, & fratrum audire, & ea quæ sibi dicuntur, si fuerint alicuius momenti, in scriptis redigere, & ad audiendum defectus non potest tempus limitari, sed sufficit vt cum diligentia, & solicitudine audiant, & tempus non amittant. Auditis autem fratribus, debent eos in priuato, vel in capitulo corrigere, & hoc munus correctionis in tribus continuis terminare. Quæ autem corrigenda inuenerint, Magistro, & Diffinitoribus capituli generalis, si illo anno in sua Prouincia celebrabitur verbo aut scripto denuntiare debent. Si autem alibi celebretur, Prouinciali, & Diffinitoribus capituli prouincialis notificabunt. Romę autem 1601. Valleoleti 1605. & Romæ 1608. ordinatur vt bis in anno mittantur Visitatores ad Conuentus in quibus sunt nouitiorum domus, & ordinent quæ ad eorum curam expedire nouerint, & prouideant. Item Romę 1601. statuitur, vt postquam Magister ordinis aliquam visitauerit prouinciam, ne tanti labores suo frustrentur fine, post sex menses mittat ad illam Visitatorem, qui summa vigilãtia scrutetur, an executioni mandentur, quæ à Magistro stabilita fuerunt.

Modus autem quem seruare debet Visitator in visitatione ex formulario ordinis hic est. Cum primum Visitator ad Conuentum visitandum peruenerit, accepta benedictione, & facta breui oratione, vt in rubricis notatur, conuocari faciat fratres ad capitulum, & legi suas literas, vt innotescat omnibus sua auctoritas. Inde exponat succincte quæ intendit à fratribus audire, tam circa essentialia vota religionis, quam circa alias obseruantias regulares, maxime ad Dei cultum attinentes, ad literarum studia, & ad vitæ, & morum compositionem. Inde faciat præceptum in virtute S. Obedientiæ vt fratres dicant sibi confidenter, zelo religionis, & non animi passione quę dicere tenentur, admonendo semper vt denuntiationem iudicialem præcedat, correctio fraterna. Inde vadat ad sepulturas fratrum comitatus à Conuentu, & dicat cum fratribus Psalmum, De profundis, &c. cum oratione Absolue, &c. pro defunctis. Postea infirmos si qui sunt, visitet,

SVMMARII
Pars Quarta.

DE DELINQVENTIVM FRATRVM IVDICIBVS, CORRECTIONIBVS, CVLPIS, ET POENIS.

De exemptione regularium.

CAPVT I.

REgulares exempti vocari ſolent, quia non ſubduntur correctioni quorumcumque Prælatorum extraneorum, ſed ſuis tantum, & ſubinde ſummo Pontifici immediate. Et primo exempti ſunt tanquam Eccleſiaſticæ perſonæ, à poteſtate quorumcumq; tribunalium ſeculariũ, ob id in bulla Cœnæ Domini, quæ quotannis legi ſolet, ſolent hæc verba haberi.

Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoſcumque Magiſtratus, iudices notarios, ſcribas, executores, ſubexecutores, quomodolibet ſe interponentes, in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus, contra perſonas Eccleſiaſticas, illas proceſſando, banniendo, capiendo, carcerando, ſeu ſententias contra illas ferendo, vel exequendo, ſine ſpeciali licentia ſedis Apoſtolicæ, quique huiuſmodi licentiam ad perſonas, & caſus non expreſſos extendunt, vel alias illis perperam abutuntur, etiam ſi talia committentes ſint Conſiliarij, Senatores, Præſidentes, Cancellarij, Vicecancellarij aut quouis alio nomine nuncupati.

Sed adducenda ſunt priuilegia quibus regulares eximuntur à poteſtate Eccleſiaſticorum Prælatorum, etiam Epiſcoporum in quorum diœceſi morantur. Honorius III. in ſua ordinis noſtri confirmatione breuiori ita diſponit.

Nos attendentes fratres tui ordinis futuros pugiles fidei, &c. confirmamus ordinem tuum cum omnibus caſtris, & poſſeſſionibus habitis, & habendis, & ipſum ordinem, poſſeſſiones, & iura, ſub noſtra protectione, & gubernatione ſuſcipimus.

Idem etiam fuit cõfirmatum, & innouatum per ſubſequentes Romanos Pontifices, & duas tantum refero Conſt. alteram Nicolai V. alteram Sixti IIII. Nicolaus igitur V. in ſuo priuileg. 6. hæc habet formalia verba.

Hinc est quod supplicationibus inclinati, ac Nicol. IIII. Bened. XI. & aliorum prædecessorum nostrorum vestigijs inhærentes, ordinem ipsum, ac Magistrum, Priores, & fratres præsentes, & futuros, necnon quascumque sorores, domos, loca, &c. ab omni iurisdictione, dominio, subiectione, & potestate quorumlibet Ordinariorum, & Prælatorum, ac personarum Ecclesiasticarum, necnon à solutione cuiuscumque collecta, &c. de Apostolicæ potestatis plenitudine, ex certa scientia prorsus eximimus, & totaliter liberamus, illos sub B. Petri, & Apostolicæ sedis immediata potestate, suscipimus. Decernentes ordinem, Magistrum, Priores, & fratres qui nunc sunt, & erunt pro tempore, domos, loca, &c. solum, & immediate sedi Apostolicæ subiacere, ita vt Ordinarij, & Prælati, aut huiusmodi aliæ personæ, in eos generaliter vel specialiter, communiter vel diuisim, non possint quauis auctoritate, excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, promulgare, aut alias etiam ratione delicti, seu contractus, vel rei de qua agitur, vbicumque committatur delictum, iniatur contractus, aut res ipsa consistat, potestatem seu iurisdictionem aliquam quomodolibet exercere, &c. Nos enim quaslibet excommunicationum, suspensionum, & interdicti sententias, & quoscumque processus, quasuis pœnas, & sententias continentes, quas contra Magistrum, Priores, & fratres, domos, &c. contra formam præsentium promulgari contigerit, irritas decernimus, & inanes, &c.

Sixtus IIII. in Mari magno, relatis priuilegijs prædecessorum, eximit nos his verbis.

Et ne prætextu Constitutionis Innocentij IIII. quæ incipit, Volentes, locorum diœcesani, & alij Ordinarij, ac alij quicumque in personas, & loca fratrum prædicatorũ contra Gregorij prædecessoris nostri ordinationem, sibi quamcumq; iurisdictionem, & superioritatem vendicare præsumant, districtius inhibemus, ne quispiam absque dictæ sedis speciali commissione, & auctoritate, in personas, domos, & loca dicti ordinis, (vtpotè prorsus exempta,) aliquas excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, specialiter vel generaliter, quomodolibet promulgare, aut in personas, domos, &c. aliquam præeminentiam, superioritatem, & iurisdictionem, quomodolibet exercere præsumant, etiam ratione contractus, vel delicti, seu rei de qua contra eos ageretur, vbicumque iniatur contractus, committatur delictum, & res ipsa consistat. Decernimus quoque ex nunc quaslibet excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, processus, &c. quos vel quas fieri contigerit, &c. etiam eorum exceptione (vt potè notoria) non allegata, nullius esse roboris aut momenti, & pro infectis haberi debere, &c. Non obstantibus, &c.

Subinde multi summi Pontifices, in confirmatione priuilegiorum mendicantium, & non mendicantium, de huiusmodi exemptione mentionem fecerunt, neque vnquam reuocata fuit hæc exemptio, nisi in quibusdam casibus in Conc. Trid. expressis, de quibus infra, & notanda sunt in hoc proposito verba Concilij, quæ leguntur sess. 25. de reg. cap. 22.

Hæc omnia, & singula in superioribus decretis contenta, obseruari S. Synodus præcipit, in omnibus cœnobiis, monasteriis, &c. quorumcumque Regularium, & Sanctimonialium, &c. tam mendicantium quam non mendicantium, non obstantibus illorũ priuilegiis, sub quibuscumque formulis verborum conceptis, ac Mare magnum appellatis, &c. Et in eadem sess. cap. 20. legitur. *In cæteris omnibus præfatorum ordinum priuilegia, & facultates, quæ ipsorũ personas, loca, & iura concernunt, firma sint, & illæsa.*

Post autem prædictum concilium, emanarunt confirmationes quam plurimæ diuersorum ordinum, in quibus apposita fuit illa particula dummodo non obstent decretis Conc. Tridentini. Et inter alios, Pius V. ordini nostro multa concesserat etiam supra Concilium. At Gregor. XIII. ea omnia reduxit ad terminos dicti Concilij. Et sic vsus perseuerat.

De recurrentibus ad tribunialia extra ordinem.

CAPVT II.

VT manu teneretur exemptio hæc in ordine, prohibitum fuit ne fratres ac sorores possent ad tribunalia extra ordinem confugere. Et primo in Constit. dist. 2. cap. 17. in quo habetur quædam Constit. Bonifacij Papæ IX. ita statuitur.

Auctoritate Apostolica tenore præsentium, perpetua, & irrefragabili Constitutione sancimus, statuimus, & ordinamus, &c. Quodq; nullus ex fratribus ac sororibus huiusmodi, coram quocumque iudice, qui non sit de dicto ordine, ex quacumque causa conuenire, seu facere conueniri, aliquem vel aliquam ex fratribus, & sororibus possit, aut debeat, &c.

Item in cap. De capitulo generali habetur statutum hoc.

Ad nullum iudicem extra ordinem, nisi ad sedem Apostolicā, cui ordo noster immediate subditus est, aliquod membrum ordinis, illique subditum pro iustitia recurrat, sub pœna absolutionis ab officio, si est prælatus, ipso facto incurrenda, vel sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, etiam ipso facto, quoad alios pariter incurrenda.

Item in capitulo de Itinerantibus statuitur in hunc qui sequitur modum.

Si quis frater nostri ordinis, per se vel per alium, pro se, vel pro alio, ordinationem de se vel de alio factam, vel obedientiam sibi vel alij fratri iniunctam, per quamcumque personam extra obedientiam nostri ordinis constitutam, quocumque modo procurauerit reuocari, vel in aliqua prouincia aut Cōuentu, vel officio, siue etiam studio generali poni, vel remanere, vel inde amoueri, vel cum personis extraneis commorari, ipso facto ex vi præsentis statuti in pœnam incidat grauioris culpæ, à qua dispensari non possit, nisi per Magistrum ordinis, vel capitulum generale.

Leo X. ad instantiam F. Thomæ de Vio Magistri generalis suo priuilegio 8. ita prohibet.

Nos qui ad ordinem prædictum, & eius personas singularem gerimus deuotionis affectum, eiusque statum tranquillum desideramus, literarum prædictarum tenorem (.s. Bonifacij

Bonifacij IX. de quibus ſupra) *præſentibus pro ſufficienter expreſſo, & inſerto habentes, ſtatutum, & ordinationem huiuſmodi, & prout concernunt omnia, & ſingula in dictis literis contenta, auctoritate Apoſtolica, motu proprio, & ex certa ſcientia, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere decernimus, ſupplentes, omnes, & ſingulos defectus, ſi forſitan interuenerunt. Ac pro potiori cautela, omnia, & ſingula, etiam ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna ipſo facto incurrenda, auctoritate præfata, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, inhibentes ſub eadem pœna quibuſuis iudicibus tum Eccleſiaſticis, tum ſæcularibus, etiam Conſeruatoribus, &c. & cameræ Apoſtolicæ Aueniomenſi, ne querelas fratrum, & ſororum huiuſmodi, contra alios fratres, & ſorores dicti ordinis ſuſcipiant, vel de eis cognoſcant, & cauſas coram eis pendentes, ad ſuos iudices ordinarios remittant, &c.*

Inhibitus etiam fuit huiuſmodi recurſus ad tribunalia extra ordinem per viam appellationis, vt infra dicetur cap. de appellationibus. In cap. aut Valentino 1596. editum fuit huiuſmodi præceptum, quod, & in tribus ſubſequentibus capitulis, Romano 1601. Valleoletano 1605. & Romano 1608. cõfirmatum fuit. ſ. Præcipimus in virtute Spiritus Sancti, & S. Obedientiæ ſub formali præcepto, nec non & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & omnibus pœnis grauioris culpæ, ne quis religionis noſtræ negocia, ſiue fratrum ſiue monialium, quouis modo deferre audeat, directe vel indirecte per ſe vel per alios, ad tribunalia extra ordinem. Quod ſi qui ſciuerint aliquem vel aliquos id feciſſe, ſub eodem præcepto formali, & pœna excommunicationis latæ ſententiæ Priori Prouinciali, vel Conuentuali, infra terminum duodecim dierum, quorum quatuor primos pro primo, & quatuor ſecundos pro ſecundo, & quatuor tertios pro tertio & vltimo peremptorio termino aſſignamus, denuntiare teneantur. Superior vero admonitus ſub eodem formali præcepto, & excommunicationis latæ ſententiæ pœna, intra terminum vt ſupra, præmiſſis præmittendis, pœnam tranſgreſſoribus, ſupra taxatam infligere omnino teneatur. Et nedum ex prædictis interdictum eſt fratribus ac ſororibus confugere ad tribunalia extra ordinem, ſed etiam in Conſtit. prohibetur Prælatis, ne vllam auctoritatem conferant ſuper fratres exiſtentibus extra obedientiam noſtram, ita enim habetur cap. de electione Prioris conuentualis.

Nulli autem Præſidenti ordinis liceat alicui, extra obedientiam noſtri ordinis exiſtenti, curam committere ſuper fratres, vel Conuentus ordinis quomodocumque, niſi Prælatis ex ordine noſtro aſſumptis, ſupra ſocios eis deputatos, quamdiù ſunt eorum ſocij, & niſi ſuper apoſtatas, & vagos, hoc eſt ſine ordinis licentia, extra ordinem commorantes quamdiù ſic extra manent, ſuper quos volumus quod non ſolum Magiſter ordinis, ſed etiam Prouinciales, & eorum Vicarij, poſſint poteſtatem concedere, omnibus Eccleſiaſticis perſonis. Quod ſi ſecus factum fuerit, ſit irritum, & inane.

Et in declarationibus super his verbis dicitur. Cum ordo noster immediate subiectus sit Romano pontifici, & exemptus à iurisdictione quorumcumque Prælatorum, & nullus frater neque etiam Præsidens possit renuntiare cuicumque priuilegio ordini nostro concesso, absque assensu capituli generalis, ideo non licet cuicumque fratri committere auctoritatem super fratres, existentibus extra obedientiam nostri ordinis. Et qui talem auctoritatem dederit, vel alicui priuilegio nostri ordinis renuntiauerit, puniri debet pœna grauioris culpæ.

De his in quibus ex Conc. Trid. Episcopis regulares subiiciuntur.

CAPVT. III.

NOn obstante exemptione prædicta, multi sunt casus pro quibus regulares ab Episcoporum auctoritate dependent, & sunt etiam quędam delicta à regularibus commissa, ob quæ regulares ab eis puniri possunt, & oportet singula annotare, de delictis agetur cap. sequenti. De primis habentur hæc Conc. Trid. decreta.

Nulli etiam regulari liceat imprimere, aut imprimi facere, quosuis libros de rebus sacris, nisi primum examinati, & approbati fuerint ab Ordinariis sub pœna anathematis, &c. sess. 4.

In indice autem librorum postremæ editionis superadditur, vt pro impressione quorumcumq; librorum, præter Episcopi licentiam, requiratur etiam Inquisitoris concessio, & vtraque in fronte libri appareat.

Regulares etiam in Ecclesiis suorum ordinum prædicare non possunt sine licentia suorum Superiorum, cum qua se coram Episcopis præsentare tenebuntur, & ab eis benedictionem accipere. In Ecclesiis vero quę suorum ordinum non sunt, præter licentiam Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua prædicare non possunt, sess. 5. cap. 2.

Nullus secularis aut regularis, etiam in Ecclesiis suorum ordinum contradicente Episcopo prędicare præsumat. sess. 24. cap. 4.

Si vero, quod absit, Prędicator errores, aut scandala disseminauerit in populum, etiamsi in monasterio sui vel alterius ordinis prædicet, Episcopus ei prędicationem interdicat, quod si hęreses prædicauerit, contra eum secundum iuris dispositionem procedat, non obstante quocumque priuilegio. Curent tamen Episcopi ne Prædicator calumniosè vexetur, sess. 5. cap. 2.

Regulares extra religionis suæ obedientiam viuentes, in sua diœcesi Episcopi prædicare nō permittant, nisi ipsi noti sint, & moribus ac doctrina prędit, sub prætextu quorumcumque priuilegiorum. Ibidem.

Quæstores eleemosynarij, qui, & quæstuarij dicuntur, cuiuscumque conditionis sint, nec per se, nec per alios, prædicare præsumant, & contrafacientes ab Episcopis puniantur, priuilegiis non obstantibus. Ibidem.

Non patiantur Episcopi priuatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam vel oratoria ad diuinum cultum dedicata, ab eisdem Episcopis designanda, & visitanda, sacrificium missę, etiam à regularibus peragi. sess. 22.

A supremo ordine minorum ad sacros ordines non promoueantur regulares, nisi

post annum, & nisi necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas iudicio Episcopi aliud exposcat sess.23. c.11.

Regulares ad subdiaconatum ante vigesimum secundum, ad diaconatum ante vigesimum tertium, ad presbyteratum ante vigesimumquintum ætatis suæ annum, non promoueantur, nec sine Episcopi diligenti examine, priuilegiis non obstantibus, sess.23. cap.12.

Promoti ad subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur. Ibidem cap.13.

Ad presbyteratum assumantur, qui in diaconatu ad minus annum integrum nisi ob Ecclesiæ vtilitatem ac necessitatem, aliud Episcopo videretur, ministrauerint. sess. 23. cap.14.

Nota tamen quod in his duobus decretis non nominantur regulares.

Abbatibus etiam exemptis non liceat in posterum, cuique, qui regularis sibi subditus non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre, sess.23. c.10.

Duo sacri ordines non eodem die etiam regularibus conferantur, priuil. ac indultis quibusuis concessis non obstantibus, sess.23. c.13.

Decernit S. Synodus, nullum Sacerdotem etiam regularem, posse confessiones secularium etiam sacerdotum audire, nisi ab Episcopis per examen, si eis videbitur necessarium esse, aut alias idoneus iudicetur, sess.23. c.15.

De cætero monasteria non erigantur, sine Episcopi, in cuius diœcesi sunt erigenda, licentia prius obtenta. sess.25. c.3.

In monasteriis quibus imminet cura animarum secularium, tam regulares quam seculares huiusmodi curam exercentes, subsint immediatè in his quæ ad dictam curam, & sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi & correctioni Episcopi in cuius diœcesi sunt sita. sess.25. c.11.

Censuræ, & interdicta nedum à sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo à regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque seruentur. sess.25. c.12.

Dies etiam festi quos in diœcesi sua seruandos, idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam regularibus seruentur. Ibidem.

Controuersias de præcedentia inter Ecclesiasticas personas, etiam regulnres, tum in processionibus publicis, tum in his quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda vmbella, & aliis similibus, amota omni appellatione, non obstantibus quibuscumque Episcopus componat. sess.25. c.13.

Exempti omnes, tam clerici seculares, quam regulares quicumq; etiam monachi, ad publicas vocati processiones, accedere compellantur, iis tantum exceptis qui in strictiori clausura perpetuo viuunt. Ibidem.

Nulla renuntiatio, aut obligatio, à nouitio ante professionem facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscumque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi, vel eius Vicarij fiat, intra duos menses proximos, antè dictam professionem, ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione, & aliter facta, sit irrita, & nullius effectus. sess.25. c.16.

Quicumque regularis prætendat se per vim, & metum ingressum fuisse religionē, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum di-

mittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere, sine licentia Superiorum, non audiatur nisi infra quinquennium tantum à die professionis, & tunc non aliter, nisi causas quas prætenderit deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. Quod si habitum ante sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumq; causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur, interim nullo priuilegio suæ religionis iuuetur. sess.25. cap.19.

Respectu curæ monialium, Episcopi inuigilare debent, vt illarum clausura reparetur, & conseruetur. Ita enim decernit Conc. Trident. sess.25. c.5.

Bonifacij VIII. Constit. quæ incipit, Periculoso, renouans S. Synodus, vniuersis Episcopis sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ præcipit, vt in omnibus monasteriis sibi subiectis, ordinaria, in aliis vero sedis Apostolicæ auctoritate, clausuram sanctimonialium, vbi violata fuerit diligenter restitui, & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent, inobedientes per censuras Ecclesiasticas compescentes, inuocato etiam ad hoc auxilio brachij secularis, &c.

Item Nemini sanctimonialium licet post professionem exire à monasterio, etiam ad breue tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda, priuilegiis quibuscumque non obstantibus, &c.

De monialium regimine in ordine ad Episcopos, plura dicuntur in summario Constitutionum earum.

In declarationibus, & ordinationibus mandatur, vt cum Episcopis non contendant fratres. Vnde super cap. de certis detractionibus vitandis, dicitur, Cum ex fauore, & gratia Prælatorum ordo noster plurimum promoueatur, debemus illos in reuerentia, & magna veneratione habere, & nullo modo eis detrahere, aut lites vel discordias cum eis habere, sed eorum famam defensare, & populos ad eorum obedientiam, & reuerentiam inducere, nec aliquo modo laicos ab ecclesiarum suarum frequentia auertere. Et qui oppositum fecerit, pœna grauioris culpæ puniatur. Et Bononiæ 1564. habetur. Diligenter attendant Pręlati nostri ordinis, & quicumque alij fratres omnia quæ circa Episcoporum obseruantiam à S. Synodo fuerunt statuta, & si examinare velint Concessarios, & ordinandos, humiliter pareant, neque ipsis contradicentibus prædicare præsumant, etiam in nostris Ecclesiis. Et si in aliquo horum durius aliquando cum fratribus agere videantur, æquo animo sustineant, nec super ea re quæstiones aut lites moueant. Cæterum si non ferenda grauamina occurrant, consulatur Magister ordinis, vel prouinciæ Prælatus, vt secundum eorum consilium oportune prouideatur.

Si quæ alia statuta post Conc. Trid. habentur, quibus regulares Episcopis subiiciantur, opponantur Confirmationes priuilegiorum alicuius religionis post dictum concilium emanatæ, in quibus tantum prædicti Concilij casus excipiuntur.

De delictis regularium per Episcopos puniendis.

CAPVT IV.

IDem sacrum Concilium quædam regularium delicta notat, quæ statuit per Episcopos puniri posse. Et hæc sunt.

Si vero (quod absit) prædicator errores aut scandala disseminauerit in populum,

etiam si in monasterio sui vel alterius ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicat. Quod si hæreses prædicauerit, contra eum secundum iuris dispositionem procedat, &c. sess. 2. cap. 2.

Quæstores eleemosynarij, qui etiam vulgo quæstuarij dicuntur, cuiuscumque conditionis sint, nullo modo nec per se nec per alium prædicare præsumant, & contrafacientes ab Episcopis, & Ordinariis locorum, priuilegiis non obstantibus, opportunis remediis omnino arceantur. Ibidem.

Nemo sæcularis clericus vel regularis extra monasterium degens etiam sui ordinis priuilegij prætextu tutus censeatur, quominus si deliquerit ab Ordinario loci tanquam super hoc à sede Apostolica delegato secundum canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat. sess. 6. cap. 3.

Illi regulares qui studiorum causa ad vniuersitates mittuntur, in conuentibus tantum habitent, alioquin ab Ordinariis puniantur. sess. 25. cap. 4.

Qui extra claustra ducunt vitam, nedum in criminalibus subsunt per iam allata correctioni Ordinariorum, sed etiam in ciuilibus, ita enim decernit S. Synodus sessione 7. cap. 14.

In ciuilibus causis mercedum, & miserabilium personarum clerici seculares vel regulares extra monasterium degentes, quomodolibet exempti, &c. coram locorum ordinariis tanquam in hoc à sede Apostolica delegatis conueniri, & iure medio ad soluendum debitum cogi, & compelli possunt, priuilegiis non obstantibus, &c.

Qui etiam in claustris se continent, si extra ea delinquunt, modo infra notando ab Episcopis corrigi poterunt.

Non liceat regularibus à suis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad suos Superiores accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui vero sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab ordinariis locorum tanquam desertor sui instituti puniatur. sess. 25. cap. 4.

Sixtus V. in sua Constitut. contra illegitimos lata, ampliat decretum hoc Concilij hac phrasi verborum.

Ideo præcipimus vniuersis, & singulis locorum Ordinariis, eorumque Vicariis generalibus, vt per suos officiales vel executores curent ab omnibus personis regulari habitu indutis, quas per ciuitates vel diœceses iter facere vel transire, & ad quacumque hospitia vel diuersoria se recipere contigerit, diligenter perquiri, num literas obedientiæ vel commendatitias habeant, quod si eas non habere, aut ignotos esse deprehenderit, contra eos tanquam criminum suspectos procedere, & tamdiu illos sub custodia detinere debeant, quousque de eisdem notitia habeatur.

Item Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra monasterij degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo scandalo sit, Episcopo instante à suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum seuere puniatur, qui de punitione Episcopum certiorem reddat, sin minus à suo Superiore officio priuetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit. sess. 25. cap. 14.

Clemens 8. pro prædicti decreti executione Constitutionem promulgauit, in qua hæc addidit.

Cæterum si Superior in delinquentem fratrem vt supra non animaduerterit, quinimo si illum impunitum ad alia suorum ordinum loca extra Episcopi diœcesim transmiserit volumus motu proprio, & auctoritate Apostolica decernimus, vt su-

perior instante Episcopo infra terminum ab Episcopo præfigendum, sub pœnis indignationis nostræ, priuationis officiorum, & dignitatum, ac inhabilitationis ad illa, & alia, & priuationis vocis actiuæ & passiuæ, ad quæ non nisi per sedem Apostolicam restitui possit, ipso facto incurrendis, ipsum regularem delinquentem à loco ad quem transmissus fuit reuocare, & in quo deliquit constituere teneatur. Quod si hos facere prætermiserit, statuimus vt Ordinarius loci ad quem delinquens transmissus fuerit, super præmissis ab ordinario loci in quo deliquit requisitus, vel alias de illius delicto informatus, tanquam sedis Apostolicę delegatus, prædictum Concilij decretum omnino exequi, & in delinquentem regularem seuere animaduertere possit, & debeat. Irritum decernentes, &c. Non obstantibus &c.

Item, Præcipit S. Synodus sub anathematis pœna, dantibus, & recipientibus (excepto victu & vestitu nouitiorum) *ne hoc vllo modo fiat, & vt abeuntibus ante professionem omnino restituantur quæ sua erant. Quod vt recte fiat, Episcopus etiam per censuras ecclesiasticas si opus fuerit, compellat.* sess. 25. cap. 16.

Exempti omnes tam sæculares quam regulares etiam monachi, ad publicas processiones vocati accedere compellantur. Ibid. cap. 13.

Et congregatio censuit Episcopos casibus prædictis posse regulares compellere per censuras ecclesiasticas, & alias pœnas arbitrarias.

Quod si quis parochus, vel alius Sacerdos siuè sæcularis siue regularis sit, etiam si id sibi ex priuilegio, aut immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos sine licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure suspensus maneat quandiù ab Ordinario à quo benedictio erat suscipienda, absoluatur. sess. 24. cap. 1.

Et quia emanauit decretum à sacra Congregatione regularium, quo cauetur ne aliquis regularis ad monasteria monialium accedat, & accedens ex Superiorum obedientia eas alloqui non possit, sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, & officiorum ac aliis pœnis arbitrariis, &c. notanda est ordinatio edita mandato S. D. N. in capitulo Romano 1601. quæ est tenoris huiusmodi. Cuius decreti locorum Ordinarij sint executores, & contra quoscumque regulares illius transgressores procedere possint, & debeant, dummodo prius Superiores regulares admonuerint, & ipsi post admonitionem fuerint negligentes. Si autem in flagranti regulares inuenti fuerint, possint Ordinarii illos carcerare, teneãtur tamen illos suis Superioribus tradere, infra tempus ab eis præfigendum puniendos, qui Superiores debent de punitione illos certiores reddere, iuxta decretum Concilij Triden. Est etiam sciendum quod regularis delinquens in aliis decretis Concilij, non debet per Episcopum puniri, sed per suum Superiorem, quod deducitur à simili per quoddam decretum sacræ Congregationis, quod huiusmodi est.

Congregatio Concilij censuit, regulares qui absquè licentia Episcopi in Ecclesiis quæ suorum ordinum non sunt, prædicauerint; tametsi decreto Concilij contrafecerint, non posse puniri ab Episcopo, sed tantum à suis Superioribus.

De Conseruatoribus.

CAPVT V.

CVm igitur regulares exempti sint à quorumcumque Prælatorum extraneorũ iurisdictione,& sub immediata tutela sedis Apostolicæ consistant ad quam non potest in occurrentibus difficultatibus facilis haberi aditus, necesse fuit vt Conseruatores constituerẽtur qui nobis præsidio essent contra perturbatores & violatores priuilegiorum nostrorum. Et (quod viderim) Ioannes 22. fuit primus qui quosdam Episcopos ab eodem specialiter nominatos in suo priuilegio .i. Conseruatores pro ordine nostro instituit hac verborum serie.

Nos Magistri, & fratrum prædicatorum prouidere quieti, & malignorum conatibus obuiare volentes, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum per se, vel per alium seu alios, etiam si sint extra loca in quibus vos deputati estis Conseruatores iudices, eidem Magistro, & fratribus efficacis defensionis præsidio assistentes, non permittatis eos à quibuscumque molestari, vel eis damna, violentias, iniurias, vel molestias irrogari, facturi eisdem Magistro, & fratribus cum ab eis vel procuratoribus eorum fueritis requisiti, de quibuscumque molestiis, violentiis, iniuriis, & damnis præsentibus, & futuris, in illis quæ iudicialem requirunt indaginem, summarie, & de plano sine strepitu, & figura iudicij, in aliis vero prout qualitas exegerit, iustitiæ complementum. Molestatores, & iniuriatores huiusmodi, nec non, & contradictores quoslibet, & rebelles, cuiuscumque dignitatis, status, vel conditionis extiterint, etiam si Pontificali præfulgeant dignitate quotiescumque expedierit, per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus literis Bonifacij 8. in quibus cauetur ne aliquis extra suam ciuitatem, & diœcesim nisi in certis casibus vltra vnã dietam, &c. in iudicium euocetur, &c. Cæterum volumus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamuis inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus, &c.

Sixtus 4. in Mari magno de Conseruatoribus pro ordine nostro decernit vt post.

Et nihilominus cuilibet in dignitate Ecclesiastica constituto, & Metropolitanæ, vel alterius Cathedralis Ecclesiæ Canonico per vniuersum orbem, qui desuper per Priores & F. fuerint requisiti, per Apostolica scripta mandamus quatenus per se vel per alios seu alium, vbi, & quando opus fuerit, dictis professoribus in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant eos pacifica possessione, vel quasi, priuilegiorum, & concessionum gaudere, non permittentes eos contra illorum priuilegiorum tenorem per Ordinarios, & quoscumque alios indebite molestari, aut eis grauamina, iniurias, & damna, inferri seu quomodolibet irrogari, ac etiam summarie, & de plano sine strepitu, & figura iudicij, sola facti veritate inspecta contra quoscumque cuiuscumque gradus, & dignitatis existant, etiam si Patriarchali, Archiepiscopali, & Episcopali, ac mundana forent dignitate muniti, in quibuscumque causis per eos mouendis quacumque ratione quæ excogitari possit, eis ministrent iustitiæ complementum exequendo,

quod per eos fuerit ordinatum, & illos quos censuras, & pœnas prædictas incurrisse constiterit, irretitos esse declarent, &c. Contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, inuocato etiam, si opus fuerit auxilio brachij sęcularis. Non obstantibus Constitutionibus Bonifacij 8. &c.

Pius insuper V. in sua Constitutione qua confirmauit Priuilegia nostra, ampliora concedit circa Conseruatores, quæ vt clariora reddantur ad hæc capita redacta sunt. Primo igitur circa eos qui in Conseruatores eligi possunt, infra scriptos nominat, quibus, & Constitutionem dirigit his verbis.

Vniuersis, & singulis Patriarchis Archiepiscopis, & Episcopis, ac Abbatibus, & aliis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, nec non Metropolitanis, & Cathedralium Ecclesiarum Canonicis, ac prædictorum Vicariis in spiritualibus generalib. vbilibet constitutis.

Modum vero eos eligendi hoc modo exprimit.

Per dictos fratres seu moniales, ac dicti ordinis prædicatorum Superiores, & domorum Priores, ac eorum singulos, pro tempore eligendi sunt Conseruatores, & iudices.

De illorum autem auctoritate ita disponit.

Quandiù autem dictum officium Conseruatoris exercuerint prædicti sic electi, à nemine quominus officium exerceant impediri possint, vel molestari, prohibemus, sub excommunicationis seu suspensionis latæ sententiæ pœna, quam eo ipso incurrere volumus.

Statuit etiam idem Pontifex vt sic electi teneantur munus Conseruatoriatus suscipere & exequi sub hac pœna. s.

Ita vt sic electi sub excõmunicationis seu suspensionis latæ sentẽtiæ pœna, quã statim quod munus Conseruatoris acceptare, & debite ac plenarie exequi neglexerint, absque alterius declarationis ministerio, incurrere volumus. Nec ab aliquo quam à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo absolui posse.

Causæ vero ab eisdem pertractandæ in fauorem regularium istæ sunt.

Priores, Superiores, fratres ac moniales, etiam tertij habitus oblatos ac eorum singulos aduersus inferentes eis aut eorum procuratoribus vel agẽtibus molestias siue perturbationes, iniurias, grauamina, vel damna in personis vel bonis, seu exigendo ab eis vectigilia, datia, gabellas, collectas, aut alia onera, defendere, & præseruare, ac omnẽ eorum iurisdictionem exercere. Item neque eosdem coram aliis quam coram dictis Conseruatoribus, etiam vigore quarumcumque ordinationum regnorum coram sæcularibus iudicibus in iudicium vocari, vel alias molestari quauis occasione vel causa permittere, neque coram alio quocumque iudice siue ordinario, siue delegato, siue actores siue rei existant, &c. Et super præfatis personis efficacis defensionis præsidio assistere, nec permitere eos super eorũ priuilegiis, indultis, concessionibus, &c. per quoscumque Episcopos, Prælatos, Vicarios, Officiales, ac alias personas tam sæculares quã religiosas exemptas, & nõ exẽptas, necnõ Duces, Marchiones, Vniuersitates, &c. indebite molestari, aut eis vel eorũ alicui, molestias, grauamina, damna, seu iniurias, iacturas irrogari, &c. Nec nõ contradictores quoslibet cuiuscũq; status, & dignitatis extiterint, quotiescũq; expedierit auctoritate nostra per censuram ecclesiasticã, appellatione postposita compellere, inuocato etiam brachio sæculari, &c. eosdem dictas

pœnas

pœnas incurrisse declarare. Insuper controuersias quascumque super quibuscumque rebus, & negociis, motas, & mouendas, actiuè & passiuè, cum omnibus incidentibus, & emergentibus annexis cognoscere, & decidere, & decisas exequi, & executioni mandare, &c.

Modum etiam procedendi Conseruatoribus proponit dicens.

Discretioni vestræ mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum, per vos vel per alium seu alios, etiam si sint extra loca in quibus deputati estis Conseruatores, dictis personis assistatis, &c. Necnon super quibusuis molestiis, damnis, iniuriis, &c. illatis siuè comminatis, in illis quæ iudicialem requirunt indaginem, summariè simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, sola facti veritate inspecta, in aliis vero prout iustitia exegerit, iustitiæ complementum faciatis, &c.

Demum omnia in contrarium existentia non obstare decernit, cum derogatoriis in amplissima forma. Et quia contra hanc Pij V. Constitutionem afferri solet reuocatio edita per Gregorium 13. occurritur dicendo illam fuisse abolitam quoad ea tantum quæ contraria sunt decretis Conc. Trid. quibus non obstat electio Conseruatorum, vt videre est sess. 14. cap. 5. vbi cum aliqua prohibuisset circa Conseruatores, declarat regularia loca hoc decreto non comprehendi, sed exempta esse.

Confectius in collatione priuilegiorum titulo 4. de Conseruatoribus quædam tradit necessario scienda. Et de illorum electione dicit nedum capitulariter, verum etiam priuatè fieri posse. Capitulariter .s. in capitulis generalibus vel prouincialibus siue etiam cōuentualibus. Priuatè vero per Magistrum ordinis, vel per Prouinciales, aut Priores, siuè Vicarios, ac per quoslibet singulares fratres. Quæ electio constare debet per publicum instrumentum vel per Superiorum literas patentes, & sic electi, à sede Apostolica cum omnimoda auctoritate deputati existunt. De modo procedendi notat illa verba summarie de plano, & sine strepitu, &c. & affert declarationem Clementis 4. quæ habetur Clem. vltima de verb. signif. & habet hæc verba.

Vt iudex cui talis modus procedendi commissus est, necessario libellum non exigat, litis contestationem non postulet, in tempore feriarum procedere possit, amputet dilationum materiam, litem faciat breuiorem, exceptiones, & appellationes frustatorias repellat, partium ad vocatorum contentiones tollat, multitudinem testium superfluam refrænet, declaramus, non sic tamen litem abbreuiet, quod necessariæ probationes, & defensiones non admittantur, &c.

De tempore durationis Conseruatorum sic electorum dicit eos non posse reuocari, quia illico à S. sede deputantur. Et adducit decretum sacræ Congregationis Concilij in hoc proposito, quod huiusmodi est.

Regulares omnes in ciuitatibus Italiæ existentes sibi Conseruatores eligant, coram quibus conueniri possint, ac semel electos non nisi in capitulis prouincialibus mutent, eorumque nomina infra mensem Episcopis indicent, alioquin coram ipsis Ordinarijs, conueniri possint.

Postremo notat Conseruatores de labore suo reportare spiritualem remunerationem, quia efficiuntur participes missarum, ieiuniorum, ac orationum, & quorumcumque bonorum, quæ in ordine fiunt. Sic enim

concedit Iulius 2. Conseruatoribus ordinis minimorum in Constit. dicti Pontificis apud Confectium 3.

De modo procedendi in correctionibus fratrum.

CAPVT VI.

TRiplicem esse modum procedendi in punitionibus delictorum, omnes doctores vnanimiter, tradunt. s. per denuntiationem, inquisitionem, & accusationem, quos etiam ex sacris scripturis colligunt. Denunciationem docuit, D. N. Christus Math. 18. quando proposita correctione fraterna, & ea inutili existente subdit. Si illos non audierit, dic ecclesiæ. Inquisitionem docuit Deus Gen. 18. dum dicit Abrahæ. Clamor Sodomorum multiplicatus est, & peccatum illorum aggrauatum est nimis. Descendam & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint. Accusationis formam habemus Io. 8. vbi legitur. Adduxerunt Scribæ, & Pharisei mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio, & dixerunt Iesu. Hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. Tu ergo quid dicis?

In multis differunt hi procedendi modi, nam inquisitio fit quando iudex ex officio suo inquirit delicta subditorum visitationis occasione quam Prælati regulares facere tenentur. Denuntiatio est, quando quis præcepto Superioris coactus, vel sponte zelo religionis crimen iudici denuntiat, vt ad emendationem principaliter procedat. Accusatio vero est, quando aliquis crimen Prælato defert, vt reus puniatur iuxta rigorem legis, obligando se ad delicti delati sufficientem probationem. Ex quibus declarationibus colligi possunt hęc discrimina. Inquisitionem generalem nihil præcedere necesse est. Vnde visitatores solo suo officio moti ad suos Conuentus accedentes præcipiunt vt si quæ habeut corrigenda reuelent, & ex illis ad inquirendum ducuntur. Inquisitionem vero specialem necessario præcedit notitia de persona delinquente, vel de delicti inquirendi infamia. Denuntiationem autem omnino præcedere debet Euangelica correctio. Accusator autem correctionem accusationi præmittere non tenetur. Et quia denuntiator, & accusator in hoc essentiali conueniunt, quod vterque delictum iudici patefacit, notanda est multiplex inter eos differentia. Prima est in fine, quia denuntiator principaliter intendit vel emendationem delinquentis, vel ad summum sui satisfactionem, quando offensus est, accusator vero punitionem iuxta rigorem legis intendit, data etiam delinquentis emendatione. Secunda in medio quia denuntiator post denuntiationē non habet de iure quod agat, accusator delictum probare tenetur, & si in probatione succumbit, punitur pœna, quam vocant talionis. Tertia in pœna, quia in accusatum tenetur iudex totam legis pœnam inferre, in denuntiatum vero potest eam mitigare, prout expediens iudicauerit. Quarta sumitur ex modo, quia denuntiatio ex charitate prouenit, vnde de ea agit S. Thom. 2. 2. q. 33. in tractatu de charitate, accusa-

satio vero actus est iustitiæ & eam considerat S. Doct. 2.2. q. 68. in materia de iustitia. Quæ omnia lucidiora fient ex sequentibus.

Quocumque autem modo procedatur in correctionibus fratrum, notetur Constitutio Bonifacij 9. quæ habetur dist. 2. cap. 17. tenoris vt infra.

Statuimus, & ordinamus quod Magister ordinis, & alij præsidentes, ad quod id pertinuerit pro tempore, in correctionibus fratrum iuris ordine postposito secundum consuetudines approbatas, & instituta ordinis procedere liberè & licitè valeant, quod eis auctoritate Apostolica tenore præsentium ex certa scientia indulgemus.

Bonifacius 8. antea in suo priuilegio 3. aliud concessit. s.

Pensantes quod si regularium personarum correctio rimas, & apices iuris sequeretur, rigor huiusmodi lentesceret, & multiplici laxatione torperet, vestris supplicationibus inclinati auctoritate Apostolica vobis indulgemus, vt ad correctiones, & punitiones fratrum delinquentium infligendas, Prælati ordinis ad quos spectant, rimulis & apicibus iuris postpositis, libere procedere valeant secundum consuetudines approbatas, & generalia instituta facta, & facienda. Neque volumus dictos fratres ab huiusmodi correctionibus & punitionibus posse appellare, &c.

Et in cap. Rom. 1601. dicitur. Et quoniam experientia nos docuit in processibus formandis, & causis pertractandis, si apices iuris seruentur, causas in infinitũ protrahi, & fratrum delicta apud sæculares diuulgari, ordinamus ex cõcessione S. D. N. vt in causis prædictis sufficiat, vt fiat iudiciũ secundũ regulas à nostris Constit. præfixas, procedendo summariè simpliciter, & de plano sine & strepitu, figura iudicij, sola facti veritate inspecta. Quid autem sibi velint hæc verba, summariè, &c. dictum est cap. de Conseruatoribus. Et etiam obseruetur id quod in prologo Const. habetur. s. nullum posse condemnari ad pœnas grauioris culpæ siuè ad carceres, nisi in iudicio confessum vel conuictum, & in scriptis. Qui processus non debent comburi, dum rei agunt in humanis, nec vlla ratione remaneant apud singulares fratres sub pœna grauioris culpæ, vt traditur Barchin. 1574. neque illorum copiæ etiam apud Prælatos completo illorum officio seruentur, iuxta tradita Venetiis 1592. sed in archiuio communi prouinciæ, sub dicta pœna grauioris culpæ. Poterunt autem igni tradi post mortem reorum, dummodo sine iustitiæ periculo fieri queat respectu viuentium. Romæ 1589. Et norint iudices id quod tradit S. Thom. 2.2. q. 67. art. 4. s. non esse in illorum potestate remittere pœnas taxatas à lege delictis in sententiis ferendis, & quando proceditur via accusationis, & quãdo iudex non est supremus Prælatus. Et post sententiam latam non possunt Prælati inferiores extra capitula remittere pœnas priuatiuas, ex traditis in cap. de grauiori culpa. Et etiam obseruent quod notatur cap. de certis detract. & sing. s.

Prælati qui in corrigendo transgressores inuenti fuerint negligentes, per generale vel Prouinciale capitulum ab officiis absoluantur, & puniantur.

De modo procedendi per denuntiatiationem.

CAPVT VII.

DEnuntiatio duplex est pro quanto proposito nostro seruit, altera euangelica, altera iudicialis. Euangelica est, quæ sequitur correctionem, in qua primo admonetur frater delinquens secreto, deinde emendatione non secuta adhibentur testes, postea sequitur hæc denuntiato significata per illa verba, Dic Ecclesiæ. Et hæc ad eum finem fit, vt Prælatus non vt iudex, sed vt pater admoneat delinquentem etiam comminatoriis verbis. Iudicialis ea est, quæ sequitur euangelicam, quando illa non prodest, quæ habetur ex illis verbis. Si ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus .i. excommunicatus, excommunicatio namque iudicium sequitur. Differunt inter se valde hæ duæ denunciationes, nam euangelica fit ore tantum sine scriptura, & figura iudicij, iudicialis vero si sit de graui crimine in scriptis redigenda est. Finis euangelicæ est sola emendatio delinquentis, qua habita desistit, iudicialis vero etiam si emendationem peccatoris intendat adhuc tamen satisfactionem offensæ expostulat siue publicam siue priuatam, ad differentiam accusatoris, qui vt dictum est publicam vindictam legis in suo rigore petit. Euangelica soli innititur charitati, iudicialis vero partim charitati, & partim iustitiæ, vnde hæc media est inter denuntiationem euangelicam & accusationem. Omissa igitur euangelica de iudiciali aliqua dicamus.

Ex S. Thom. 2.2. q. 23. art. 7. primo notandum est, quod peccata duplicia sunt, quædam publica, quædam occulta. In publicis non tenetur denuntiator præmittere correctionem fraternam, quia hæc tantum de occultis fieri præcipitur dicente domino, Si peccauerit in te frater tuus, &c. Qui autem publice aliquem offendit, non solum eum cum peccat offendit, sed etiam alios videntes, quos turbat. Peccata autem occulta adhuc sunt subdiuidenda, nam quædam sunt in nocumentum corporale, vel spirituale proximi, vt proditio ciuitatis secreta, vel auersio hominis à fide & in horum denuntiatione non debet præmitti correctio, quia non solum in te peccat, sed etiam in alios, nisi forsan similiter existimares quod proditor vel hæreticus per correctionem à delicto auerteretur, quod impossibile creditu est, & ideo talia delicta denuntianda sunt. Quædam vero peccata omnino occulta sunt, quæ malum inferunt tantum peccanti, vel ei etiam in quem peccatur per offensam vel notitiam solam, & in his denunciandis secreta monitio præcedere debet.

Contra hæc obiici duo inter alia S. Doct. primum est quod in capitulis quotidianis religiosorum accusantur fratres de culpis non præmissa secreta

correctione, secundum est quia Prælati sæpe præcipiunt fratribus, vt reuelent delicta fratrum ad punitionem. Et ad primum dicit in dictis capitulis fieri proclamationes tantum de leuib. delictis, non de his quæ infamiam afferunt. Ad secundum respondet: in illis præceptis semper præsupponitur correctio secreta, aliter peccaret Prælatus præcipiens, & subditus reuelans, quando modo dicto peccata sunt occulta.

Afferunt etiam theologi alios casus in quibus non tenemur præmittere correctionem secretam denuntiationi iudiciali .s. quando nulla esset spes emendationis, quando sibi iuste timeret de malo inferendo, quando in delicto graui periculum esset in mora, quando ageretur de delicto in perniciem multitudinis, & quando punitio delicti esset ob scandalum maxime necessaria. Et quod procedi quandoque debeat à denuntiatione euangelica ad iudicialem, habetur ex illo. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus. Et idem ad verbum tradit S. Augus. in regula per hæc verba.

Et si hanc de qua loquor oculi petulantiam in aliquo vestrum aduerteritis, statim admonete ne male cœpta progrediantur, sed de proximo corrigantur. Si autem post admonitionem iterum vel alio quoque die idipsum eum facere videritis, iam velut vulneratum sanandum prodat, quicumque hoc potuerit inuenire. Prius tamen est alteri vel tertio demonstrandum, vt duorum vel trium possit ore conuinci, & competenti seueritate coerceri. Nec vos iudicetis esse maleuolos quando hoc indicatis. Magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros quos indicando corrigere potestis tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari dum timet secari, nonne crudeliter à te sileretur, & misericorditer indicaretur? Quanto ergo potius debes manifestare, ne deterius putrescat in corde? Sed antequam aliis demonstretur per quos conuincendus est si negauerit, prius Præposito debet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi, ne forte possit secretius correctus non innotescere cæteris. Si autem negauerit, tunc neganti adhibendi sunt alij, etiam coram omnibus, vt possit non ab vno teste argui, sed à duobus vel tribus conuinci. Conuictus verò secundum Præpositi, vel etiam Presbyteri, ad cuius dispensationem pertinet, arbitrium, debet emendatoriam subire vindictam. Quam si ferre recusauerit, etiam si ipse non abscesserit, de vestra societate proiiciatur. Non enim hoc fit crudeliter sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat.

Multum conferunt huic proposito quæ cap. sequenti de accusatione traduntur propter affinitatem quam habent inter se denuntiatio, & accusatio.

De modo procedendi per viam accusationis.

CAPVT VIII.

PErtractat de accusatione S. Tho. 2. 2. q. 68. quatuor articulis, in quibus habentur quatuor notanda. Primum est circa necessitatem accusandi pro quo duas dat distinctiones. Prima est, aut accusator potest probare delictum, aut non. Secunda est, crimina sunt duplicia, quædam quæ vergunt in detrimentum temporale vel spirituale reipublicæ siue multitudinis, quædam in detrimentum tantum personæ. Tunc statuit hæc dicta. Sciens aliquod crimen quod sufficienter probare non potest, non tenetur quodcumque sit illud deferre iudici per accusationem, quia nullus tenetur assumere opus, quod ad debitum finem perducere non potest, finis autem accusationis est, vt delinquens conuictus puniatur ad beneficium boni communis. Item sciens crimen vergens tantum in damnum particularis, vt putà furtum, non tenetur accusare, etiam si habeat vnde illud probare possit, quia læsus potest dimittere offensam, cum sit dominus rerum suarum, & famæ, & de consilio est tales offensas dimittere. Congruit huic loco illud consilium Domini, quod habetur Matth. 5. Si quis percusserit te in maxilla, præbe ei alteram, & ei qui in iudicio vult contendere tecum, & tollere tunicam, da ei & pallium, & qui angariauerit te mille passus, vade cum eo alia duo. Vocaui autem hoc dictum consilium, non præceptum, quia si in his delictis delinquentem læsus accusaret, vel alius, non peccaret. Prohibetur enim sub præcepto, vt notat Caietanus hic, vindicta offensæ propria auctoritate acta, non publica, & prohibetur odiũ, & liuor vindictæ, cum dicitur, Dimittite, & dimittemini, non autem reparatio damni sui, vel proximi. Item sciens crimen quod vergit in detrimentum reipublicæ, vel multitudinis, vt proditio ciuitatis, auersio hominum à fide, tenetur accusare. Probatur, quia vnusquisque tenetur manum apponere, vt bonum commune, siue reipublicæ, siue multitudinis conseruetur, & pœna accusato infligendo seruit pro medicina ad conseruandum bonum publicum. Hæc D. Thom. Vbi benè aduerte circa crimina accusanda, quæ dicit esse ea, quæ vergunt in detrimentum totius reipublicæ, aut multitudinis: vnde notant Doctores, quòd assassini viarum accusandi sunt de necessitate, quia multitudinis bonum offendunt. Ita crederem in religionibus nedum accusandos esse, qui totius ordinis diuisionem emoliuntur, sed etiam qui prouinciam, aut numerosum conuentum conturbant, vel suis delictis infamia notabiliter inurunt.

Secundum, quod notat S. Doct. in accusatione est, vt fiat scripto, ratio est, quia iudex ad instantiam accusatoris tenetur iustitiam ministrare, at ea quæ solum ore dicuntur, facilè labuntur, & certa esse non possunt, vnde sine scripto iudex à vero deuiare posset. Quapropter in Constitutionibus dicitur, vt nullus condemnetur ad pœnas grauioris culpæ, vel ad carceres, nisi confessus, aut conuictus in scriptis.

In tertio notat tres defectus, qui in accusatione possunt misceri .s. Calumnia, quando accusator imponit falsa crimina. Præuaricatio, quando

data accusatione adiuuaret partem aduersam indebite. Tergiuersatio, quando desisteret à sufficienti probatione.

In quarto tradit pœnam infligendam accusatori deficienti in probatione, quæ, est pœna talionis .s. talis qualis esset accusato si conuinceretur imponenda. Nam iudex medius constituitur inter accusantem, & accusatum, & iustitiam inter eos seruare debet, quæ in æqualitate consistit, vt pœna nocumento respondeat.

Potest autem iudex desistere à prosecutione accusationis duplici de causa, vt ponderat S. Thom. in resp. ad 3. art. 3. primo si pari consensu se absoluant reus & accusator, secundo quando Princeps ad quem pertinet boni communis cura accusationem aboleret. Vbi Caietanus hoc notat. Quicumque iudex siue sit supremus siue inferior si aduertit accusationem calumniosam esse, tenetur eam abolere, & hoc notum est. Inde, cum agitur de accusatione in qua accusator petit satisfactionem de damno sibi illato, non debet iudex inferior sine consensu accusatoris accusationem reiicere, quia officium iudicis est reddere vnicuique quod suum est. Post, Princeps supremus accusationem inceptam delere potest, quotiescumque viderit id cedere in bonum commune, vt si ex satisfactione vel punitione dubitaret de seditione, nam bonum particulare pro bono communi omittēdum est. Item, iudex inferior in prædicto casu poterit accusationem in principio non admittere, aut inceptam dissimulare vel suspendere. Quod si ex abolitione vel dissimulatione aut suspensione accusationis nullum auxilium bono communi additur, iudex quilibet non debet neque potest ab incepta accusatione cessare, sed omni conatu eam prosequi debet.

De accusatoribus adnotetur quod dicitur in cap. de solem. celeb. capituli.

Conuentus qui mittit accusationes ad capitulum, scribat numerum, & nomina accusantium, & si accusant de visu vel auditu. Et vnius tantum accusatio non mittatur.

Et in declarationibus admonentur fratres ne aliquem accusent de crimine, nisi viderint ipsum delinquere, quod si de auditu tantum eum accusant, nouerint id sibi non licere, nisi probare possint, quod nedum ab aliis audierint, sed etiam quod in veritate accusatus illud crimen commiserit.

De modo procedendi per inquisitionem generalem.

CAPVT. IX.

INquisitio differt à denuntiatione, & accusatione, quia denuntiat, & accusat subditus, Prælatus vero inquirit. Est autem inquisitio duplex, altera generalis cum inquiritur de delictis, & delinquentibus in genere, vt cum apud nos visitatores inquirunt an in conuentu sint fratres criminosi, altera specialis quando inquiritur de delicto, & persona speciali, vt si Petrus talle furtum commisit. Ex istis insurgit alia mixta, vt quando inquiritur persona de delicto in genere, puta si Petrus aliquod delictum commisit, vel è conuerso quando inquiritur quis tale furtum fecit. Inquisitio generalis à

Prælatis fieri potest & debet ex officio, etiam si nulla præcedant indicia. Hæc mandatur cap. de Visitatoribus, vbi dicitur.

Statuimus vt quatuor fratres ad visitandam prouinciam in capitulo assignentur, qui excessus Priorum, & fratrum audiant, & emendent.

In formulario ordinis cap. de Visitatoribus statuitur vt cum primum ad conuentum visitandum peruenerint, capitulum intrent, & iniungant sine præcepti expressione vt quilibet dicat id quod sibi videtur dicendum pro bono ordinis secundum conscientiam. Et in prologo Constit. innuitur visitatores debere astringere fratres ad manifestanda delicta per præceptum formale dum dicit illud fieri posse sine scripto, & vocatur commune præceptum quod à Visitatorib. fit. Et hæc visitatio seu inquisitio generalis mandatur Prælatis à Concil. Trid. sess.25. cap.1. vbi dicitur.

Omnis cura adhibeatur à Superioribus in suis capitulis, & visitationibus quas facere non prætermittant suis temporibus, vt ab obseruantia veterum, & regularium institutorum non recedatur.

Hæc eadem visitatio mandatur Archiepiscopis in cap. Romana. De censibus in 6. quo in loco ad longum proponitur modus procedendi in ea, & corrigendi delicta inuenta, & eadem committitur Episcopis à Conc. Trid. cap.3. sess.24. vbi hæc verba notabilia habentur.

Visitationum autem præcipuus sit scopus sanam doctrinam expulsis erroribus inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere, populum admonitionibus ad pacem, & innocentiam accendere, & cætera prout locus, & tempus feret ad fideliũ fructũ constituere.

Vi autem harum visitationum, & præcepti, poterunt fratres Visitatori tamquam, patri, denuntiare ea quæ existimauerint corrigenda, vel præmissa correctione iuxta Christi mandatum, vel etiam ea non præmissa, quando vel se aptos ad corrigendum non agnoscunt, vel quia sibi timerent de graui malo. Tenetur etiam subditus vi huius præcepti denuntiare vel accusare de his, de quibus dictum est quemlibet teneri ad accusandum, qui forsan sine visitatione posset accusationem differre. Et amplius, sciens aliquem commisisse delictum in damnum ciuitatis vel multitudinis, & non habeat vnde possit illud probare, poterit iudici denuntiare, quia denuntiator non cogitur probare, vt accusator.

Difficultas hic emergit, num Visitator possit à generali ad specialem inquisitionem declinare, quando per visitationem manifestatur ei certum delictum de certa persona. Ad quod responderem cum debita submissione, quod si delictum est de numero eorum quæ homo tenetur accusare, poterit declinare ad specialem inuestigationem, sicut etiam posset extra visitationem procedere, nam accusator sufficit ad mouendum iudicem vt procedat. Potest etiam ad specialem inquisitionem deueniri quando per visitationem probaretur infamia contra aliquem de delicto. Insuper posset Visitator ex communi visitatione inquirere contra aliquem, quando ex visitatione resultarent indicia violenta contra eundem, vt si Visitatori constaret rem furto sublatam apud aliquem inuentam esse, posset iste de furto inquiri.

In reliquis

In reliquis vero non vergentibus in damnum ciuitatis vel multitudinis, vel quando non præcedit infamia, aut indicium vehemens, non poterit Prælatus inquisitionem specialem formare. Et subditus in his casibus etiam vi præcepti non tenetur denuntiare. Et adeem, quod si Prælatus aut syndicus dilapidaret bona conuentus, aut religiosus notabiliter sæcularibus scandalum sua praua conuersatione præberet vt religio in opprobrium verteretur, talia crimina iudicari debent cedentia in detrimentũ boni publici, aut multitudinis.

De modo procedendi per inquisitionem specialem.

CAPVT X.

HÆc inquisitio specialis duplex est, altera quæ dicitur meritoria, vt cum quis assumendus est ad Episcopatum fit inquisitio de meritis illius, num tanto muneri aptus sit, sed de hac non est habendus sermo. Altera nuncupatur criminalis, qua inquiritur, num talis persona tale crimen commiserit, & de hac tradenda sunt aliqua magis substantialia. Primo autem omnium notanda est doctrina S. Tho. 2.2.q.67.ar.3. vbi habet, quod iudex constituitur inter duos hinc & inde disputantes tanquam medius, & omnibus auditis iustitiam ministrat, qui duo sunt accusator, & reus. Cum autem procedit per inquisitionem, in qua non est accusator, debet adesse aliquid loco accusatoris, quod erit publica infamia, sicut Gen. 4. inquisitionem fratricidij Cain præcessit rumor, vnde dicit Deus: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, & Gen. 18. inquisitionem delicti sodomorum præcessit clamorosa infamia. Clamor sodomorum venit ad me. Et Lucæ 16. Paterfamilias inquirens malam villici administrationem præsensit infamiam, nam dicitur. Et hic diffamatus est apud eum, &c. Cum D. Tho. in hoc conueniunt Theologi, canonistæ, & iurisperiti. Verum apparet S. Tho. extendere hãc infamiam, ita vt sufficere videatur, quod eius loco vel expressa indicia præcedant, vel semiplena probatio, Nam q. 69. art. 2. docet iudicem iuste interrogare testes de persona delinquente, quando infamia, vel expressa indicia, vel semiplena probatio præcedit, interrogatio .n. inquisitio quædam est. Et Caietanus addit, quod dato vt vnus esset publice infamatus de vno crimine, contra eundem non posset fieri inquisitio de alio crimine, de quo non esset infamatus, quod expresse habetur cap. Inquisitionis extra de Accusat. vbi dicitur. Inquisitio fieri non debet, nisi super delictis, de quibus clamores præcesserint. Quod, & notatur in decla. cap. de grauiori culpa contra Petrum de Palude.

Sed grauis hic occurrit dubitatio, num data notorietate criminis, puta homicidij, quia apparet cadauer, possit iudex delinquentem inquirere sub censura præcipiendo, vt qui scit aut suspicatur de delinquente, illum prodat. In qua difficultate varia traduntur à doctoribus: satis autem mihi erit tradere, quid dicendum sit ex mente S. Doctoris, & discipulorum eius.

In primis pars affirmatiua persuadetur, primo ex vniuersali consuetudi-

ne totius orbis etiam inter regulares doctos, & timoratos, qui in similibus casibus ad talem inquisitionem descendunt. Secundo, quia si id iudices non peragerent, orietur scandalum de eorum negligentia, & delicta grauiora impunita remanerent. In hanc sententiam conuenisse videtur S. Tho. de quo refert Caietanus hic q. 69. & Siluester verbo Correctio §. 8. quod in quodam capitulo generali cum esset baccalaureus, sensit eo casu ad præceptum Prælati teneri subditum, suum & alienum delictum quantumuis occultum pandere. In oppositum est illa regula generalis, omnem inquisitionem præcedere debere, vel denuntiationem, vel accusationem, aut infamiam, vt iudex sit medius. Huic dubio respondeo per hæc dicta.

Si delictum, de quo quæritur tale esset quod induceret detrimentum communitati aut multitudini, posset Prælatus per censuram veritatem indagare, & subditi tenerentur illam pandere, quia etiam sine Prælati mandato tenentur per accusationem tale delictum iudici deferre, vt iam dictum est.

Item si delictum esset tale quod tantum noceret priuatæ personæ, & publice esset commissum, posset iudex censura vti, & illi tenerentur reuelare, si infamia ad aures iudicis saltem extra iudicialiter peruenisset per dicta supra.

Item si delinquens in præiudicium tertij esset omnino occultus, iudex posset generaliter inquirere eum, & subditus non teneretur illum reuelare; nam iudex inquisitionem generalem exerceret ex officio, & nullus reuelare tenetur occulta delicta. Et hoc modo saluatur consuetudo vniuersalis orbis, & non potest iudex de negligentia argui: Neque frustratoria esset illa inquisitio, quia si delinquens esset infamatus de crimine, posset infamiam iudici pandere. Sunt qui asserunt eo casu posse inuestigari indicia generalia, puta qua hora, quomodo, quo loco, &c. fuerit delictum commissum, & si ex his resultarent manifesta indicia, posset inquirere ex eis specialiter delinquentem, quia hæc indicia locum infamiæ tenerent. Ad obiecta in contrarium satis dictum est. Et de S. Tho. Caietanus dicit, attendendam esse doctrinam quam nobis scriptam reliquit, non quod in dicto capitulo consuluit.

Non est autem in proposito spernenda formula inquisitionis, quæ traditur in formulario ordinis, vbi dicitur. Quædam delicta sunt omnino, vel quasi omnino occulta vt illa quæ à solo committente, vel ab alio vidente sciuntur, & de his non debet fieri inquisitio. Quædam sunt delicta, quæ habent plures consortes, & Prælato etiam per relationem vnius facta sunt nota, & talia non sunt sine discussione dimittenda, sed debet ea scripto commendare non vt tunc puniat, sed vt conseruet, ita vt si postea similiter delinquant magis aggrauentur, debet tamen delinquentes acrius monere secreto, & diligentius eos obseruare, & quandoque deferre, si illi alias sint claræ famæ vel si timeatur de aliquo malo. Quædam vero sunt occulte cõmissa, sed quandoque à pluribus dicuntur, & à plerisque nesciuntur, & tunc inquirendum est de vita, & moribus delinquentis in alijs locis, & si aggrauatus redditur, de consilio discretorum poterit arctari, vt inquiratur deli-

ctum. Quædam sunt publice commissa, & pluribus nota, & contra istorum operatores inquirendum est, cum ex S. Tho. 2. 2. q. 70. art. 1. habeatur iudicem posse inquirere, & quando infamia præcedit, & quando delicta sunt manifesta.

Et in decla. cap. de Visita. notatur fratres non teneri Prælato præcipienti delicta omnino occulta reuelare, sed charitatiue corripere, aut si se aptos non cognoscunt. Prælatum tanquam patrem admonere, vt secreto corrigat, quod non est dicere Ecclesię, quia non dicitur ei vt iudici. Si autem non sint totaliter occulta, sed per suspiciones ad notitiam multorũ deuenerint vnde multi scandalizentur, cum bonum multitudinis præponendum sit bono vnius, Prælatus debet veritatem inquirere, & delinquentes punire, & testes examinati tenentur illa dicere.

De Testibus.

CAPVT XI.

S. Tho. 2. 2. q. 70. hæc puncta tradit de testibus. Primum attinet ad obligationem dicendi veritatem, & distinguit. nam aut testimonium eius exquiritur à iudice, aut non: Si non exquiritur, in duobus casibus tenetur se sponte exhibere .s. quando crimen esset in damnum reipublicæ vel multitudinis, & quando sciret aliquem iniustè condemnari ad mortem, debet enim facere quod in se ést, vt eum liberet propalando veritatem alicui qui possit prodesse. Aut eius dictum inquiritur, & tunc est subdistinguendum, nam aut delictum est omnino occultum, & sibi solum manifestum, & tunc non tenetur illud pandere, quia occulta soli iudicio diuino subsunt. Si autem delictũ non sit ita occultum, sed etiam alijs notum, distinguere oportet, quia aut illud nouit quia sibi in confessione sacramentali traditum fuit, quo casu non potest illud prodere, & tuta conscientia potest dicere, nescio, tum quia nescit vt homo, tum quia audita nesciuntur sed creduntur, aut illud nouit sub secreti sigillo, & tunc propalare tenetur, quia male promisit in damnum iustitiæ, & tertij, aut illud nouit aliundè siue de visu siue de auditu, & eo casu si delictum est in damnum multitudinis vel tertiæ personæ, tenetur illud detegere, & tacendo mortaliter peccat, & ratione periurij, & ratione falsi testimonij prohibitorum in lege, & ratione mendacij, quod perniciosum est, cum sit contra bonum iustitiæ.

Aliud punctum versatur circa qualitates testium ob quas repelluntur à testimonio ferendo, vel diminuitur illorum fides. Quarum aliquæ proueniunt ex culpa, vt infideles, infames, criminosi, & notati plublice aliquo crimine. Quædam sine culpa ex defectu rationis, quales sunt amentes, pueri, mulieres, &c. vel ex affectu interno vt inimici, amici, domestici, familiares, &c. vel ex exteriori conditione, vt serui pauperes, & subditi, vel ex varietate dictorum suorũ. Varietas autem pluribus modis accidere potest. 1. quãdo idem testis modo vnũm, modo aliud dicit, & si variat in substantialibus, loco, & tempore, repellitur, & est periurus, si autem in circunstantijs re-

motis, quæ non ita attenduntur non officit. 2. quando variant diuersi testes inter se. Et tunc aut variant in substantia, quia aliqui affirmāt delictum, alij negant: & eo casu Prælatus debet perpendere vtriusque partis testium numerum dignitatem, & qualitátem tum illorum, tum negocij, vt prudentia sua iudicet cui parti adhęrendum sit: aut variant in circunstantijs principalibus .s. loci, & temporis, si vnus dicat vidisse rapientem aliena tali die, & tali loco, alter dicat, vidisse alio die, & alio loco, & isti testes fiunt singulares: si autem dissideant in circunstantijs remotis, vt quia vnus dicit fuisse tempus serenum, alius nubilosum, vel domum esse pictam, alter non, talis discordia testimonio non obest. quia ista à memoria facile labuntur, imo discordia in similibus facit testimonium credibilius, nam aliter ex condicto viderentur testimonium ferre. Idem dicendum est si vnus deponeret de certo loco & tempore, alter diceret de his non recordari.

Tertium est de quantitate testium, & dicit duos testes contestes omni exceptione maiores plene probare delictum ex illo Deut. 7. in ore duorum vel trium stat omne verbum, & ad maiorem certitudinem tres, qui tamen nec vllus illorum debet esse accusator aut denuntiator.

Postremum est, testém falsum deponentem peccare mortaliter, quia agit contra duo præcepta .s. Non periurabis, & non dices falsum testimonium contra fratrem tuum. Et etiam peccat dicendo mendacium, non tamen mortaliter necessario, nisi sit perniciosum.

De Reis.

CAPVT XII.

QVæstionem formauit S. Tho. 2. 2. quæst. 69. de iniustitia ex parte reorū: quæ ad duo capita reduci potest, primo an reus examinatus teneatur fateri delicta commissa. 2. quomodo possit se defendere. Et quoad primum distinguit, nam aut interrogatur reus secundum ordinem iuris, aut non: si sic, tenetur sub pœna peccati mortalis dicere veritatē, quia ex debito iustitiæ tenetur obedire Prælato in officio suo: sin minus, non tenetur, neque tamen debet dicere mendacium, quia hoc semper est malum. Interrogatur autem secundum ordinem iuris, quando & iudex est competens, & quando præcedit infamia contra reum, vel indicia manifesta, vel semiplena probatio, quo casu negans reus veritatem peccat contra dilectionem Dei, cuius est iudicium, & contra dilectionem proximi, tum ex parte iudicis cui negat quod debet, tum ex parte accusatoris, quem reddit mendacem, & dignum pœna talionis. Et Caietanus. vocatur infamia non frequens vox discolorum, sed vox proborum virorum, & sapientum. Vocantur autem indicia manifesta, quando sunt delicto proxima, & iudici nota per legitimas probationes, ac reo per copiam indiciorum. Et vocatur semiplena probatio, quando habetur vnus testis omni exceptione maior, qui non sit accusator, nec delator nec socius criminis.

In decla. cap. de solem. celeb. cap. dicitur. Si aliquis accusatur de crimine

occulto, quod scitur tantum ab accusante, & accusato, non poterit iudex eum interrogare, aliter peccaret grauiter, cum vsurpet potestatem quam non habet, quia occulta Deo relinquenda sunt, & interrogatus non tenetur delictum fateri. Si tamen præter accusantem, & accusatum haberentur vel infamia de eo crimine, vel manifesta indicia, posset interrogari, & teneretur fateri.

Quoad secundum caput, ita differit S. Tho. Aliud est veritatem tacere, aliud falsitatem dicere, primum licet, quando reus non iure examinatur, secũdum semper malum est. Ad id autem quod licitum est per licita, & non illicita procedendum est, ideo reus interrogatus non potest per illicita se defendere .s. per falsitatem, fraudes & calumnias. Et talis falsitas quamuis esset officiosa reo, esset tamen perniciosa in se, quia esset contra dilectionem Dei, & proximi.

At si reducamus doctrinam hanc ad praxim redditur difficilis. Demus vnum interrogari de crimine occulto, & nollet respondere, certè iudex iniquus cogat pœnis eum ad respondendum, & S.Tho. dicit reum eo casu posse declinare iudicium per appellationem. Religiosi vero quibus appellatio interdicta est vt dicetur, dicere debent. Probet accusator quod dicit, vel, Peto iustitiam, & similia. Qui tamen modus non constans est, quia ex eo percipiet iudex veram esse accusationem, cum apertè eam non neget. Soto in quæst. de ratione tegen. Existimat probabile esse, tali casu reum dicere posse sine mendacio, Nescio, hac intentione .s. nescio vt tenear vel velim dicere, quo sensu Christus Mar. 13. dicit. De illo die nemo hominũ scit neque filius hominis, nesciuit enim vt diceret. Verum iniquus iudex de quo est sermo, non quiescet sed dicet. Dic precise num occidisti, vel deliquisti. Adrianus vt refert idem Soto affirmat posse reum dicere, non occidi, .s. vt dicam. Contra quem arguit Soto, quia violentissimus esset sensus, si intenderet, non occidi vt dicam. Posset ergo reus postquam dixit, probet accusator, peto iustitiam, &c. subdere, dixi satis, confirmo quæ dixi, nil habeo quæ dicam, & similia. Quod si vexatur, patienter ferat. Admonet tandem reum sic negantem mendacium committere officiosum, cum supponatur iniuste examinari, nisi iuramentum interueniat.

Et sicut non licet dicere mendacium super delicto secreto, ita etiam non licet mentiri in defensionibus opponendo testibus exceptiones falsas, aut delicta secreta, quæ ipse solus nouit, quia calumniose se defenderet. Secus si opponeret crimina de quibus infamatus vel cõdemnatus existit, si tamen odium absit.

De appellationibus.

CAPVT XIII.

AVctoritate Apostolica tenore præsentium perpetua, & irrefragabili constitutione statuimus & ordinamus, &c. Quod nullus ex fratribus siue sororibus ordinis prædicatorum, &c. à

correctione quacumque seu ab aliquo Prælato quauis occasione appellare, aut contra eos querelam proponere, nisi prius coram Priore vel Prouinciali, seu Magistro ordinis, & successiue in generali capitulo causam vel querelam suam proposuerit verbo vel scriptis, possit aut debeat. *Cap. de Const. Bonifacij 9.*

Diffinitores capituli generalis habebunt plenariam potestatem super excessu Magistri ordinis corrigendo, vel de eo penitus remouendo. Ipsorum vero sententia, tam in his quam in alijs, inuiolabiliter obseruetur, ita quod à nemine ab illorum sententia liceat appellare, & si appellatum fuerit, friuola sit, & nulla appellatio. Appellationem enim in nostro ordine sub interminatione anathematis fieri inhibemus, cum non venerimus contendere, sed potius delicta corrigere.

Item ne delicta maneant impunita, & obedientia in nostro ordine per appellationes friuolas infringatur, statuimus quod quicumque frater nostri ordinis contra obedientiam appellare præsumpserit in futurum, nisi appellationi infra duos menses renuntiauerit, vel etiam infra annum prosequi non inceperit, aut ab incepta prosequutione destiterit, vel in ipsa succubuerit, adiudicatus carceri sit ipso facto, nec possit cum ipso ante annos duodecim dispensari, nisi per cap. generale. *Cap. de cap. generali.*

Leo X. confirmauit dictam Constitutionem Bonifacij IX. in priuilegio 8. his verbis.

Statutum, & ordinationem huiusmodi (s. Bonifacij IX.) ac omnia, & singula in eo contenta, auctoritate Apostolica motu proprio, &c. tenore præsentium approbamus & confirmamus, &c. Et pro potiori cautela omnia, & singula, etiam sub excommunicationis latæ sententiæ pœna eo ipso incurrenda statuimus, & ordinamus.

Bonifacius VIII. priuil. 3. statuit vt infra.

Neque volumus eisdem fratribus licere ab eisdem correctionibus, & punitionibus aliquatenus appellare, prouida deliberatione, & maturitate debita, seruatis.

Refertur in decla. de cap. generali Iulium 2. concessisse breue huiusmodi Magistro.

A fide dignis accepimus, quod nonnulli tui ordinis fratres ac moniales, vt debitam correctionem, & absolutionem ab officijs subterfugiant, ad cancellariam Auenionensem & ad alias curias Ecclesiasticas vel sæculares, à tuis, & aliorum Prælatorum ordinationibus appellare non erubescunt. Quocirca huiusmodi subterfugijs obuiare cupientes, fratribus ac monialibus dictis, ne appellationes interpositas prosequi, aut ab ordinationibus appellare, & iudicibus quascumque appellationes recipere aut illas cognoscere quoquo modo præsumant, sub excommunicationis pœna districtius inhibemus Irritum, &c. Non obstantibus, &c.

In cap. Romano 1589. Denuntiatur hoc decretum Sacræ Cong. Regul.

Quoniam nonnulli vagandi studio, siue dum imminentem commissorum criminum pœnam ex suis Constit. aut alias debitam sibi metuunt, falsa, & commentitia grauamina causari, non immediatè ad sui ordinis Superiores, s. à grauamine Prioris ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, & à Generali ad Protectorem, prout cuiusquè religionis Constit. disponitur, sed ad hanc Romanam curiam absque licentia fugiunt potiusquam recurrant, ex quo ordinum disciplina relaxatur, Prælati contemnuntur, & ipsi in dies audaciores euadunt, placuit sacræ Congr. ex ordine Sanctiss. statuere vt si quis regularium in posterum temere, leuiuè ex causa hanc almam vrbem, seu Curiam absque sui Superioris licentia & supradicta forma prætermissa adire præsumpserit, ad suos Superiores seuerius puniendus remittatur.

In decla. cap. de cap. generali habetur. Licet appellatio sit de iure naturali, tamen vnusquisque iuri suo potest renunciare, & eo ipso quod quis sponte profitetur secundum Constit. nostras, quæ appellationem prohibent, renuntiat iuri suo, sicut & iuri habendi proprium, aut ducendi vxorem, in quibus natura omnes liberos fecit, & ideo pœna imposita fuit appellantibus. Et S. Tho. 2. 2. q. 69. art. 3. dicit duplici de causa appellationes fieri, vel ex confidentia iustæ causæ, quando iniuste à iudice aggrauatur, & sic licita est appellatio, vel causa differendæ moræ ne contra eum iusta sententia proferatur, & hoc est calumniosè se defendere, quod illicitum est, quia iudici fit iniuria.

Romæ 1569. inter admonitiones ita habetur. Perturbationes ordinis quę excitari solent prætextu appellationis, qua præter dispositionem Constit. nostrarum & Constit. Bonifacij IX. ad sedem Apostolicam immediatè cōfugiunt tollere volentes, speciali auctoritate S. D. N. præcipimus in virtute S. Obedientiæ, & sub pœna priuationis vtriusque vocis, & officiorum, ac excommunicationis latæ sententiæ omnibus fratribus ac monialibus, ne audeant quauis de causa contra seriem nostrarum Constit. & literarum Bonifacij IX. immediatè, & non gradatim ad S. sedem, & multo minus ad alia tribunalia tam ecclesiastica quā sęcularia quoquo pacto appellare. Et idem Romæ ordinatur 1601. In particulari prohibentur appellationes contra absolutionem ab officijs. Vnde in cap. prædicto dicitur.

Appellans ab absolutione facta vel facienda ab officijs prioratus, vel prouincialatus, siue Vicariatus, etiam prætextu grauaminis, ipso facto sit absolutus ab illo officio. Volentes quod in istis ratio grauaminis tam proprij quam communis non habeat locum quo ad appellationem.

Et Iulius 2. id confirmat vt habetur lib. priuil. fol. 246. his verbis.

Cum appellationes religionis iugo, & statutis ordinis dissonent, supplicationibus inclinati auctoritate apostolica, &c. statuimus, vt si quis frater aut soror ab absolutione ab officio facta vel facienda appellauerit etiam prætextu grauaminis, &c. ipso facto ab officio pro quo appellauerit, sit absolutus vel absoluta.

Valleoleti 1605. dicitur. Quicumq; Prælati sui iudiciū recusauerit, seuerissime puniatur, & Prælati non debent se recusatos iudicare, sed cogant, vt delinquētes pœnitentiā impositā subeant, & interim Superiores moneant.

De Tortura reorum.

CAPVT XIIII.

DElinquentium tanta est malitia, vt omnem conatum adhibeant, ne iudices illorum delicta noscant, & ideo perquisiti audacter negant, vnde necesse fuit inuenire remedia ad eruendam veritatem de ore illorum, quæ tria sunt .s. iuramentum, sequestratio, & tortura. Deberent omnes simplici dicto credere, sed quia omnis homo mendax est, introductum fuit vt habitis indicijs contra reum iudices ei iuramentum præbeant, quo cogatur sub pœna peccati mortalis veritatem aperire. Loco autem iuramenti consueuerunt Prælati nostri formare præceptum de dicenda veritate verbis obligantibus ad mortale. Fundamentum habet hic modus in S. Tho 2.2.q. 33.art.7.ad vlt. vbi asserit, quod sicut iudex laicus vel ecclesiasticus potest iuramento veritatem exigere, ita religiosus Prælatus præcepto. Et in formulario ordinis traditur exemplar dicti præcepti, & subditur illud debere fieri in scriptis, & legi in principio examinis. Et in decla. cap. de Visit. notatur visitatores præcipere pro habenda veritate, nulla facta iuramēti mentione. Et quando præceptum non sufficit, possunt sententiam excommunicationis ferre. Meminerint tamen illius quod tradit Conc. Trid. sess. 25. de refor. cap. 3. hoc decreto.

In causis criminalibus, vbi executio realis vel personalis fieri potest, erit à censuris abstinēdum, vel si executioni locus esse facile non possit licebit iudici hoc spirituali gladio in delinquentes vti, si delicti qualitas, &c. id postulauerit.

Quando autem iuramento veritas haberi non potest, & vrgeant indicia grauia, & delictum sit enorme, deueniendum erit ad sequestrationem, quæ tria bona parit. 1. cum sit pœnalis mouet reum ad fatendum delictum, 2. impedit ne quærat quid deposuerint testes, vel eos subuertat. 3. retinet ne fugam arripiat. Et hi sunt qui dicuntur attestati ad differentiam destinatorum ad carceres per sententiam. Obseruetur in hoc quod affert Concil. Trident. session. 25. cap. 6. de reform. s.

In criminibus ex incontinentia prouenientibus, & in atrocioribus delictis vbi de fuga timetur, ne iudicium eludatur, & ideo opus sit personali detentione, possit Episcopus solus ad summariam informationem, & necessariam detentionem procedere seruato in reliquis ordine prædicto. In omnibus autem casibus ea habeatur ratio, vt iuxta qualitatem delicti ac personarum delinquentes in loco decenti teneantur.

Postremum remedium prædictis non sufficientibus est tortura, de qua in formulario cap. de iudicijs in ordine faciendis dicitur, quod præcedentibus indicijs possunt adhiberi tormenta corporalia qualia sunt abstinentię, disciplinæ, & huiusmodi donec fateantur. Et in decl. cap. de solemn. celeb. capituli dicitur. Si contra fratrem habētur testimonia sæcularium, non potest hic condemnari, potest tamen arctari, & ad quæstiones poni. Similiter si vnus accusatus à pluribus non contestibus, sed singularibus, non erit conuictus, sed poterit ad quæstiones poni.

Hæc au-

Hæc autem sunt indicia principaliora propter quæ reus torqueri potest præter nunc dicta. Primum, si reus vacillat in dictis, vel in substantia, vt cum primo fatetur delictum, postea negat, secus si primo negat, postea affirmat, vel in circunstantiis proximis, si modo vnam modo oppositam affert. Secundum est confessio extraiudicialis sufficienter probata. Tertium, testis vnus de visu omni exceptione maior cum infamia constante. Quartum, vnus testis similis cum indicio vehementi. Quintum plura indicia manifesta. Sextum, vnum indicium vehemens, & infamia. Hic vocatur indicium, illud factum cum quo vt plurimum stat delictum vt inuentio rei furto sublatæ, stare videtur cum furto.

De leui culpa.
CAPVT XV.

LEuis culpa est, si quis mox vt signum factum fuerit, non relictis omnibus cum matura festinatione differat se præparare, vt ad Ecclesiam ordinate, & composite quando debuerit, veniat. Si quis ad Gloria primi psalmi non affuerit. Si quis in choro male legendo vel cantando offendens non statim se coram omnibus humiliauerit. Si quis diuino non intentus officio, vagis oculis, & motu irreligioso leuitatem mentis ostenderit. Si quis in Ecclesia vel in dormitorio vel in cellis aliquid inquietudinis fecerit. Si quis in choro riserit, vel alios ridere fecerit. Si quis lectionem statuto tempore non præuiderit. Si quis aliud cantare vel legere præsumpserit, quam quod communis probat vsus. Si quis ad prædicationem vadens ociosa locutus fuerit.

Item leuis culpa est, si quis dissolute ridens cachinnis vel ludis dictis vel factis alios ad ridendum concitauerit. Si quis oculos vagos per plateas vel villas eundo ad vanitates frequẽter direxerit. Si quis in vigilia Annunciationis & Natiuitatis Domini in principio capituli per negligentiã non affuerit, vt proñũtiatis redẽptionis nostræ exordiis, corde, & corpore gratias agat Deo redẽptori. Si quis de via veniens eadẽ hora si fieri poterit, benedictionẽ accipere neglexerit, vel absq; ea plus vna nocte moraturus exierit. Si quis ad lectiones dormierit. Si quis temporibus statutis cum aliis lectionẽ auditurus non affuerit. Si quis libros interdictos legerit.

Item leuis culpa est si quis Ecclesiæ vel altaris ornamenta negligenter tractauerit. Si quis vestes suas aut libros loco statuto honestè non deposuerit, vel negligenter tractauerit. Si quis indumenta vel alia fratri concessa sine ipsius licentia per se acceperit. Si quis aliquid vtensilium fregerit, vel perdiderit. Si quis cibi vel potus

aliquid effuderit. Si liber in quo legendũ eſt, cuiuſcumq; negleƈtu defuerit. Si quis dixerit aliquid, vnde offendantur fratres, vel egerit. Si quis cibum vel potum abſq; benediƈtione ſumpſerit. Si quis in Conuentum hora qua debet venire diſtulerit. Si quis ad capitulum vel collationem non venerit, vel communi refeƈtioni non interfuerit. Si quis commune mandatum dimiſerit. Si quis clamans in proclamatione ſua iurgium fecerit. Si quis eum à quo proclamatus fuerit, eodem die quaſi vindicando clamare præſumpſerit.

Item leuis culpa eſt, ſi quis cum iuramento vt loquendo fieri ſolet; aliquid negauerit, vel affirmauerit. Si quis turpem ſermonem vel vaniloquium dixerit, vel quod grauius eſt in vſu habuerit. Si quis eorum qui officiis deputati ſunt, in aliquo negligens repertus fuerit, vt ſunt Priores in Conuentu cuſtodiendo, doƈtores in docendo, ſtudentes in ſtudendo, ſcriptores in ſcribendo, cantores in officiis ſuis, procuratores in exterioribus procurandis, veſtiarij in veſtibus prouidendis, & cuſtodiendis, infirmorum cuſtos in infirmis cuſtodiendis, & procurandis, & mortuis neceſſariis miniſtrandis, & cæteri in officiis ſuis vt iniunƈtum eſt eis. Clamatis vel proclamantibus ſe de ſupradiƈtis debetur pœnitentia ſecundum quod Prælato videbitur expedire.

Capitula iſta de leui, graui, & grauiori culpa edita fuerunt in principio ordinis quo tempore tranſgreſſiones inducebant culpam mortalem vel venialem. Poſt conſulentes Patres quieti ordinis ſtatuerunt illam Conſtit. prologo inſertam, .ſ. quod regula, & Conſtit. non obligant ad culpam, ſed ad pœnam, niſi &c. Remanſit tamen titulus his capitibus de culpa qui eſſe deberet de leui, graui, & grauiori pœna.

Veruntamen tranſgreſſiones in his capitibus contentæ dici poſſunt culpæ non eſſentialiter, ſed antecedenter, & conſecutiue. Antecedenter quidem ſi tranſgreſſiones fiunt ex negligentia, negleƈtus enim ſemper culpabilis eſt, ſecus ſi fiunt ex inaduertentia vel ex obliuione, vt docet S. Thom. 2.2. quęſt. 186. art. 9. Et ſi tranſgreſſiones fiunt ex leui negligentia erit culpa leuis, ſi ex graui grauis: Si ex malitia fiunt, erunt grauior vel grauiſſima culpa. Conſecutiuè vocantur iſtæ tranſgreſſiones culpæ, quia omittentes pœnam taxatam vel taxandam culpam non euadunt.

In iſtis capitibus continentur aliquæ tranſgreſſiones, quæ ſunt eſſentialiter culpæ ſaltem veniales, vt ſermo ocioſus, oculus vagus, riſus immoderatus, & ſimilia; & quædam mortales, vt dicere opprobrium, frangere ieiunia Eccleſiæ, &c. quæ duplicem pœnam inferunt, alteram quia lege diuina vetita ſunt, alteram ex vi Conſtit.

Nota in hoc capite dici leuem eſſe culpam legere libros interdiƈtos, quod intelligendum non eſt de libris interdiƈtis ab Eccleſia, quorum leƈtio

punitur à S. Officio, sed de libris interdictis cap. de studentibus vbi dicitur studentes, in libris gentilium, & philosophorum non debeuster dere, nec artes liberales addiscere.

Solet autem pro his transgressionibus imponi abstinentia à vino vel cibo, aut etiam psalmi vel orationes, seu disciplinæ plus minus, & eadem transgressio notatur in cap. de leui, & cap. de graui, vt in primo cap. dicitur. Si quis clamans iurgium fecerit. In altero dicitur. Si quis fratri opprobrium dixerit, vt prudens Prælatus discernat quæ conuicia graui vel leui pœna punienda sunt.

De graui culpa.

CAPVT XVI.

GRauis culpa est, si quis inhonestè in audientia sæcularium cum aliquo contenderit. Si frater cum fratre intus vel foris lites habuerit. Si quis alicui fratrum opprobrium dixerit. Si quis mendacium de industria dixisse deprehensus fuerit. Si quis silentium non tenere in consuetudinem duxerit. Si quis culpam suam vel alterius defenderit. Si quis in illum à quo clamatus est vel quemlibet alium maledicta seu verba inordinata, & irreligiosa malitiosè inuexisse deprehensus fuerit. Si quis fratri præteritam culpam pro qua satisfecit improperauerit.

Item grauis culpa est, si quis mala de fratribus, aut patribus, vel domibus suis, vel sororibus malitiose euomuerit, quæ testimonio fratrum suorum probare nequiuerit. Si quis absq; licentia, & magna necessitate equitauerit, vel carnes comederit, vel etiam in via pecuniam portauerit, vel portari procurauerit. Si quis procedens vbi feminæ sunt oculum fixerit, si tamen hoc in vsu habuerit, vel cum fœmina solus non de confessionibus vel honestis locutus fuerit. Si quis ieiunia ab Ecclesia instituta fregerit sine causa, & licentia. Si quis literas alicui miserit, vel sibi missas legerit, quas primitus suo Præsidenti non ostenderit, Magistris in Theol & Inquisitoribus, & Prædicatoribus generalibus dumtaxat exceptis.

Pro huiusmodi culpis, & his similibus veniam petentibus, & non proclamatis, tres correctiones in capitulo dentur, & tres dies in pane, & aqua ieiunent. Clamatis vero vna dies, & vna correctio superaddantur. Præter hæc autem, psalmi & veniæ, secundum quod discretioni rectoris visum fuerit, pro qualitate culparum iniungantur. Eadem pœna digni sunt qui postquam missi fuerint, sine licentia reuerti præsumpserint, vel vltra terminum sibi assignatum moram fecerint sine rationabili causa. Vel si quis pro victu, &

vestitu, vel qualibet alia re murmurauerit. Caueat autem quilibet frater ne proclamet aliquem in capitulo de crimine etiam de auditu, nisi ipsum crimen possit probare. Quod si accusatus negauerit, & accusans in probatione defecerit, pœna accusato debita puniatur.

De literis non scribendis.

CAPVT XVII.

SI quis literas alicui miserit, vel missas legerit, quas primitus Prçsidenti non ostenderit, Magistris in Theol. Inquisitoribus, & Prædicatoribus generalibus dumtaxat exceptis, puniatur pœna grauis culpæ.

Referuntur in declar. huius cap. multæ ordinationes, quibus prohibetur ne fratres literas etiam apertas, & memorialia scribant, vel mittant, aut missas aperiant, vel legant sine licentia Prælati, quibus mandatur ne in hoc alicui deferant, demptis exclusis. Et Venetiis 1592. mandatur vt nullus nisi ad Superiores literas scribat alias non, nisi prius visas, & subscriptas à proprio Prælato, neque missas recipiat, aut aperiat, nisi illas eidem legendas præsentauerit sub pœna carceris per mensem, exceptis vt supra. Et Bononiæ 1564. præcipitur sub præceoto formali, ne quis scribat per se vel per alium literas criminosas, vel de grauioribus negociis ad quoscumque intus vel extra ordinem sine proprij nominis appositione, & delinquentes pœna grauioris culpæ puniantur. Idem confirmatur Romæ 1580. & apponitur pœna excommunicationis. Quæ innouatur Romæ 1589. & extenditur ad scribentes libellos famosos contra quoscumque aut eos euulgantes. Et Prælatis mandatur sub præcepto vt transgressores excommunicatos denuntient, & grauiter puniant. Et Neap. 1600. mandatur vt Prælati inferiores super pœnis pro hoc inflictis dispensare nequeant.

Subscriptiones literarum communium, & consensus fratrum non fiant, nisi sint simul congregati in vno loco, & quilibet illorum sciat quæ in ipsis continentur, aliter nesciens contenta, & subscribens pœna grauioris culpæ plectatur, & inualida sint, quæ in contrarium fiunt. Et vnusquisque etiam Magistri in proprio nomine apponant nomen Fratris, vt traditur in decla. cap. de cap. generali, & Valleoleti 1605. Et qui literas pro gradibus obtinendis scribunt caueant ne falso referant se vel alium legisse, aut prædicasse sufficienter secundum Constit. quia hac via gradus obtinentes, ad eos non admittentur, ita enim statuitur Romæ 1601. Valleoleti 1605. Romæ 1508. & Parisiis 1611. Et mandato Clem. VIII. Romæ 1601. ordinatur, vt si qui tam temerarij fuerint, vt S. D. N. memorialia exhibere attentauerint, in quibus aliquod falsum contra fratres maxime Prælatos, contineatur, seuerissime puniantur. Quod & in cap. sequenti confirmatum fuit. Et Venetiis 1591. mandatur omnibus prouinciis, quatenus Procuratori ordinis expensas literarum soluant, vel easdem francas (vt vocant) transmittant.

De grauiori culpa inobedientium.

CAPVT XVIII.

CVlpa grauior eſt, ſi quis per contumaciam vel manifeſtam rebellionem, inobediens Prælato ſuo exſtiterit, vel cum eo intus vel foris proterue contendere auſus fuerit. Item ſi quis literas Magiſtri ordinis vel Prouincialium, aut eorum ſigilla falſificauerit, vel falſificatis ſcienter vſus fuerit, aut in Prælatum ſuum manus iniecerit temerè violentas, aut aliquod prædictorum fieri fecerit, carcerali cuſtodiæ deputetur.

Si qui per coniurationem vel conſpirationem vel malitioſam concordiam aduerſus Prælatos ſuos manifeſtè ſe erexerint, ſupradicto modo pœniteant, & de cœtero in omni vita ſua extremum locum teneant, & vocem in capitulo non habeant, neque eis vlla obedientia committatur, niſi per Magiſtrum ordinis vel Diffinitores fuerint reſtituti. Si qui tamen non malitioſe ſed in veritate habuerint aliquid, quod tolerari non debeat, nec deceat, prius eos inter ſe cum omni humilitate, & charitate admoneant. Quod ſi frequenter admoniti ſe corrigere neglexerint, Prouinciali aut Viſitatoribus ſignificent, vt cum ad viſitandum venerint, cauſa iudicetur, & Diffinitoribus capituli ſignificetur. Aliter ſubditi Prælatos ſuos infamare non præſumant.

Notentur hic ex decl. illa verba Conſt. ſ. Manifeſta rebellio eſt, quando ſubditus pertinaciter verba ſui Prælati contemnit, vt ſi Prælatus dicit, omnino volo vt facias hoc, & ſubditus dicit nolo facere, & tranſgreditur. Et S. Thom. 2. 2. q. 39. art. 1. ad 2. dicit tunc aliquem cum rebellione Prælato non obedire, quando pertinaciter eius præcepta contemnit, & iudicium eius ſubire recuſat. Proterua autem contentio eſt, improba, ſuperba, & peruerſa diſceptatio vel impugnatio verborum cum tumultu. Vnde proterue contendere eſt, verba Prælati verbis tumultuoſis vel clamoſis improbe, ſuperbe, & peruerſe impugnare. Si quis etiam præſumat dicere Priorẽ ſui Conuentus non eſſe Priorem, & ſe ſubtrahat ab eius obedientia, pœna grauioris culpæ puniatur, quod ſi aliquod dubium habeatur, expectetur declaratio Superioris. Idem dicendum eſt de his qui tranſgrediuntur præcepta Superiorum ſuorum. In cap. Veneto 1592. de obedientia religioſorum erga Prælatos dicitur. Ad obedientiam in ſubditis verſus Prælatos tuendam, & quatenus opus ſit complantandam, Prælati immediati cogant ſubditos ſuos obedire, in his ad quæ tenentur, pœnas que contumacibus infligant, nec eis eas remittere poſſint, ſed Magiſtro ordinis vel Prouincia-

ii referant. Multa de obedientia religiosorum supra traduntur, & parte 2. cap. de instructione nouitiorum quo ad obedientiam, & parte hac 4. de recurrentibus ad tribunalia extra ordinem, & de appellationibus.

De pœna mendicantium fauores ab extraneis.

CAPVT XIX.

CVlpa grauior est si quis procurauerit, quod ipse vel alius eximatur via non iuridica à potestate sui Prælati.

Si quis frater per se vel per alium, pro se vel pro alio, ordinationem de se vel alio factam, vel obedientiam sibi vel alij iniunctam, per quamcumque personam extra obedientiam ordinis constitutam: quocumque modo procurauerit reuocare, vel in aliqua prouincia vel Conuentu, aut officio siue studio generali poni, vel remanere, aut amoueri, vel cum personis extraneis commorari, ipso facto in pœnam incidat grauioris culpæ. *Cap. de Itinerantibus.*

De mendicantibus fauores per extraneos hæc notētur statuta Apostolica, Gregor. 13, hoc diploma promulgauit, quod habetur in cap. Romano 1589.

Dilectis filiis Magistro ordinis Prouincialibus, & aliis Prælatis ordinis Prædicatorum, &c. in virtute S. obedientiæ præcipimus, ne ad instantiam quarumcumque personarum tam laicarum quam ecclesiasticarum extra dictum ordinem cōstitutarum, etiam Cardinalatus honore, vel Regali, aut Imperiali, &c. excellentia fulgentium, &c. cuiuis religioso gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere audeant. Quinimo quoscumque fratres hac via per mendicatos fauores aliqua sibi procurantes, ad talia, & similia, ac maiora, auctoritate Apostolica inhabiles esse declaramus, nec à quouis rehabilitari posse mandamus, nisi per sedem Apostolicam.

Pro huius Const. obseruantia patres in dicto capitulo Romano admonent vt infra. quamobrem omnes Prælatos admonemus, vt scientes se non posse absque peccato mortali, quicquam ad instantiam vt supra concedere, abstineant ab his. Subditosque pariter monemus, vt considerantes hanc inhabilitatis pœnam, caueant ne aliquid hac via procurent. Idcirco ad huiusmodi abusus tollendos, in virtute Spiritus sancti, & S. obedientiæ sub formali præcepto, & pœna excommunicationis latæ sententiæ, hac vna pro trina canonica monitione præmissa præcipimus, ne quispiam directe vel indirecte, per se vel per alium, pro se vel pro aliis, apud personas extra ordinem nostrum constitutas, & ex nostro ordine non assumptas, gratiam aliquam vel pœnarum remissionem à Prælatis ordinis obtinendam procuret, nec ad hunc effectum munera sæcularibus spondeat, vel exhibeat.

Clemens 8. aliam promulgauit Constit. quam habemus denuntiatam Venetiis 1592. in qua confirmatur illa Gregorij, & decretum capituli per hæc verba.

Cum sicut accepimus ambigatur à quibusdam, quæ sub gratiarum vocabulo comprehendantur. Nos &c. literarum Gregorij 13. ac decreti capituli generalis, quod incipit. Quamobrem omnes Prælatos admonemus, &c. tenores pro expressis habentes, motu proprio, ex certa scientia, de Apostolicæ potestatis plenitudine, literas, & decretum huiusmodi, ac in eis contenta tenore præsentium perpetuo confirmamus & perpetuæ firmitatis robur adiicimus, &c. Et dictam Gregorij prohibitionem extendimus ad quoscumque gradus, honores, dignitates, officia, administrationes, functiones, & prælaturas ordinis. Et propterea mandamus Magistro, & aliis Prælatis, ne aliquid præmissorum ad instantiam personarum præfatarum quouis modo concedere audeant. Religiosi vero nedum procurare, sed nec etiam sponte oblatum recipere, neque ad hunc effectum munera impendere præsumant. Statuentes omnes delinquentes nulla monitione præcedente, absque processu desuper habendo, sententias & pœnas præmissas irremißibiliter incurrere. Et ad eos de prædictis conuincendos, solæ instantiæ, & preces, etiam ore tenus factæ, plenam & sufficientem fidem in iudicio & extra faciant. Sicque ab omnibus iudicari debere mandamus, &c. Sublatâ eis aliter iudicandi potestate, &c. Non obstantibus, &c.

Paulus V. in sua Constitut. supradicta confirmauit vt habetur Romæ 1608. hoc modo.

Motu proprio ex certa scientia, de plenitudine potestatis Apostolicæ dictorum Gregorij & Clementis literas, & in eis contenta eorumque tenores, præsentibus pro expreßis habentes, tenore præsentium perpetuò confirmamus, ac illis perpetuæ firmitatis robur adiicimus, &c. Non obstantibus, &c.

Antea Romæ 1571. ordinatum fuerat ad occurrendum ambitioni quorumdam, ne fratres ad sæculares cuiuscumque dignitatis confugiant, ad euadendum pœnas, aut quicquid aliud sibi iniunctum, vel ad obtinendum quemcumque gradum, & contrafacientes declarantur inhabiles ad quascumque dignitates ordinis, nisi per Magistrum ordinis restituantur. Et Prælatis mandatur, vt delinquentes condemnent ad pœnas grauioris culpæ. Et qui huiusmodi transgressores cognoscunt, teneantur, superioribus notificare vt tantum dedecus ab ordine tollatur. Et in decla. cap. de Itinerantibus idem dicitur de his qui procurant, vt aliquis de prouincia vel de suo Conuentu expellatur.

De aliis delictis grauioris culpæ.

CAPVT XX.

CVlpa grauior est, si quis percussor fuerit. Si quis crimen capitale .i. pœna mortis in sæculo puniendum, commiserit. Si quis rem sibi collatam receperit, de his quæ prohibentur recipi. Si quis rem sibi collatam celauerit, quem B. Augustinus furti iudicio dicit esse condemnandum.

De percussoribus ex Const. habetur differentia inter percussorem simplicem, & eum qui manus violentas in Prælatum iniecerit, vel quemcumque lethaliter, vel grauiter, aut atrociter percusserit, nam percussoribus imponenda est pœna grauioris culpæ, aliis vero vt in hoc capitulo,

dicitur pœna carceris infligenda eſt. Hic ergo de percutiente leuiter agendum eſt. Et pro notitia talis percuſſionis obſeruetur quod tradit Caietanus in ſummula verbo, Excommunicatio 10. quod percuſſio quandoque leuis eſt quandoque grauis, quandoque enormis. Et quamuis ad iudicem primo pertineat declarare qualitates iſtas, afferri tamen ſolent quædam regulæ ad eas diſcernendas. Vocatur ergo enormis percuſſio ex his, 1. ex magnitudine facti, vt quando peruenitur ad mutilationem mẽbrorum, vel effuſionẽ ſanguinis copioſã vel graue vulnus. 2. ex perſona læſa, vt ſi percuteretur Epiſc. vel Abbas, vel apud nos Magiſter ordinis, vel Prouincialis, aut Prior. 3. ex percutiente, vt ſi laicus Sacerdotem inuaderet. 4. ex ſcandalo, vt ſi Monachus clericum ſæcularem offenderet. 5. ex loco, vt ſi percuſſio fieret in platea vel coram Prælato. 6. ex qualitate vulneris, vt ſi fiat in facie. 7. ex irreuerentia, vt ſi fieret in Eccleſia, ſeu in ſacerdotem ſacris veſtibus ornatum. 8. ex tempore, vt ſi ageretur in die feſtiuo ſolemni.

Dicitur autem percuſſio leuis à Confectio quæ fit manu, palma, pugno, vel virga, cum fractione dentium, depillatione capillorum, & cum parua effuſione ſanguinis ſiue ex ore, ſiue ex naſo, ita tamen quod quãuis leuis dicatur, interueniat peccatum mortale. Ex extremis autem leui. ſ. & enormi poterit quiſque facile iudicare quæ mediæ ſint, & graues. De abſolutione à peccato, & cenſura iniectionis manus in clericum dictum eſt ſupra, cap. de Confeſſariis.

Crimen autem de quo Conſt. loquitur, nedum illud eſt quod punitur morte, ſed etiam quod eſt peccatum mortale, & infamiam inducit, vt falſum teſtimonium, ebrietas continua, ſacrilegium, & ſimilia.

De proprietatis vitio tria connumerantur delicta. ſ. recipere id quod vetitum eſt recipi, celare Prælato id quod habetur, & rapere alteri conceſſa. Prohibentur autem recipi cap. de Itinerantibus munuſcula à mulieribus. Et ex Conſt. Clemen. 8. interdicitur omnis munerum largitio, etiam inter. religioſos. Viſitatoribus inſuper prohibetur huiuſmodi receptio, de quibus ſupra capitibus ſuis. Quid autem ſit celare res Prælato, dictum eſt ſupra cum ageretur de inſtructione nouitiorum circa votum paupertatis. Et de furto tractabitur infra cap. de delictis puniendis pœna carceris, quæ furibus imponenda eſt.

De aliis delictis ſimilibus ſparſis in Conſtit.

CAPVT XXI.

NOn fiant, nec fieri permittantur in domibus noſtris curioſitates, notabiles, aut ſuperfluitates in ſculpturis, picturis, pauimentis, & aliis ſimilibus, quæ paupertatem deformant. Et ſi quis contrafecerit, pœnis griori culpæ debitis ſubiaceat.

Cap. de domibus conſtruendis.

Si quis in priuato Summum Pontificem diffamauerit, vel ipſius proceſſus & facta, vel irreuerentiam notabilem fecerit, poſtquam iudicialiter conſtiterit, pœna grauioris culpæ puniatur.

Cap. de certis detrac. vit. Eandem

Eandem pœnam incurrant Præsidentes, & fratres qui cuilibet priuilegio ordini concesso, absque generalis capituli assensu renuntiauerit, sine cuius assensu renuntiatio nullius sit roboris, & momenti. *Ibidem.*

Similem pœnam incurrant omnes fratres etiam Præsidentes, qui sine causa vrgenti, & legitima litigauerint, aut appellauerint contra Diœcesanos quoscumque. *Ibidem.*

Idem fiat de falso accusatore, vel teste legitime conuicto, iudicialiter confesso in materia prædicta. Prælati vero qui in his corrigendis inuenti fuerint negligentes à suis officiis absoluantur. *Ibidem.*

Nullus fratrum etiam Prior recipiat depositum cuiuscumque nisi in communi deposito Conuentus. Contrarium autem faciens incurrat pœnā grauioris culpę *Ca. de nouitiis, & eorū instruct.*

Mandamus sub pœna absolutionis ab officio, necnon & grauioris culpæ Prælatis, vt quando vocatus fuerit nouitius ad terminum suæ professionis suscipiendum, expresse protestentur eidem, quod professio obligabit eum ad tria vota secundum regulam B. August. & institutiones fratrum prædicatorum, & non secundum quod hodie hic vel ibi seruatur. *Ibidem*

Ex decl. huius cap. habentur hæc delicta prohibita sub pœna grauioris culpæ. Quicumque inducit per se vel per alium aliquem ad eligendum hūc vel illum in Prælatum vel officialem ordinis. Qui suaserit alicui fugam à carceribus, aut quomodolibet ad id auxilium præstiterit, frangens vero carcerem carceri mancipandus est. Procurans amotionem Prouincialis ab officio suo, vel Visitatorem contra eum impetrans, nisi ad id facultatem habeat à maiori parte Priorum illius prouinciæ. Subscribens literas communes quas prius non vidit, & legit. Qui Conuentum sine licentia Superioris, etiam cum socio exierit. Qui detraxerit Prælatis Ecclesiarum, aut lites cum eis habuerit, vel laicos ab eorum Ecclesiis auerterit.

Ex actis capitulorum generalium. Bononiæ 1564. sub hac pœna prohibetur, ne aliquis prædicet extra terminos suæ prouinciæ vel Conuentus, tam in nostris quam in alienis Ecclesiis, sine debita licentia. Ne quis literas criminosas scribat per se vel per alium cuicumque sine proprij nominis subscriptione. Romæ 1569. Ne aliquis prædicet etiam in villulis, nisi theologiam audierit ad minus per duos annos. Ne quis ad monasteria monialium nisi missus, Romæ 1571. Ne quis ad sæculares cōfugiat pro obtinendis gratiis, vel remittendis pœnis. Romæ 1580. de quis detrahat fratri suo, etiam si vera dicat. Ne patres fauorem præstēt iuuenibus temerariis, & inobedientibus. Romæ 1583. ne quis munuscula à monialibus recipiat, vel eis mittat. Romæ 1589. Vt Confessarij monialium missarum eleemosynas ac numerum earum infra vnius diei spacium Prælatis suis manifestent. Vene-

netiis 1592. Ne quis apud se originalia vel copias processuum retineat, qui in communi archiuio prouinciæ seruari debent. Valentiæ 1596. Ne fratres, & moniales ante vnam diem electionis de ea tractent. Parisiis 1511. Ne Lectores, & Prædicatores in suis lectionibus, disputationibus, cōclusionibus, & compositionibus recedant nedum à sententia, verum neque à proprietate verborum S. Thomæ.

Importunum autem esset adunare ea quæ Prælatis interdicuntur sub pœna absolutionis vel suspensionis ab officio, pro quibus satis si id quod traditur cap. de cer detract. vit. s. Prælatos qui in corrigendis transgressoribus fuerint negligentes, à suis officiis absolui debere.

De pœnis grauioris culpæ.

CAPVT XXII.

SI quis de crimine grauioris culpæ proclamatus conuictus fuerit, sponte surgens veniam petat, & sui sceleris immanitatem lamentabiliter proferat, & denudatus, vt dignam recipiat suis meritis sententiam, vapulet quantum placuerit Prælato, & sit omnium nouissimus in Conuentu, vt qui culpam perpetrando non erubuit membrum diaboli fieri ad tēpus (vt resipiscat) sequestretur à consortio ouium Christi. In refectorio quoque ad communem mensam non sedebit cum aliis, sed in medio refectorij super nudam terram comedet, & prouidebitur ei seorsum panis grossior, & potus aquæ, nec reliquiæ prandij sui cū aliis misceantur, vt cognoscat se ita sequestratum à consortio aliorum, quod priuetur, (nisi per pœnitentiam redeat) consortio Angelorum. Ad canonicas horas, & gratias post comestionē, ante ostium Ecclesiæ trāseuntibus fratribus prostratus iaceat, dum intrant, & exeunt. Nullus autem audeat se illi coniungere, vel aliquid mandare.

Prælatus tamen ne in desperationem labi possit, mittat ad eum qui est in tali pœna seniores, qui cōmoneant eum ad pœnitentiam, prouocent ad patientiam, foueant per cōpassionē, hortentur ad satisfactionē, adiuuent per suam intercessionem, si viderint in eo humilitatem cordis, quibus etiam suffragetur totus Conuentus. Nec renuat Prælatus cum eo facere misericordiam. Et si videbitur ei, denuo vapulet ad pedes singulorum, primo Prælati deinde vtriusque lateris sessorum.

Talis quamdiù est in hac pœnitentia, non communicet, nec veniat ad osculum pacis. Si Prædicator est prædicationis offi-

cium non exerceat,non notetur ad aliquod officium in Ecclesia,nec ei vlla committatur obedientia , nec vocem habeat nisi in sui accusatione ante plenariam satisfactionem, vel donec per Magistrum ordinis,vel Diffinitores capituli generalis,aut prouincialis fuerit restitutus. Si fuerit sacerdos vel diaconus his officiis non fungatur,nisi postmodũ religiose conuersatus fuerit.

Conuictus de crimine dicitur aliquis, quando habet contra se legitimos testes, aut quando iudicialiter illud fatetur in loco iudicij,vt in capitulo vel Diffinitorio , vel in loco vbi sunt consiliarij congregati, dato etiam quod confiteatur coactus per excommunicationem , vel per inclusionem, & disciplinas. Oportet tamen processum in scriptis redigere, per tradita in prologo Constit. vbi dicitur,nullum ad has pœnas debere damnari,nisi confessum vel conuictum,& in scriptis.

Condemnati ad huiusmodi pœnas ita debent in terra comedere,vt super nudam terram sedeant,& ante eos ponatur asser immediatè super terram super quo ponatur tantũ panis,& aqua. Qui vero ob fractionem silentij,vel alios defectus in terra sedent,debent habere formam ligneam,super quam sedeant, & aliam super quam ponantur cibaria, quæ etiam aliis ministrantur,quæ pœna in prandio tantum,& non in cæna persoluatur.

Non renuat Prælatus misericordiam facere cum sic condemnatis in pœnis positiuis.s. sedendi in terra, prosternendi se ante pedes fratrum,disciplinas suscipiendi,orationes dicendi,ieiunandi,&c. cum cõsilio discretorum, non tamen poterit eis remittere pœnas priuatiuas.s. vocis, loci,officiorum, &c.quarum remissio pertinet ad Magistrum ordinis,vel Diffinitores capituli generalis, vel prouincialis. Restituuntur autem ad gratias ordinis altero duorum modorum,vel per completam satisfactionem,vt si vnus condẽnetur per annum ad has pœnas, eo completo dicetur satisfecisse, vel per gratiosam remissionem Prælatorum infra tempus sibi assignatum,eo modo, quo etiam vnus dicitur soluisse debitum,vel quia soluit quod debebat, vel quia à creditore sibi debitum fuit remissum. Antiqua constitutio habebat hos condemnatos non esse liberos à pœnis, quousque satisfecissent plenariè,& fuissent per Superiores restituti. Nunc autem copulatiua in disiunctiuam mutata est,& legitur, vel donec fuissent per superiores restituti. Condemnatus ad has pœnas in vna prouincia, non potest remissionem consequi in alia,vt habetur in decla.cap. de Itinerantibus. Quæ dicta intelliguntur quando iuridice proceditur. Quod si causa secreto agatur,Prælatus poterit in omnibus dispensare.

Valentiæ 1596. declaratum fuit, pœnas priuatiuas in Constit. taxatas ipso facto incurrendas, sola facti declaratione incurri, & iudicem in sententia ferenda, non posse eas minuere. Romæ 1589. statuitur vt condemnati ad dictas pœnas non assignentur nisi in magnis conuentibus in quibus pœnas sibi impositas adimpleant,& in obseruantia regulari retineantur. Idem traditur Romę 1608. de omnibus discolis & irreligiosis. Auctoritate etiam Apostolica Romæ 1589. statuitur,vt huiusmodi condemnati, & qui in posterũ

condemnabuntur, & ad prælaturas, & ad alios gradus non assumātur, nisi forte post multos annos ex ante acta vita mores in melius commutauerint, vt digni aliqua gratia iudicentur. Ad Prælaturas tamē de facili admitti non debent.

De pœnis accedentium ad monasteria monialium.

CAPVT XXIII.

IN cap. Romano 1569. & 1571. & Barchi. 1574. ordinatum reperitur. Ad monasteria monialium nostri ordinis nullus accedat sub pœna grauioris culpæ per mensem pro prima vice, & pro secūda, & vlterius, ad arbitrium Prelati, exceptis Præsidentibus, Confessoribus ordinariis, & visitatoribus. Quod si alicui opus sit aliquando ad ea accedere petat licentiam à Prælato toties quoties, qui eam concedere nō possit nisi cognita vrgenti, & necessaria causa inscriptis exprimenda, accedente etiam assensu patrum à consiliis per suffragia secreta, ita vt tres patres ex quatuor consentiant. Et Romæ 1580. strictius ordinatur. Ac tollenda scandalorum, & peccatorum multorum seminaria, volumus omnes amicitias fratrum cum monialibus tam nostri quam alterius ordinis esse abolitas, & ne in posterum contrahantur, mādamus sub pœna grauioris culpæ ipso facto incurrenda, ne quis accedere possit ad earum monasteria, nec litteras, aut munuscula per se vel per interpositas personas mittere, vel missa recipere audeat. Et si aliquis causa prædicationis vel missarum missus fuerit, cum eis non loquatur, reuocantes omnes licentias etiam à Magistris ordinis concessas: exceptis Prælatis, & Confessariis illarum, & consanguineis vsque ad secundum gradum inclusiuè, quibus raro licentia concedi possit, vt cum eis solis loquantur.

Romæ 1583. editæ fuerunt quædam ordinationes circa moniales, quæ impressæ habentur separatæ ab actis illius capituli, quæ sunt. Ad monasteria monialium nullus accedat, neque accedendi licentia concedatur, nisi in causis necessariis, & consanguineis in primo vel secundo gradu, & hoc raro; aliter sententiam excommunicationis ipso facto accedens incurrat, & si deliquerit vt populo scandalo sit, iuxta decretum Conc. Trid. sess. 25. ca. 14. instante Episcopo puniatur. Prælatis autem, & Confessariis loqui licebit de necessariis tantum, & si excesserint, Prælati ab officiis absoluantur, & Confessarij grauioris culpæ pœna puniantur. Nemo literas, nuntios, aut schedulas ad eas mittat nec ab eis recipiat, exceptis prænominatis, quod si necessitas vel vtilitas monasterij id requirat, non alteri mittantur quam Prælato aut confessario, vel præfectæ monialium. Munuscula nullo modo mittantur, aut recipiantur; non tamen prohibentur eleemosynæ pro communitate, & infirmis. Nec liceat alicui fratri indumenta, pannos, aut alia quęcūque conficienda, sarcienda, aut abluenda mittere sub pœna amissionis rerū, & aliis Superiori arbitrariis pœnis. Quod si aliquid erit in quo moniales operari debeant, illud de licentia Superioris Priorissæ, tradatur moniali, cui sibi videbitur cōsignandū. Cōfessores monialiū pro capellanis inseruiāt, nec alij adhibeātur, nisi vbi capellaniæ fuerint institutæ, quod si alij

adierint pro missis, non liceat cum monialibus loqui sub pœna in prima ordinatione constituta. Postremo exiit decretum hoc à sacra Congreg. regularium.

Illustriss. DD. Cardinales, &c. expresso mandato sanctiss. D.N. Sixti V. viuæ vocis oraculo facto, decreuerunt, nulli religioso cuiuscumq; ordinis, status, & cõditionis, ac dignitatis existat, Superiorib. Cõfessariis ordinariis & extraordinariis, ac Visitatorib. exceptis, licere absque licentia eiusdem sacræ Congrega. accedere ad monasteria monialium, tam sui quam alterius ordinis ad colloquendũ cum eis. Quod si aliquẽ ad prædicandum, vel celebrandum missam, mitti contigerit, prohibuerunt ne vllo quæsito colore moniales, aut alias personas intra clausuram degentes alloqui possit: Confessariis autem interdixerunt, ne in domibus monasterio earum contiguis pernoctent, aut alios pernoctare faciant, aut secum retineant, neuè extra tempora generalium confessionum vllo modo comedant. Eo vero tempore comestionem diurnam accipere vix permittitur, & tunc cum sua habitatio à monasterio nimium distat. Quæ omnia sub pœna priuationis officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrenda & aliis pœnis dictæ Congregat. arbitrariis infligendis preceperunt inuiolabiliter obseruari.

Romæ verò 1601. inter ordinationes monialium traditur. Huius decreti Congreg. Episcopi sunt executores, & contra transgressores procedere possunt, & debent, dummodo prius admoneant Superiores, & ipsi negligentes extiterint. Si autem in flagranti crimine regulares inuenti fuerint, possunt Ordinarij illos carcerare, & tenentur illos suis Superioribus tradere, infra tempus ab eis præfigendum puniendos, qui de punitione eos reddere debent certiores, iuxta decretum Concil. Trident.

De delictis pœna carceris puniendis.

CAPVT XXIV.

TVnc pœna sequestrationis tantum locum habet, quando propter peccatum mortale ad pœnam grauioris culpæ quis damnatur.

Si quis autem (quod Deus auertat) in peccatum carnis lapsus fuerit, aut furtum commiserit, quod sit notabile iudicio discretorum, vel literas Magistri ordinis vel Priorum Prouincialium, seu eorum sigilla falsificauerit, vel falsificatis scienter vsus fuerit, aut in Prælatum suum manus iniecerit temere violentas, aut quemcumque lethaliter vel grauiter, & atrociter percusserit, aut infra septa Monasterij super se arma inuasiua portare prę sumpserit, aut aliquod prædictorum fieri fecerit aut ad taxillos luserit, carcerali custodiæ mancipetur.

Si quis etiam alteri fratri ordinis, vel ipsi ordini crimen falsò imposuerit propter quod crimen secundum nostrarum seriem Constitut. frater aliquis carcerem mereretur, aut crimina quæcumque huiusmodi fratrum sæcularibus personis, & extra obe-

dientiam nostri ordinis constitutis reuelauerit, vnde fratri, vel ordini infamia vel damna fuerint subsecuta, modo consimili carceri mancipetur. Et nolumus quod huiusmodi ordinis destructores possint nisi per Magistrum ordinis vel generale capitulum liberari. Idem dicimus de fratribus qui inuenti fuerint ad taxillos lusisse, aut in sententiam excommunicationis à quocumque iudice nostri ordinis rite latam scienter incidisse, quos etiam pœnæ carceris volumus subiacere.

Statuimus quod si quis nefandum crimen concubitus contra naturam, homicidij, vel propinati (etiam effectu non secuto) veneni commiserit, perpetuo carceri sit addictus, à quo nec per Magistrum ordinis, nec per capitulum generale possit ante annos viginti liberari, & nihilominus aliis pœnis puniatur secundum Prælati discretionem. *Cap. de grauiori culpa.*

Quicumque in publica prædicatione, vel in communi coram sęcularium multitudine vllo tempore Summum Pontificem diffamauerit, vel eius processus, & facta: vel irreuerentiam notabilem fecerit; carcerali custodiæ mancipetur, nec inde liberetur nisi per capitulum generale, & cogatur si commode fieri poterit, in publico reuocare.

Item quicumque in nostro ordine inuenti fuerint singularem vitam quocumque modo vitiosam ducentes, & contra communem modum viuendi diù ab ordine approbatum, primo moneantur, & si admoniti correcti non fuerint, separentur, & in diuersis Conuentibus ponãtur. Et si in malo persistant, per Prouincialem, vel per prouinciale capitulum carcerali custodiæ mancipentur.

Item quicumque crimen commiserit, prò quo in sęculo pœna mortis deberet puniri, in carcerem retrudatur pœnis aliis macerandus ibidem plus, & minus secundum delicti, & personæ qualitatem, & circumstantias aggrauantes, & diminuentes, & nisi per generalę capitulum liberari è carcere non possit. Quod si secundo reciderit carceri pęrpetuo mancipetur. *Cap. de certis detract. & fin. vit.*

Statuimus vt quicumque contra obedientiam appellare præsumpserit in futurum, nisi ipsi appellationi infra duos menses renuntiauerit, vel etiam infra annum prosequi non inceperit, aut ab incepta prosecutione destiterit vel in ipsa succubuerit, adiudicatus carceri sit ipso facto, nec possit cũ ipso nisi per capitulum

generale ante annos duodecim dispensari. *Cap. de cap. generali.*

Qui sine licentia ordinis ordinatus fuerit, ipso facto sit additus carceri ad minus per quatuor menses,& non permittatur exequi ordines, nisi de licentia Magistri ordinis. *Cap. de Apostatis.*

Hæc omnia delicta suis capitibus notata sunt. Scire tamen oportet, qui sint illi qui in Constitut. dicuntur singularem ducere vitam, quos dicit carceri esse mancipandos, si moniti non resipuerint, & in declar. notantur .s. Qui mercaturas exercent. Qui in arte alchymiæ student,& operantur. Qui sine socio per ciuitates discurrunt. Qui concubinas tenent. Qui monasteria sine licentia intrant. Qui habitum religionis non deferunt, vel occultant. Qui venationibus,& aliis exercitiis religiosis prohibitis frequentissime vacāt. Qui ad chartas, & taxillos ludunt. Quibus addo id quod habetur cap. Clerici 2. De vita,& hones. cle. Ad aleas & taxillos clerici non ludant, nec huiusmodi ludis intersint.

Alia delicta carcere punienda ex actis capitulorum possunt colligi. In decla. cap. de grauiss. culpa habetur. Si qui iudicio discretorum sine graui periculo vel scandalo in communi tolerari non possunt, & communitati nocent, nec alij possunt eorum malos mores sustinere, in carcere tradantur. Romæ 1580. eadem pœna digni censentur qui de Superioribus suis crimina, quæ probare non possunt, euulgant. Venetiis 1592. Qui literas scribunt, præterquam ad Superiores, vel recipiunt, aut aperiunt sine licentia Superiorum, per mensem. Qui ad monasteria monialium sine licentia accedunt, per semestre. Valentiæ 1596. Qui repertus fuerit summam pecuniarum per notabile tempus debere extra ordinem, vel de quo sæculares conquerantur, quousque satisfecerit. Quod & Romæ 1601. confirmatur, & Valleoleti 1605. Vbi additur eadem pœna carceris esse plectendos, qui cum sæcularibus debita contrahunt sine licentia. In pluribus capitulis statutum fuit, vt Itinerantes sine licentia, non recipiantur nisi in carceribus, & fugitiui ac apostatæ ad carceres deducantur. De his qui aliquando ad carceres per sententiam condemnati fuerunt dicit Constit. cap. de apostatis, quod non prædicent, nec confessiones audiant, nec ad aliquam electionem admittantur, nisi fuerint restituti. Et restitutio non fiat ante tres annos ad minus. Et si fuerit prædicator generalis dicto officio non fungatur quicūq; ille sit, nec possit habere officia prioratus, supprioratus, vicariatus, vel lectoratus, nec possit fieri Diffinitor aut elector Magistri ordinis sine dispensatione. Et Bononiæ 1564. de his qui hæresim abiurant de vehementi dicitur quod toto tempore vitæ suæ permittantur deflere humiliter peccata sua, nec promoueantur ad quoscumque gradus.

Et Neap. 1600. declaratur expensas quas fieri contigerit, & pro captura fratrum, & pro fratrum carceratione à primo die detentionis vsque ad diem eductionis solui debere à Conuentibus quorum sunt filij, quod, & ante habetur in decl. cap. de apost. Et in decl. cap. de grauiori culpa hæc habentur, Prouinciales procurent vt in omnibus Conuentibus, suæ prouinciæ sint firmi,& fortes carceres.& Romæ 1569. imponitur Prioribus Conuen-

tuum vt infra sex menses executioni mandent prædictam ordinationem, stabilientes eos cum sera, pessulo, & claue, firmis, & fortibus, aliter absoluãtur ab officio. Suadens vero fratri fugam à carceribus pœnæ grauioris culpæ subiaceat per decem dies, frãgens vero serã sit carceri addictus per tres menses. Qui autẽ aliquẽ ex carcere extraxerit, aut carcerato aliquod instrumentum ad frangendum carcerem ministrauerit per se vel per alium, carceri mancipetur. Qui vero operam efficacem dederit ad extrahendum aliquem de carceribus, ipso facto sit excommunicatus, & pœnis grauioris culpæ subiaceat. Et caueant Priores ne proprio iudicio sine consilio discretorum incarcerent fratres, quos si culpabiles repererint, non extrahant sine licentia Prouincialis, nec carceratos expolient rebus suis, sed eas conseruent, vt eisdem, aut Conuentibus restituantur.

Notabile est quod tradit S. Tho. 2:2. q. 65. art. 3. .s. Secundum ordinem iustitiæ homo potest carcerari, vel pro pœna delictorum suorum, vel pro cautela ad euitandum aliquod malum. Cuius ratio est, quia tria bona sunt in homine, quibus ob crimina iuste potest priuari, .s. delectatio sensuum, qua homo priuatur per verberationem disciplinas, & abstinentias, liber vsus membrorum, quo priuatur per carcerationem, & substantia corporis, qua priuatur per mutilationem, & mortem. Non licet tamen hæc mala inferre sine debito ordine iustitiæ.

De grauißima culpa, & pœna expulsionis.
CAPVT XXV.

GRauissima culpa est incorrigibilitas illius qui nec culpas timet admittere, & pœnas recusat ferre. Talis de consilio discretorum carcerali custodiæ mancipetur. Et ibidem secundum exigentiam culparum iuxta discretionem Prælati, ieiuniis, & abstinentiis puniatur, vel secũdum regulam Patris nostri Augustini si magis expediens iudicatur exutus habitu ordinis de ordine nostro expellatur, per Magistrum ordinis vel capitulum prouinciale. Quod tamen mature fiat, ita vt appareant gesta cum toto processu, & sententia in scriptis, & cum debitis subscriptionibus, & sigillis. Si tamen vsque ad illam horam sani capitis, & integri sensus extiterit. Nullus autem cum habitu ab ordine expellatur.

Incorrigibiles qui hac pœna plectendi sunt, illi soli vocari debent, qui ex descriptionibus diuersis incorrigibilitatis notantur. Ex Const. vocantur incorrigibiles, qui culpas committere non timent, & qui pœnas impositas ferre recusant, & qui sæpius puniti non proficiunt. S. Tho. 2.2. q. 186. art. 10. ad 3. vocat incorrigibiles eos, qui ad hoc perueniũt, vt non ex fragilitate vel ignorãtia sed ex contẽptu peccent, nam hi sunt, qui difficulter surgunt iuxta illud Hier. Confregisti iugum meum, dirupisti vincula mea, dixisti non seruiã. Siluester verbo, Incorrigibilitas, distinguit dicens, Incorrigibilis vocatur, qui corrigi non potest, quod dupliciter accidit: simpliciter, quomodo

damnati sunt incorrigibiles, quia de delictis suis pœnitere non possunt, cum in malo obstinati sint, & hoc modo in hac vita nullus incorrigibilis est. Secundum quid dicitur incorrigibilis, qui cum difficultate ob prauam consuetudinem corrigitur. Quorum quidam tales sunt de facto, qui longo tempore in peccatis perseuerant: quidam verò tales sunt de iure qui .s. à iudice tales reputantur, quia ei parere nolunt in extremo iurisdictionis suæ .i. in sententia, qui verò obsistunt ei in principio, vt in citatione, contumaces vocantur. Et dicitur etiam talis, qui post condemnationem ad idem vel simile aut peius crimen redit. In decla. huius cap. nuncupantur tales, qui apertè corrigi, capi vel detineri non possunt, & qui recusant pœnas inflictas subire. Hi autem sunt, qui ex Constit. habitu exuti ab ordine expelli possunt. Et Const. Apostolicæ quædā tradunt de eiectis à religione propter quæ supponūt aliquos posse expelli. Inno. IV. in suo priuil. 26. de eiectis disponit ita.

Paci, & tranquillitati vestræ prouidere volentes, vobis (Mag. ord. & Prioribus,) de fratrum nostrorum consilio facultatem concedimus, vt eiectis de vestro ordine vel sponte egreßis, &c. licentiam dare poßitis transeundi ad alios ordines præter arma portantium. Inhibentes, &c.

Sixtus IV. eadem repetens verba in Mari magno addit dicens.

Inhibemus etiam ne fratres, quos pro suis culpis expelli contigerit, vel qui proprio motu exierint, prædicare, docere, aut confeßiones audire præsumant.

Ioan. XXII. vt habetur in declarat. huius cap. hæc de prædictis tradit.

Ille autem qui propter culpam suam expellitur ab ordine, adhuc Prælato subditus est, sicut morbida ouis quamuis à grege expulsa, tamen pastoris est.

S. August. in regula clare expulsionem præcepit his verbis.

Qui recusauerit emendatoriam subire vindictā, etiam si ipse non abscesserit de vestra societate proijciatur. Non enim hoc fit crudeliter sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat.

In oppositum tamen est est cap. Ne religiosi, de regularibus, quod habet.

Statuimus vt Præsidentes secundum statutum Concilij generalis fugitiuos suos, & eiectos de ordine requirant annuatim, & compellant vt redeant, salua ordinis disciplina. Et si hoc regularis ordo non patitur, prouideant vt apud monasterium in domibus religiosis maneant, si absque graui scandalo fieri poßit. Si vero inobedientes inuenerint, eos excommunicent, & excommunicatos denuntient, &c.

Nauarra versans hanc Constitutionem dicit eam debere exponi de eiectis iniuste, vel non seruato ordine iuris, vel de eiectis petentibus recipi, & demum dicit eam non esse vsu receptam, sed per contrariam consuetudinem abrogatam. Et etiam dici potest eam seipsam declarare per illas conditiones, salua ordinis disciplina, & si absque graui scandalo fieri possit. Quibus innuitur, non facile esse deueniendum ad expulsionem, quod & affertur Barch. 1574. vbi admonētur Prouinciales ne faciles sint in eiiciendis religiosis ab ordine, sed considerent quid sibi velit hominem à religione expellere, & seruent Constit. formam. Et in decl. huius capitis interdicitur hæc expulsio Prioribus, & soli Magistro ordinis, & Prouincialibus refer-

uatur. Et potius seruetur quod traditur in decla.cap. de grauiori culpa, vt Prouinciales cum Diffinitoribus vel cum quatuor prouinciæ patribus aut alijs qui Diffinitores fuerunt, facinorosos puniant etiam pœna triremium.

S.Tho. quol. vlt. art. vlt. ex professo quærit vtrum aliquis religiosus expelli debeat propter peccatum à religione, si sit paratus corrigi, & sustinere pœnam. Ad quod quæsitum respondet hoc modo. Respondeo dicendum, quod Apostolus dicit 1. Cor. 5. Auferte malum ex vobis, modicum enim fermentum totam massam corrumpit. Aufertur autem aliquis dupliciter, vel per pœnam corporalem, & hoc modo manifestum est aliquem auferri posse quantumcumque vellet pœnitere, sicut homicida suspenditur etiam si de peccato doleat. Vel per pœnam spiritualem, quod fit per excommunicationem, & hoc non facit Ecclesia nisi sit contumax. Et ratio huius est, quia per pœnam corporalem aufertur aliquid temporale, quod potest recompensari per aliquod maius bonum, sed malum spirituale quod adimitur per excommunicationem non potest recompensari. Et ideo religio non debet infligere pœnam expulsionis, quamdiu vult corrigi, quoniam sicut est excommunicatio in Ecclesia, ita est expulsio in religione. Et ideo dicendum est, quod nullus nisi propter contumaciam (i. incorrigibilitatem) expellendus est, sed est sequestrandus in carcere vel alio modo. Hæc S.Tho. Sicut ergo in Ecclesia contumaces expelluntur per excommunicationem, ita in religione incorrigibiles eiiciuntur habitu exuti. Et quia S.Tho. comparat expulsionem excommunicationi, obseruentur istæ similitudines inter eas. De excommunicatione tradit Conc. Trid. sess. 25.cap.3.de ref. non nisi sobriè, & cum circumspectione ferendam esse, aliter malos producit effectus, ita, & expulsio. Excommunicatio non nisi in incorrigibiles, & cõtumaces ferenda est, & quando alia remedia non prosunt, sic, & expulsio. Excommunicatus vt sit in conscientia tutus, omnem conatum adhibere tenetur, vt absoluatur, ita expulsus, qui si à sua religione reiicitur, aliam quærat etiam laxiorem. Et sicut tenetur iudex excommunicatum absoluere, quando paratus est satisfacere, ita & Prælatus his interuenientibus expulsum recipere tenetur.

Singulare tamen priuilegium concessum fuit Societati Iesuitarum à Greg. XIII. quod huiusmodi est, & est bulla 24. eiusdem Pont. apud Rodericum.

Quapropter B. Ignatius diuino instinctu ita disponendum duxit, vt biennio nouitiatus absoluto, omnes qui in societate perseuerare voluerint, tria vota substantialia quidem simplicia tamen emittere debeant, quibus emißis in corpus societatis cooptati, & ex parte ipsorum obligati remanent. Quod si iniußi discedant, apostasiæ notam, & excommunicationem, ac alias pœnas quibus professi subiacent, incurrunt, quamuis, rationabili ex causa à Præposito generali dimitti, & votis huiusmodi liberari poßint, (& infra.) *Statuimus, & decernimus omnes, & quoscumque qui in ipsa societate admißi biennio nouitiatus peracto tria vota prædicta tametsi simplicia emiserint, emittentque in futurum, vere, & proprie esse religiosos, & censeri debere vbique & ab omnibus, &c. Et præcipimus ne quisquam scrupulum de hoc cuiquam inijcere, neue illud in controuersiam ponere audeat quoquomodo. Non obstantibus, &c.*

De excommunicationibus ordinis.

CAPVT XXVI.

QVicumque apoſtatauerit ipſo facto ſit excommunicatus, quam ſententiam ferimus ex nunc præſenti ſtatuto. Et ſi quis poſt excommunicationem diuina celebrare præſumpſerit, executione officij perpetuo carebit. Item quicumque literas Magiſtri ordinis vel Prouincialium, ſeu eorum ſigilla falſificauerit, vel falſificatis ſcienter vſus fuerit, ſententiam excommunicationis latam incurrat, & priuationem vocis, & officiorum. *Cap. de apoſtatis.*

In virtute ſpiritus ſancti, & S. obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna prohibemus, ne aliquis procuret, vt cura monialium vel quarumcumque mulierum fratribus noſtris committatur ſine licentia Magiſtri ordinis. *Cap. de domibus concedendis.*

Si quis contra ire his quæ ſtatuta ſunt circa electionem Magiſtri ordinis, ipſo facto excommunicatus ſit, ſiue ſit de electoribus ſiue de includentibus. Item hæc omnia quæ circa electionem Magiſtri ordinis ſtatuta ſunt, abſque contradictione præcipimus firmiter obſeruari. Quicumque autem auſus fuerit, contradicere pertinaciter, tanquam excommunicatus, & ſchiſmaticus, ac deſtructor noſtri ordinis habeatur, & quouſque ſatisfecerit à communione omnium ſit penitus alienus. *Cap. de electione Magiſtri ordinis.*

Appellationem intra noſtrum ordinem ſub interminatione anathematis fieri inhibemus, cum non venerimus contendere, ſed potius delicta corrigere. Item præcipimus ne quis cauſam depoſitionis Magiſtri vel prouincialium, vel eorum exceſſum, aut correctionem, vel ſecretum capituli, ſiuè diſſentiones Diffinitorum vel fratrum, vnde ordo poſſit turbari vel infamari, audeat extraneis publicare. Et qui ex deliberatione contrafecerit, tanquam excommunicatus, & ſchiſmaticus ac deſtructuor noſtri ordinis habeatur, & quouſque ſatisfecerit, à communione omnium ſit penitus alienus. Eadem diſtrictione præcipimus, ne quis verbo vel facto ad diuiſionem ordinis audeat laborare, quod ſi fecerit pœnæ prædictæ ſubiaceat. *Cap. de capitulo generali.*

Statuimus, & ſub interminatione anathematis prohibemus ne

prouinciales Diffinitoribus, & Diffinitores Prouincialibus per suas diffinitiones præiudicium aliquod audeant generare. *Ibidem.*

Nullus frater audeat quæstus facere, aut bullas aliquas prædicare nisi de licentia Magistri ordinis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quam in his scriptis sedentes pro tribunali ferimus. *Cap. de Prædicat.*

Præcipimus omnibus Prioribus prouincialibus, & co nuentualibus, & eorum Vicarijs in virtute Spiritus sancti, & S. obedientiæ, quod nulli fratri electo vel postulato extra ordinem ad quãcumque dignitatem vel gradum, infra tamen dignitatem episcopalem, licentiam concedant, electiones, & postulationes huiusmodi acceptandi, aut prosequendi. Eodem præcepto prohibentes ne fratres propter licentiam sibi datam contra prohibitionem hanc, electiones seu postulationes prædictas per se vel per alium prosequantur. Si quis autem in præmissis secus fecerit, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto, quam præsenti statuto ferimus. *Cap. de Itinerantibus.*

Nullus magistretur in theol. nisi prius actus exercuerit pro forma & gradu magisterij per quatuor annos in aliqua vniuersitate, oppositum faciens sit eo ipso excommunicatus, & gratijs priuatus. *Cap. de studentibus.*

Auctoritate apostolica irrefragabili Constitutione sancimus, vt nullus ex fratribus ordinis prædicatorum absque licentia seu designatione capituli generalis secundum morem eiusdem ordinis ad legẽdum pro forma, & ad honorem magisterij in Theologia promoueri, nec gradu Magisterij fungi possit aut debeat, nisi per dictum capitulum fuerit approbatus vel promotus. Contrarium verò faciens eo ipso excommunicationis sententiam incurrat, &c. Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, &c. *Cap. de Constitutionibus Bonifacij IX.*

Ex actis capitulorum generalium istæ notandæ sunt excommunicationes quæ vel auctoritate Apostolica, vel per tria capitula generalia continua lata sunt.

Romæ 1589. contra examinatores recipiendorum ad habitum ordinatur. Præcipimus in virtute Spiritus sancti, & S. obedientiæ, nec non, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ hac vna pro trina canonica monitione præmissa, omnibus Prælatis, & examinatoribus recipiendorum ad habitum vel professionem, vt neminem admittant vel capitulo proponant, nisi sciant distincte, & clare legere, & bene intelligant quæ legunt ac declarent, & linguam latinam calleant, & habeant alia requisita ex Const.

Sixti V. Quæ ſententia profertur auctoritate Apoſtolica, & habeat robur perpetuæ Conſt. In ſequenti cap. Veneto 1592. moderatur hoc modo. Vbi dicitur de recipiendis, & latinam calleant linguam. declaramus per hæc verba tantum intelligi, vt in grammaticalibus ſint ſufficienter inſtructi, & hoc obſeruetur in prouincijs Hiſpaniæ, & Italiæ. In reliquis vero ſeruetur prout illarum deploranda calamitas patitur.

In eodem cap. Romano auctoritate Apoſtolica ſic dicitur. Item ordinamus ſub eodem præcepto formali, & pœna excommunicationis latæ ſententiæ omnibus Prælatis ne quempiam ad ſacros ordines mittant, niſi ſit probatæ vitæ, & bonorum morum, ac in literis ſufficienter inſtructus, ita vt diſtincte, & clare legere ſciat, & bene intelligat quæ legit, aliter admiſſi, non permittantur in ordinibus miniſtrare, &c. Item ſub eodem præcepto, & pœna excommunicationis latæ ſententiæ præcipimus, vt Prælati nullum mittant ad ordines, niſi prius ſcriptura approbata iuridicè conſtet eum legitimam ætatem habere iuxta Conc. Trid. Quæ ordinatio temperatur in cap. Veneto his verbis. A ſecunda ordinatione in qua agitur de ſufficientia ordinandorum, declaramus ablatam eſſe excommunicationem, interueniente auctoritate Apoſtolica, aggrauantes tamen conſcientiam Prælatorum in hoc, &c.

In eodem cap. Romano eadem Auctoritate dicitur. Ordinamus ſub eodem præcepto formali, & eadem cenſura vt nullus Prædicator inſtituatur, niſi per integrum triennium, theologiam audierit, & per quinque examinatores, qui eum concionantem audierint, approbatus fuerit. Similiter nullus admittatur ad audiendas confeſſiones ſæcularium, & fratrum niſi per quinque examinatores, vel vbi tot non ſuppetant per tres ad minus ſufficiens iudicetur, Præcipientes ipſis Prædicatorum & Confeſſorum examinatoribus ſub eodem præcepto, & pœna excommunicationis latæ ſententiæ, vt per vota ſecreta ſua dantes ſuffragia, inſufficientes excludant, & ſufficientes admittant.

Ibidem etiam dicitur. Si Prælatus ſcienter non tranſmiſerit nouitium receptum ad Conuentum in quo nouitij educantur iuxta Conſtit. infra mēſem, ipſo facto ſit excommunicatus, & abſolutus ab officio.

Ibidem etiam mandatur ſub eadem pœna excom. latæ ſententiæ Prouincialibus, Vicarijs, Diffinitoribus, ac alijs qui prouiſioni ſtudiorum intendunt, ne officiales ſtudiorum admittant niſi per vota ſecreta, & ſemoto omni particulari affectu ſolum aptos approbent. Et valentiæ 1596. examinatoribus officialium prædictorum mandatur ſub pœna excom. latæ ſentent. ne odio vel amore quemquam admittant, vel repellant. Et Romæ 1601. reuocatur hæc excommunicatio.

Ibidem mandato Sixti V. præcipitur vt infra. Sua Sanctitas mandat vt in Conuentibus & Monaſterijs non fiat ædificium notabile reſpectiue iuxta loci qualitatem, niſi de aſſenſu maioris partis patrum à conſilijs, & conſilio peritorum ac licentia Prouincialis, & quod ab vno inceptum eſt, ſubſequēs proſequatur, & nouum non incipiatur. Priores vero, & Prioriſſæ ſi contra ordinationem iſtam agere præſumpſerint, ipſo facto excommunicationem incurrant, & officio priuentur.

Ibidem pro obseruantia Constit. Greg. XIII. contra mendicantes fauores per sæculares statuitur. Quamobrem ad tollēdos abusus, sub præcepto formali & pœna excom. latæ sent. præcipimus ne quisquam directe, vel indirecte, per se vel per alium, pro se vel pro alio, nostri ordinis, apud personas extra ordinem constitutas, & de eo non assumptas, gratiam aliquam vel pœnarum remissionem à Prælatis ordinis obtinendam procuret. Quæ ordinatio, & censura confirmata fuit à Clem. VIII.

Valentiæ 1596. dicitur. Præcipimus in virtute Spiritu sancti, &c. sub pæna excom. latæ sent. &c. ne quis regularis negocia fratrū aut monialium deferre audeat directe, vel indirectè, per se vel per alium ad tribunalia extra ordinem. Et id scientes sub eodem præcepto, & censura infra terminum duodecim dierum Prælato reuelare teneantur. Et Prælati admoniti sub eadem censura, præmissis præmittendis, delinquentes punire teneātur. Idem habetur Neap. 1600. Romæ 1601. Valleo. 1605.

Item Neap. Romæ, Valleol. & postea Romæ 1608. dicitur. Præcipimus in virtute Spiritu sancti, &c. ac pæna excom. latæ sent. &c. ne quis cuiuscumque gradus, & conditionis audeat extrahere libros à communi bibliotheca sine licentia Superioris, qui eam concedere non possit nisi de consilio patrum.

Romæ 1583. dicitur. De communi consensu totius ordinis prohibemus sub pœna excom. latæ sent. & pœnis grauioris culpæ, vt nullus procuret ordinis diuisionem nec institutionem Vicarij generalis Indiarum. Idem habetur Romæ 1589. & Venetijs 1592. & Romæ 1601.

Meminerint Prælati decreti Conc. Trid. sess. 25. cap. 3. quo cauetur ne excom. leuibus de causis inferatur, ne potius contemnatur quàm timeatur. Ex prologo Constit. vt feratur debet distincte exprimi per verba, pœna excom. vel excom. latæ sentent. Et debet promulgari in scriptis, aliter lator per mensem suspensus efficitur. Et Clemens IV. priuil. suo 4. concedit Magistro ordinis, & Prouincialibus, vt possint absoluere eos, qui quadam incautela proferunt illam sine scriptis, & postea ex simplicitate sic suspensi diuina celebrant, ita tamen vt de cætero in similibus non excedant. Et de excommunicatis dicitur cap. de grauiori culpa.

Si quis in sententiam excōmunicationis ritè latam à quocumq; iudice nostri ordinis scienter inciderit, pœnæ carceris subiaceat.

De excommunicationibus canonum regulares afficientibus.

CAPVT XXVII.

1. Contra quoscumq; iniicientes manus violentas in clericos suadente diabolo, cap. Si quis suadente. 17. q. 4.

2. Contra inquisitores, & illorum officiales qui odij vel amoris, lucri aut commodi temporalis obtentu contra conscientiam omittunt procedere, au procedunt falso de hæretica prauitate contra aliquem Clem. de hæreticis, cap. Multorum.

3. Contra religiosos præsumentes sine licentia ministrare sacramenta Eucharistiæ, & extremæ vnctionis decumbentibus sæcularib. & sponsas benedicere. Clem. de priuilegijs, cap. Religiosi.
4. Contra inducentes ad vouendum, iurandum, vel promittendum, vt eligant sepulturam in Ecclesijs suis. Clem. de pœnitent. cap. Cupientes.
5. Contra violantes interdictum S. sedis, ex cap. Si dominici de pœnit. & remiss.
6. Contra dantes, & recipientes pro ingressu religionis, ex cap. Sane. de simonia.
7. Contra eos qui asserunt mortaliter peccare dicentes B. Virginem fuisse conceptam in peccato originali, & è conuerso. ex cap. Graue nimis. de reliq. & Pio V.
8. Contra Prædicantes miracula falsa, vel incerta, aut prophetias in biblijs non contentas, & detrahentes Episcopis, & statui eorum, Conc. Late. sess. 11.
9. Contra persequentes eos, qui rogati vel inducti, vt aliquem in monasterijs eligerent, noluerunt eligere. cap. Sciant cuncti. de elect. in 6.
10. Contra religiosos, qui decimas ad se non spectantes appropriare sibi præsumunt. Clem. de decimis, cap. religiosi.
11. Contra religiosos claustrum exeuntes, vt audiant leges vel physicam. Hono. III. cap. Ne clerici, & Mona..
12. Contra Regiosos de nouo loca vel domos ad habitandum recipientes, vel recepta mutantes, vel transferentes, cap. 1. de excess. lib. 6.
13. Contra monachos ad curias principum accedentes absque licentia, vt suis Prælatis & monasterio damnum inferant. Clem. Ne in agro. de statu monachorum.
14. Contra religiosos professos temerè habitum dimittentes, cap. Vt periculosa. in 6.
15. Contra religiosos, & religiosas matrimonium contrahentes, Clem. de consan. c. 1.
16. Contra religiosos retrahentes à solutione decimarum audientes sermones suos Clem. de pænis cap. Cupientes.
17. Contra religiosos quoscumque non seruantes interdictum, quando illud seruat matrix Ecclesia. Clem. Ex frequentibus, de sententia excommunicationis.
18. Contra religiosos mendicantes transeuntes ad aliam religionē, dempta Cartusianorum, absque licentia sedis Apostolicę, ex cap. Viam ambitiosæ.
19. Contra monachos intra septa Monasterij arma tenentes. Clem. Ne in. de sta. mon.
20. Contra impressores librorum sine licentia Ordinarij vel Inquisitoris, Conc. Lateran.
21. Contra omnes ecclesiasticas personas alienantes quoquomodo bona ecclesiastica, & ea locantes vltra triennium. Paulus 2. cap. Ambitiosæ.
22. Contra absoluentes à casibus in bulla cenæ Domini contentis. In Bulla prædicta.

23. Contra defendentes licere ſacerdoti exiſtenti in mortali peccato celebrare, non præmiſſa confeſſione, habita copia Confeſſoris, Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 11.
24. Contra quoſcumque ingredientes monaſteria monialium ſine licentia. Idem ſeſſ. 25. cap. 5.
25. Contra cogentes mulierem ad ſuſcipiendum habitum religionis, vel emittendam profeſſionem, & conſentientes eidem actui, & ſua præſentia auctoriſantes. Ibidem cap. 18.
26. Contra quoſcumque ſine iuſta cauſa præbentes impedimentum, ne aliqua mulier religionis habitũ ſuſcipiat, vel profeſſionem emittat. Ibidem.
27. Contra regulares recipientes à nouitijs, & nouitiabus, vel curatoribus eorum aliquid præter victum, & veſtitum ante profeſſionem. Ibidem cap. 16.
28. Contra quoſcumque non præmiſſa profeſſione fidei legentes Theologiam, vel Philoſophiam, ſeu artes liberales. Pius IV. in Conſtit. In ſacroſancta.
29. Contra quoſcumque qui ſine licentia Apoſtolica commentarios, gloſſas, annotationesve, &c. edere præſumunt ſuper decretis Conc. Trid. Pius IV. Conſtit. Benedictus.
30. Contra quaſcumque mulieres ingredientes Conuentus regularium, & eas introducentes, ac admittentes. Pius V. Conſt. Regularium perſo. & Decet. Romanum.
31. Contra moniales ſine licentia clauſuram exeuntes, demptis caſibus incendij, lepræ & epidimiæ. Pius V. Conſtitut. Decori, & honeſtati.
32. Contra offendentes officiales S. officij in perſonis, & rebus. Idem. Si de protegen.
33. Contra quoſcumque pingentes agnos Dei, & eos venales proponentes Gregor. XIII.
34. Contra aſſerentes licere per literas vel nuntios Confeſſario ſua peccata confiteri, & ab eo abſente abſolutionem recipere. Clemens VIII.

De Apoſtatis.

CAPVT XXVIII.

QVicumque apoſtatauerit ipſo facto ſit excommunicatus, quam ſententiam ferimus præſenti ſtatuto.

Præter hanc religionis excommunicationem in apoſtatas, habetur alia cap. Vt periculoſa, ne cle. vel mona. in 6. cuius tenor eſt.

Vt periculoſa religioſis vagandi materia ſubtrahatur, diſtrictius inhibemus ne de cætero aliquis quamcumque religionem tacite vel expreſſe profeſſus, in ſcholis vel alibi temere habitum ſuæ religionis dimittat, &c. Si quis autem temerarius violator extiterit, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrat.

De duobus ſtatibus religioſorũ agitur in hoc cap. ſ. Apoſtatis qui habitũ dimittunt,

dimittunt, & fugitiuis qui retento habitu ab obedientia Prælatorum retrocedunt. De primis D. Caietanus in ſummula verbo. Excommunicatio cap. 61. examinans dictam Conſtit. dicit. Dimittere habitum ſuæ religionis dupliciter contingit .ſ. totaliter, & ad tempus. Totaliter etiam fieri poteſt duobus modis, primo dimittendo illum animo non reaſſumendi, & ſic nunquam dimittitur niſi apoſtatando, & in canonem incidendo, ſecundo tranſeundo ad aliam religionem, & ſic etiam ſi ſine licentia tranſeat, non temere dimittit habitum ſuæ religionis, quia alterum recipiens, hic efficitur habitus ſuæ religionis. Ad tempus autem dimitti poteſt habitus bifariam vel ſimpliciter dimittendo, & alium induendo, vel tantum occultando. Qui habitum ſimpliciter dimittit ad horam, vel etiam ad diem ex leuitate, domeſtice conuerſando, non eſt excommunicatus, tum quia temere non dimittit, tum quia non adeſt materia vagandi. Qui vero habitum temere dimittit etiam ad tempus in canonem incidit, non enim eſt neceſſe vt dimiſſio ſit perpetua, quod ſignificatur per illud verbum (in ſcholis) non enim ſcholæ ſunt perpetuæ. De occultantibus habitum ſubdit. Occultans habitum vt à conuerſantibus cum eo qui aliter eum non nouerunt, reputetur non religioſus, in canonem incidit, quia etſi habitum non dimittat materialiter, dimittit tamen formaliter, cum vt religioſus non cognoſcatur. Aut habitum occultat ita vt à conuerſantibus licet non ab omnibus tranſeuntibus vt talis religionis religioſus cognoſcatur, & talis in canonem non incidit, quia nec materialiter nec formaliter habitum dimittit.

Habet decla. huius capitis hæc notanda. Qui ex ſe ordinem egreditur, & ſtatim reuertitur, non eſt iudicandus apoſtata, nec incidit in pœnas Conſtitutionum, quia tamen actum apoſtaſiæ commiſit, debet ab excommunicatione abſolui, & ad cautelam ad gratias ordinis reſtitui. Deinde ſubdit. Religioſus, cum in publicum procedit, tenetur patenter deferre habitum, alias illum dimittendo vt det operam rei ſibi illicitæ, peccat, & in excommunicationem incidit, quia temere dimittit.

Ideo dimittens habitum ad iaciendum palum ferreum, ad ludendum, pila, ad ſaltandum, & tripudiandum, vel ad diſcurrendum de nocte, &c. efficitur reus canonis. Si autem illum dimittit ad balneandum ſe, vel ad natandum, vel ad piſcandum vbi aquæ profundæ ſunt, cum talia religioſis prohibita non ſint, non interuenit temeraria habitus dimiſſio, & ideo reus canonis non efficitur.

Bannes 2. 2. q. 12. art. 1. reprehendit hanc declarationem in ea parte in qua aſſerit religioſum dimittentem habitum vt det operam rei ſibi illicitæ excommunicatum effici, quia inquit excommunicatio maior qualis eſt iſta, præſupponit peccatum mortale, poteſt autem religioſus habitum dimittere pro opere ſibi illicito venialiter tantum, & durum eſſet iudicare tali caſu illum eſſe excommunicatum. Eſſet autem ſi habitum dimitteret, vt vagaretur maxime de nocte.

Non eſt omittenda mitior doctrina Siluestri verbo Excommunicatio. n. 9. § 12. vbi docet dimiſſionem habitus aliquando fieri cum ligamine cenſuræ, & peccato, aliquando cum peccato ſine ligamine, aliquando ſine vtroq;.

Fit primo modo cum quis habitum deponit, vt de nocte vagetur puta ad fornicandum, &c. Fit secundo modo, .i. cum peccato, & sine censura, quando ex iocosa leuitate habitus dimittitur, vt ad currendum, vel faciendum palum, &c. Neque enim credibile est Prælatos voluisse rigorosa excommunicationis censura habitum sic iocose dimittentes afficere. Fit tertio modo .i. sine vtroque, quando habitus deponitur pro iusta causa .s. balnei, & medicinæ, aut pro honesta recreatione, vt cum frater ord. prædicatorum induit habitum ord. minorum.

De fugitiuis autem notanda est differentia, quia aliqui fugiunt à minori Prælato ad maiorem prætendentes ab eo grauari, alij fugiunt quia nulli Superiori subesse volunt, alij fugiunt dicentes teneri subuenire parentibus in necessitate constitutis. Dicamus verbum de singulis. De fugientibus à minore ad maiorem sunt qui dicunt eos peccare mortaliter ob grauem pœnam illis taxatam à Conc. Trid. sess. 25. cap. 4. .s.

Non liceat regularibus recedere à suis conuentibus, etiam prætextu accedendi ad Superiores, nisi ab eis missi, aut vocati fuerint. Qui vero sine mandato in scriptis repertus fuerit, ab Ordinariis locorum vt desertor sui instituti puniatur.

Posset tamen inferior Prælatus tanta sæuitia subditum vexare, vt immunis redderetur à peccato, nam de excommunicatione apostasiæ non est dubium. Quo casu seruari potest, quod statuit Sixtus V. in 2. Constit. contra illegitimos, vbi habetur.

Quod si dicerent se ad Apostolicam sedem confugere ob grauamina sibi à suis Superioribus illata, ideo ab ipsis licentiam obtinere non potuisse, non propterea recipiantur, nisi fide dignorum testimonio de licentia petita, & eis denegata constiterit.

De fugientibus à quorumcumque Prælatorum obedientia etiam habitu retento communis est sententia, eos vere apostatas esse, nam peius est retrocedere ab obedientia cui primus locus inter vota religionis debetur, quam habitum dimittere, qui monachum non facit. Et in Constit. hoc cap. nil dicitur de habitus dimissione, & aperte fugitiuos connumerat, dum dicit. Si fugerit secundo, &c.

De fugitiuis vt parentibus subueniant inuitis Prælatis notetur quod tradit S. Tho. 2. 2. q 101. art. 4. ad 4. .s. Aliud dicendum est de eo qui est in sęculo, & hic non debet religionem intrare relictis parentibus in necessitate positis, quia violaret præceptum de honore parentum, Aliud de eo qui religionem professus est, & hic cum reputetur mortuus mundo, non debet hac occasione claustrum exire. Tenetur tamen salua obedientia, & suæ religionis statu studium adhibere, vt illis subueniatur. Et quod. 3. art. 16. addit. Sicut filius si esset mortuus corporaliter non teneretur subuenire parentibus in quacumque necessitate, ita nec mortuus spiritualiter, qualis est religiosus. D. Caietanus dicto loco 2. 2. interpretatur S. Tho. loqui de parentibus non in extrema necessitate positis, & credit religiosum petita, & non obtenta licentia posse claustrum exire, vt subueniat parentibus extremam necessitatem patientibus, quia præceptum de honore parentum cum sit diuinum, præualet omni voto. Notentur tamen illa verba D. Tho. .s. in quacumque necessitate. Siluester verbo, Religio, n. 9. dicit. Si pater erat

in necessitate quando filius ordinem intrauit peccauit, & tenetur magis obedire patri quam Prælato.

Si vero post ingressum filij in ordine, parentes egentes facti sunt, non potest filius obstante Prælato exire, vt eis subueniat. Ob id modo non recipitur filius in nostro ordine, nisi probet se parentes relinquere, qui sua ope, & subsidio non indigent.

De apostatarum receptione, & pœnis.
CAPVT XXIX.

SI apostata misertus sui redierit, depositis in claustro vestibus nudus cum virgis in capitulum veniat, & prostratus culpam suam dicat, & humiliatus veniam petat, & quamdiu Prælato placuerit pœnæ grauioris culpæ subiaceat, & in capitulo nudus se præsentabit semel in singulis septimanis. Infra hoc tempus pœnitentiæ vbique in Conuentu nouissimus erit, & duobus diebus in qualibet septimana per annum in pane & aqua ieiunabit. Et peracta pœnitentia ad priorem locum non redeat, nisi per Magistrum ordinis, vel capitulum generale, aut prouinciale, fuerit cum eo dispensatum. Quæ dispensatio per eosdem non fiat ante tres annos ad minus, ita tamen quod anni quibus fuit in apostasia non computentur ei quo ad locũ, sed sit sub illis omnibus, qui habent plures annos in ordine, quam ipse habuerit quãdo exiuit. Quod si secundo fugerit, & redierit supradicto modo pœniteat, & priori anno secundus addatur, si tertio tertius, & si quarto quartus.

Omnibus tamen fratribus pro huiusmodi pœnitentibus humiliter in cap. deprecantibus, Prælatus cum eorum pœnitentiarum perspexerit, eis indulgere vel remittere poterit, secundum quod suæ discretioni visum fuerit, vel placitum. Apostatæ vnius Conuentus, non recipiantur à Priore alterius Conuentus in eadem prouincia sine licentia Prouincialis, nec apostatæ aliarum prouinciarum, sine licentia Magistri ordinis. Si quis in apostasia ordinatus fuerit, executione sui officij perpetuo carebit.

Qui vero semel apostatauerit, vel de lapsu carnis conuictus fuerit, vel carceri sententialiter & legitimè mancipatus fuerit, de cætero non prædicet, nec confessiones audiat, nec ad aliquam electionem ordinis admittatur, nisi per Magistrum ord. vel per Diffinitores capituli generalis vel prouincialis fuerit restitutus, quæ restitutio non fiat ante tres annos ad minus. Si fuerit Prædicator generalis suo officio non fungatur, nec possit habere officia Prioratus, vel Supprioratus, vel Vicariatus, aut Lectoratus, nec

possit fieri Diffinitor, nec Prædicator generalis, sine speciali licentia Magistri ordinis.

Munus Prælatorum est omni suo conatu apostatas, & fugitiuos infra suos fines inquirere, & inuentos capere, & ad ordinem reducere, ita tradit Sixtus IV. in Mari magno.

Inhibemus ne quis professus in ordine vestro, ab ipso ordine sine Superioris licentia discedat, discedentem vero absque cautione literarum huiusmodi, prætextu priuilegij Apostolici nullus audeat retinere. Quod si qui discesserint, & eos aliqui præsumpserint tenere, discedentes fratres, & detinentes eos, nisi post denuntiationem eiecerint, excommunicationis sententiæ volumus subiacere, &c. Apostatas quoque vestri ordinis excommunicare, capere, ligare, incarcerare, & subdere disciplinæ regulari posse concedimus, per vos vel per alium in quocumq; habitu inuentos, inuocato etiam si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.

Leo X. suo priuilegio 12. circa prædictos hæc obseruanda tradit.

Quodque vnusquisque vestrum (.s. Magister ordinis, Prouinciales, Priores, & Vicarij,) in sua prouincia fratres extra ordinem quauis occasione morantes, ad ordinem compellere possit Apostolica auctoritate statuimus, &c. De illis vero qui post apostasiam, vel asserentes quod professionem nunquam, aut ante pubertatis annos, vel per vim & metum emiserunt, vel per literas Apostolicas obtinuerunt, &c. habitu religionis dimisso, & sæculari assumpto vagantur, committimus vobis vt nisi ad aliam obseruantialem religionem transierint, &c. bullas, & processus auferatis, & habitum sacrilegè relictum reassumere cogatis, inuocato etiam brachio sæculari. Quod si vobis non paruerint, & infra octo dies habitum perpetuo gestandum non reassumpserint, excommunicationem latæ sententiæ incurrant, à qua non nisi per Romanum Pont. vel Magistrum ordinis, extra mortis articulum, absolui possint.

De Apostatis prætextu quod ante legitimam ætatem, vel per vim aut metum professionem emiserunt, videndum est id quod statuit Conc. Trid. sess. 25. cap. 19. sup. relatum, & in decla. dicitur. Qui cum licentia sedis Apostolicæ habitum dimiserunt, non recipiantur nisi diligenter examinato processu super indulto facto. Et si vera, & rationabilis causa adducta fuerit, absque pœnitentia recipiantur. Si autem talis causa non inueniatur, & ideo breue surrepticium sit, non nisi vt apostatæ recipiantur, & qui per quatuor annos extra ordinem quouis modo steterint, non recipiantur sine speciali licentia Magistri ordinis, nec possint ante annos decem à sua receptione promoueri ad vllam dignitatem. Et qui cum pœnitentia apostatarum recipiuntur ea completa nouissimum etiam locum teneant infra clericos vel conuersos respectiue, quousque per Magistrum ordinis vel aliquod capitulum sint restituti. Quæ restitutio ita fiat, vt semper locum cedant his qui diutius habitum religionis portauerunt.

Quia apostasia culpas nō minuit sed auget, ideo apostata in apostasia delinquens rigorose puniri debet, etiam vsque ad pœnam grauioris culpæ inclusiue, etiam si ob talia delicta ordinem exierit. Et receptis potest Prælatus indulgere pœnas positiuas, non autem priuatiuas, quæ soli Magistro ordinis vel Diffinitoribus reseruantur. Bono. 1564. admonentur Prouinciales,

vt apostatas ordini restitutos non assignent in locis vbi deliquerunt, quando nota est illorum infamia, licet eorum locorum filij sint.

Et Romæ 1569. dicitur apostatas quamuis remissionem pœnarum obtinuerint, non debere assumi ad prælaturas nisi post viginti annos. De bonis apostatarum in apostasia decedentium, & de apostatis in apostasia sacros ordines suscipientibus dictum fuit satis supra capitibus suis.

De indulgentijs regularibus collatis.

CAPVT XXX.

POst considerationem pœnarum quibus delicta corriguntur, recto ordine succedit tractatus indulgentiarum, quæ quædam remissiones pœnarum sunt. Præmittimus autem id quod tradit S. Tho. 2.2. q.189. ar.3. ad. 3. S. Rationabiliter dici potest eos qui religionis statum assumunt, remissionem omnium suorum peccatorum consequi. Nam si vigore eleemosynarum potest homo pro suis peccatis satisfacere iuxta illud Danielis 4. Peccata tua eleemosynis redime, multo magis religionem ingrediens, qui nedũ bona sua propter Deum deserit, sed etiam omnes suas actiones ac seipsum Dei obsequio præbet vsque ad mortem, pro suis delictis satisfaciet. Vnde in vitis patrum legitur introeuntes religionem, eandem recipere gratiam quam recipiunt per Baptismũ Baptizati. Quæ remissio indulgentia vocari non potest quia non habet vim in thesauro Ecclesiæ, sed in propriis meritis.

Paulus 5. suo decreto omnes indulgentias regularibus concessas annullauit, & ad infra notatam reduxit formam, cuius summa hæc est.

Tenor reformationis.

Pro spirituali solatio omnium religiosorum quorumuis ordinum intra claustra, aut extra cum licentia suorum Superiorum legitima de causa illis concessa degentium, concedit eis S. D. N. Paulus Papa V. infra scriptas indulgentias, & gratias.

Cæterum omnes, & singulas Indulgentias quibuscumque ordinibus Institutis Regularibus etiam mendicantibus, & quibuslibet personis Regularibus, tam vigore priuilegiorum, & litterarum Apostolicarum, quam viuæ vocis oraculo, aut alias quouis modo per quoscũq; Romanos Pontifices prædecessores suos ac per ipsummet & Apostolicam sedem hactenus concessas, confirmatas, & innouatas, auctoritate & tenore prædictis perpetuo reuocauit cassauit, annullauit, & abrogauit, & ad præsentium suarum literarum præscriptum modum reduxit, & moderatus est. Quæ indulgentię vult Sanctitas sua, vt omnes etiam concessa sint omnibus religiosis monialibus regularibus cuiusuis Regulæ approbatæ, & intra claustra cum tribus votis solemnibus viuentibus, & perpetuam clausuram seruantibus, tam Ordinariis locorum, quam regularibus cuiuscumque ordinis regula & instituti subiectis, suffragari. Præsentibus perpetuis temporibus duraturis. Non obstantibus, &c.

Tenor indulgentiarum.

1. Omnibus Christi fidelibus, qui canonice, & iuxta ordines cuiuslibet religionis, & Constit. Apostolicas, habitum regularem à legitimis Superioribus, causa profitendi in illo, susceperint, die primo eorum ingressus in ipsam religionem; si vere pœnitentes, & confessi sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam concedit.

2. Cuilibet nouitio, qui pœnitens, & confessus, ac sacra communione refectus post completum probationis annum professionem emiserit, etiam plenariam.

3. Cuilibet religioso intra claustrum Monasterij viuenti; qui in festo principali sui ordinis confessus, à sacra cõmunione refectus fuerit, aut Missam recitauerit, & pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderit, etiam plenariam.

4. In cuiuslibet mortis articulo, si pariter vere pœnitens, & confessus, ac sacra communione refectus, vel quatenus id facere nequiuerit, saltem contritus nomen IESV ore si poterit, sin autem corde, deuote inuocauerit, etiam plenariam.

5. Qui vero ad Presbyteratus ordinem canonice promotus, & confessus, primam missam celebrauerit, necnon etiam iis religiosis, qui pariter confessi ac communione refecti, eidem missæ interfuerint, aut ipso die missam celebrabunt, etiam plenariam.

6. Ii vero religiosi, qui de suorum Superiorum licentia à negotiis per decem dies alieni in cella commorabuntur, aut ab aliorum conuersatione separati, in piorum librorum lectione, & aliarum rerum spiritualium, animos ad deuotionem & spiritum inducentes, considerationi operam dederint; addendo sæpe considerationes & meditationes Mysteriorum fidei Catholicæ, diuinorum beneficiorum, quatuor nouissimorum, Passionis D. N. IESV Christi, ac aliorũ exercitiorum, orationum iaculatoriarum aut vocalium, saltem per duas horas in diem & noctem orationibus mentalibus se se exercendo, faciendo eodem tempore confessionem generalem, aut annualem, aut ordinariam, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentũ sumpserint, aut missam celebrauerint, toties pro quolibet prædictorum excitiorum, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem consequentur.

7. Iidem religiosi intra claustra viuentes, qui suam Ecclesiam deuote visitauerint, & vt præfertur, orauerint, consequentur easdem indulgentias, quas visitandas Ecclesias vrbis, & extra eam, diebus stationum consequuntur, in omnibus diebus, perinde ac si ipsas vrbis Ecclesias visitassent.

8. Omnibus Religiosis intra claustra vt supra viuentibus, qui quinquies orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante altare eorum Ecclesiæ dixerint, in quolibet die quinque annos, & totidem quadragenas de Indulgentia concedit.

9. Iis, qui de suorum Superiorum licentia in itinere existentes, aut extra claustra degentes, tanquam Prædicatores, & Lectores, quinquies eandem orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante quodlibet Altare similiter dixerint, etiam quinque annos, & totidem quadragenas.

10. Eisdem religiosis, qui per mensem integrum singulis diebus, spatio mediæ horæ Orationem mentalem fecerint, ac confessi, & sacra communione, vltima Dominica mensis huiusmodi, refecti fuerint, sexaginta annos & totidem quadragenas.

11. Qui contrito corde, & pœnitentes, eorum culpas, & peccata, ac imperfectiones in capitulis culparum accusabunt, & spiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facientes, tres annos, & totidem quadragenas.

12. Iis quotiescumque de licentia Sũmi Pontificis, & suorum Superiorum in ditiones, & terras infidelium, aut hæreticorum ad concionandum, aut Catholicos docendum, vel infideles, & hæreticos ipsos ad fidẽ conuertendum, & Ecclesiæ gremio reducendũ, missi fuerint, si pœnitentes & confessi ac sanctiss. Communione refecti fuerint, vel missam celebrauerint, vt melius ad huiusmodi opus separare valeãt pro duobus vicibus, videli-

cet, quando itineri se accinxerint; & quando in prouinciam vbi prędicta opera eis exercenda erunt, ingressi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem, elargitur.

13. *Cum Superior in Visitationibus generalibus, orationes quadraginta horarum pro bono visitationis progressu collocare voluerit, iis Religiosis, qui dictis orationibus saltem spatio duarum horarum in diuerso tempore interfuerint, & ibi pro Principum Christianorum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, & sanctæ matris Ecclesię exaltatione, necnon disciplinæ, & obseruantiæ regularis augmento, pias ad Deum, vt supradictum est, preces effuderint, si confessi, & sacra communione refecti fuerint, aut missam celebrauerint plenariam similiter omnium peccatorum Indulgentiam & remissionem, vt prefertur, conceditur.*

Quibuscumque visitantibus nostras Ecclesias pœnitentibus, confessis, & sacra communione refectis, in diebus festis SS. Dominici, Petri Martyris, & Catharinæ Sen. indulgentiam plenariam concessit Sixtus 5. vt habetur Romæ 1589. Eandem indulgentiam plenariam concessit Clemens 8. pro festis S. Antonini, Thomæ Aquin. & Vincentij Confessorum, vt traditur Venetiis 1592. Et in bullis canonizationis SS. Hiacinthi, & Raimundi conceditur visitantibus Ecclesias ordinis, seu altaria illis sanctis erecta eadem indulgentia diebus eorum festiuis, quæ aliis sanctis ordinis concessa fuit.

De applicatione beneficiorum ordinis.

CAPVT XXXI.

DOcet S. Thom. 4. sen. dist. 20. ar. 4. solum Papam, & Episcopos posse conferre indulgentias ex thesauro Ecclesiæ, illũ secundum plenitudinem potestatis, istos in partẽ sollicitudinis. Prælati autem religiosorum sicut & Parochi, cum non sint simpliciter Prælati sed coadiutores, non possunt propria auctoritate satisfactiones dicti thesauri distribuere. Possunt tamen Prælati ordinum applicare satisfactiones subditorum suorum quales sunt missæ, orationes, ieiunia, disciplinæ, &c. benefactoribus ac aliis personis religioni bene affectis. Quæ satisfactiones dupliciter aliis communicari possunt, vno modo ex charitate, propter quam omnia bona spiritualia timentibus Deum fiunt communia, iuxta illud ps. Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua. Altero modo ex intentione operantis dirigentis opus suum ad alterum, quo modo S. Pater Dominicus seipsum verberabat pro animabus peccatorum, & pro existentibus in purgatorio. Et hæc intentionis applicatio potest fieri, & singulariter quando vnus pro alio singulari opus satisfactorium peragit vt filius pro patre, & specialiter, quando vna cõgregatio pro familia altera satisfacit. & hoc modo Prælatus opera sati factoria suæ congregationis sua intentione potest ordinare in beneficium singularis personæ, aut familiæ. Quod faciunt Prælati nostræ religionis. s. Magister ordinis, Prouinciales, & Priores de bonis suorum subditorum.

Et quidem Magister ordinis per suas literas multos religionis amicos re-

SVMMARIVM CONSTITVTIONVM ET ORDINATIONVM


Editarum pro bono regimine Monialium, ac personarum tertij habitus, sub cura fratrum Ordinis Prædicatorum existentium.

Adiectis etiam particulis decretorum Sedis Apostolicæ, maximè Conc. Trid. & sacrarum Congregationum DD. Cardinalium, tum Conc. tum etiam Regularium.

Quæ ad earum vitam componendam spectare videntur.

De Monialium ordinis institutione.

CAPVT I.



PATER S. Dominicus instituto ordine Prædicatorum ex viris constante, animum appulit æstuans pro salute animarum omnium, vt ab huius sæculi tenebris & laqueis, fœminei sexus personas eriperet, ideo accersitis multis virginibus, quæ soli Deo vacare cupiebant, eas à mundi tumultibus sequestrauit, & monasteriis inclusit, se ipsas per tria religionis vota offerentes. Et in primis monasterium Prulianum adeptus, quod est in Tholosana prouincia situm, in eo quam plures virgines inclusit, & domino consecrauit, vt spiritualibus armis contra principem tenebrarum fortiter dimicarent. Subinde Romæ consilio summi Pontificis quasdam moniales quæ cum libertate per ciuitatem pergebant, in monasterio S. Sixti quod ipse cum fratribus suis incolebat reclusit. Successu postea temporis, harum sanctimonialium numerus & monasteria per diuersas mundi partes dilatari, & augeri cœperunt.

De horum duorum monasteriorum Pruliani. s. & Romani erectione ita fatur S. Antoninus 3. par. hist. cap. 23. §. 2. & §. ij. Erant in illis locis Tolosanis nobiles quidam qui egestate compulsi filias suas tradebant hæreticis nutriendas, quarũ perniciosum miseratus opprobrium D. Dominicus Monasterium Prulianum instituit, vbi ancillæ Christi sub perpetua clausura, sub obseruantiis mirabilibus, sub arcto silentio, manibus operantes, in puritate conscientiarum creatori suo iucundum exhiberent famulatum. Quæ

cum merito,& numero creuerint,in immensum odorem suum longè lateque diffundentes, multas Deo deuotas fœminas procurauerunt ad similia cœnobia construenda. De altero,idem S.Chronista dicit.Cum B. Dominicus esset in vrbe,mandato Honorij Papæ,assistentibus tribus S. Romæ Ecclesiæ Cardinalibus,decreuit omnes sanctimoniales per vrbem dispersas in vnum colligere,& in claustra sub clausura traducere. Quod opus cũ attentasset,illæ iam inueteratæ libertatis consuetudine absorptæ, eius persuasionibus stolida quadam audacia & fœminea pertinacia obstiterunt. Erat tunc in vrbe monasterium monialium apud S. Mariam trans Tyberim. Ad hoc accessit S. vir Dominicus, & suis monitis eas ad voluntatem D. Papæ inclinauit,& ab omnibus (vna excepta) obedientiam manualem accepit,qua promiserunt ad S. Sixtum transituras,si quædam S. imago B. Dei genitricis Mariæ,quam dicunt B.Lucam ad similitudinem Deiparæ Virginis expressisse secum transiret,quæ alias ab eodem loco ablata (nescio quo casu) ad eandem Ecclesiam reportata fuerat,quam conditionem S. Pater gratanter accepit,adiecto,quod si illa delata ad priorem locum rediisset,ab obedientia præstita essent absolutæ. Audientes hæc proximi & cognati monialium timorem excitarunt, vnde turbatæ moniales timore fœmineo pœnitudinem de promissione præstita conceperunt. Hæc omnia Sanctus in Spiritu cognouit & dedit locum iræ. Post aliquod temporis interuallum,illuc accessit,missæque sacrificio peracto ac prædicatione præmissa,denuo eas ad spontaneam obedientiam adhortatus est,quã de nouo promisit Abbatissa cum quibusdam monialibus. Postea vir prudens ordinauit vt in capite ieiunij quadragesimalis omnes ad S. Sixtum conuenirent,quod & factum est,& ex tunc illic habitare cœperunt. Et noctè sequenti, ne fortè tumultus fieret in populo, imaginem prædictam cum faculis accensis,associantibus Cardinalibus, & multitudine ciuium , à loco Transtyberino ad S. Sixtum propriis humeris deportauit. Tempore vero Pij V. Sancta imago cum monialibus ad alium locum ob aeris intemperiem translata fuit, qui Sancto Dominico dicatus est.

De cura monialium ordini interdicta.

CAPVT II.

EXperti fuerunt Patres nostri antiqui, monialium regimen validũ præbere obstaculum studio & prædicationi verbi Dei, propter quam tanquam propter singularem finem nostra religio instituta fuit,ideò omni sollicitudine tentarunt earum curam à se abdicare, & in primis Constitutionem ediderunt, qua singulis prohibebatur, ne de cætero quis procurare posset, vt noua reciperentur monasteria, ita enim habetur cap. de Domibus construendis.

In virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna districtè prohibemus, ne aliquis fratrum nostrorum laboret vel procuret de cætero, vt cura vel custodia monialium , seu quarumlibet aliarum mulierum fratribus nostris committatur,

nisi de licentia Magistri ordinis speciali. Et prohibemus districtè, ne aliquis curam recipiat prædictarum, nisi per tria capitula generalia continua fuerit approbatum, vel nisi cura per D. Papam ordini committatur, vel per alium qui possit facere commissionem prædictam, si quis verò contraire præsumpserit, pœnæ grauiori culpæ debitæ subiaceat.

Item cap. de Recipiendis dicitur.

Prohibemus autem de cætero, ne aliquis aliquam mulierem tondeat, vel ad professionem recipiat.

Et in Constitutionibus monialium cap. 32. constituitur.

Inhibemus sub pœna excommunicationis, ne soror aliqua det operam directè vel indirectè, scienter, quod aliqua domus sororum construatur, vel constructa ordini nostro committatur, nisi super hoc prius habeatur consensus capituli generalis. Eadē districtione etiam ordinamus, ne vnquam in aliquo casu domus aliqua recipiatur sub cura ordinis, nisi cum sufficienti prouisione in bonis temporalibus pro necessitatibus sororum.

Neque his contenti maiores nostri fuerunt, sed apud sedem Apostolicam institerunt, vt quod ab ipsis constitutum fuerat auctoritate Apostolica firmaretur. Vnde factum est, vt Innocentius 4. talem constitutionem ederet, quæ est 42. inter sua priuilegia ordini nostro concessa.

Vehemens dudum nobis suasit consideratio pietatis, vt nonnullarum religiosarum collegia vestro insererentur ordini, &c. vt per disciplinam vestræ sollicitudinis regerentur, quatenus vasa fragilia fœminarum virtutis soliditas custodires, &c. Verum sicut ex parte vestra fuit coram nobis & fratribus nostris expositum, huiusmodi sollicitudinem vestro aduersari proposito, cum per eam interrumpatur in vobis doctrinæ profectus, quo morum disciplina reformatur in populo, & hæreticorum prosecutio impeditur, &c. Nos igitur volentes, &c. ab omni cura, & sollicitudine quāuis meritoria monasteriorum monialium quomodolibet vobis vnitorum (S. Sixti de Vrbe vt potè ad Romanam Ecclesiam pertinente, & S. Mariæ nouæ de Pruliano Tholosanæ diœcesis, quod per B. Dominicum ordinatum fuit, & Gregorius prædecessor noster vobis commisit, monasterijs exceptis) vos & ordinem vestrum de prædictorum nostrorum fratrum consilio vestris precibus inclinati duximus auctoritate Apostolica penitus absoluendos, Non obstantibus, &c. Vobis etiam indulgentes, vt ad recipiendam huiusmodi monialium curam per literas sedis Apostolicæ vel legatorum cogi minime valeatis.

Et in declarationibus cap. de grauiori culpa, admonentur fratres ad euitandam familiaritatem quarumcumque fœminarum, tum propter pericula, cum legamus Episcopos & Clericos post magnalia, & signa miranda sanctitatis, propter eas naufragium pertulisse, tum propter infamiam qua bonum nomen religiosorum deturpatur, tum demum propter malum exemplum quod datur minoribus, qui videntes eos qui perfecti existimantur ruere in familiaritatē mulierum, faciliter corruunt. Et ideo nec propter vti-

litatem temporalem, nec propter salutem animarum, debent religiosi cum quibuscumque mulieribus conuersationem habere. Ibidem etiam admomonentur religiosi, vt fugiant occasiones omnes per quas excitatur amor carnalis inter religiosos & mulieres, quæ præcipue sunt aspectus, collocutiones, literæ, munuscula, verba dulcia, & his similia.

De cura monialium ordini restituta.

CAPVT III.

QVod Innocentius 4. constitutione prædicta statuerat eximendo ab ordinis regimine moniales, Clemens pariter quartus reuocauit, & per priuilegium eius 7. earundem monialium curam, his grauissimis verbis ordini restituit.

Auctoritate Apostolica statuimus, vt moniales, quæ vobis (s. Magistro ordinis, & Prouincialibus ordinis Prædicatorum) per prędecessores nostros commissæ sunt, vel quæ per vos, seu prædecessores vestros, aut per capitula generalia pro tempore fuerunt receptæ, &c. hoc à vobis ex huiusmodi commissione aut receptione beneficium consequentur s. quod ipsæ sub vestro magisterio vestrorumque successorum in perpetuum debeant permanere, ipsasque & earum monasteria vobis & vestris successoribus auctoritate Apostolica committimus ad cautelam, vt animarum ipsarum sollicitudinem gerentes & curam, eis de Constitutionibus vestris, quæ eis competunt, prouideatis, &c. Huius Constitutionis Apostolicæ virtute Patres nostri quasdam ordinis constitutiones illarum moribus congruentes ediderunt, de quibus infra agendum erit.

De exemptione, & priuilegijs monialium.

CAPVT IIII.

MAxima sollicitudine, & frequentibus precibus apud summos Pontifices institerunt Patres nostri, vt religio nostra Prædicatorum diuersis & multis gratiis, fauoribus, immunitatibus, & exemptionibus ditaretur, & potissimum, vt ab obedientia, subiectione, & correctione Ordinariorum, & aliorum prælatorum eximeretur, quod quidem Dei munere, & obtinuerunt, & maximis sudoribus conseruauerunt vsque ad nostra tempora. Laborauerunt insuper, vt eædem immunitates, & exemptiones monialibus nostræ curæ commissis communicarentur, quod & fuit impetratum, vt potissimum ex infra scriptis diplomatibus apparet.

Bonifacius 9. in suo priuilegio 4. indulget pro monialibus, vt infra. *Hinc est quod nos dilecti filij Magistri ordinis, & aliarum personarum ord. Præd. supplicationibus inclinati, ac fœlicis record. Nicolai 4. Benedicti 11. & nonnullorum aliorum Pontificum Romanorũ prædecessorum nostrorũ vestigiis inhærentes, ordinem ipsum, Magistrũ, Priores, & Fratres, præsentes, & futuros, nec non & quascumque sorores, domos, Monasteria, &c. quæ sub cura & regimine dicti ordinis fuerint pro tempore constituta, cum omnibus suis iuribus, & pertinentiis, quæ in præsenti obtinent & in futurũ obtinebunt iustis modis, ab iurisdictione, dominio, subiectione, & potestate, eximimus quorumlibet Ordinariorum, Prælatorum, ac personarum ecclesiasticarum, nec non à solutione cuiuscumque collectæ, pedagij, vel cuiuscumque alterius generis exactionum, de Apostolicæ sedis plenitudine, & ex certa scientia, ta-*

taliter liberamus, atq; in ius & proprietatem B. Petri, & sedis Apostolicę & sub eorum immediata protectione & nostra suscipimus, ita vt Ordinarij & prælati, se u quæuis alia persona in ea, vtpote exempta, generaliter, vel specialiter, communiter, vel diuisim, non possint quauis auctoritate, excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias promulgare, aut alias etiam ratione delicti, siuè contractus, vel rei de qua agitur, vbicumque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipsa consistat, potestatem seu iurisdictionem aliquam quomodolibet exercere, &c. Sixtus IV. in Bulla quam Auream vocant idem concedit, vt infra. *Et ne propter monasteria monialium sub cura, & institutis ordinum Prædicatorum, & minorum degentia, contingat eorumdem fratrum quietem turbari, motu, scientia, & auctoritate prædictis statuimus, vt huiusmodi monasteria, & loca, nec non Abbatissæ, & Priorissæ, & personæ prædictæ, eisdem priuilegiis, gratiis, immunitatibus, fauoribus, concessionibus, facultatibus, & indultis, tàm temporalibus, quàm spiritualibus prædictis fratrum Prædicatorum, & minorum ordinibus concessis, & in posterum concedendis quauis auctoritate, quatenus earum sexui & status non contradicant, liberè & licitè vti possint & debeant in omnibus & per omnia sine vlla differentia, ac si illis nominatim concessa sint, &c.* Leo X. In suo priuilegio primo similem communicationem concedit, vt infra. *Idcircò prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes; omnes, & singulas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, prerogatiuas, fauores, immunitates, exemptiones, priuilegia, indulta, tam spiritualia, quàm temporalia qualiacumque sint, quæ Minorum, eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, Seruorum B. Mariæ, ac Minimorum fratrum ordinibus, fratribus, locis, domibus, &c. & sororibus, siuè monialibus, à prædecessoribus nostris, aut etiam à nobis, & successoribus, coniunctim, vel diuisim, in genere, vel in specie, concessa sunt, aut in posterum concedentur, illa omnia & singula ac si nominatim exprimerentur pro sufficienter expressis habentes, dicto ordini Prædicatorum, & illius Ecclesiis, Magistro ordinis, Prioribus, fratribus, & sororibus, siue monialibus, motu proprio, non ad alicuius petitionis instantiam, ex nostra certa scientia, & liberalitate, de Apostolicæ auctoritatis plenitudine communicamus, de nouo concedimus, & suffragari volumus ac si eisdem nominatim, directè, & expressè concessa fuerint, &c.* Pius V. in bulla quæ incipit. Ad hoc nos Deus prætulit, &c. quæ apud Confectium est 3. idem concedit his grauissimis verbis. *Nec non omnia & singula priuilegia, concessiones, suppressiones, extinctiones, vniones, incorporationes, applicationes, immunitates, exemptiones, libertates, prærogatiuas, fauores, communicationes, indulgentias, & alias quascunque gratias, dicto ordini Prædicatorum, & eisdem pro tempore existentibus, Magistris, Prouincialibus, Prioribus, Fratribus, & Monialibus præfatis, ac illorum domibus locis ac Monasteriis, &c. per quoscunque Romanos Pontifices prędecessores nostros, ac nos, & sedem Apostolicam ac illius sedis Legatos, Vicelegatos, Episcopos, Ordinarios, sub quibuscunque tenoribus, & formulis verborum, &c. concessa, innouata, & approbata fuerunt, &c. Quæ omnia, & singula ac si de verbo ad verbum insererentur, &c. eisdem tenore, & auctoritate, &c. approbamus, innouamus, & confirmamus.*

Afferri solet contra hoc priuilegium Pij V. reuocatio illius promulgata à Gregorio XIII. eius successore, & illius reductio ad terminos iuris veteris & dispositionem sacri Concilij Tridentini. Verum hoc proposito non

non obstat, tum quia Gregorius reuocauit, ea tantum, quæ militant contra dictum Concilium, inter quæ non est cõnumeranda exemptio monialium à regimine & potestate Episcoporum, imo in eo approbatur, cum etiam quia multi Pontifices Gregorij XIII. successores confirmarunt priuilegia diuersarum religionum, quatenus sunt in vsu, & non obstant decretis. Concilij. Qua confirmatione per communicationem gaudent & nostræ moniales. Et Clem. VIII. eisdem conditionibus nostra priuilegia communiuit.

De Constitutionibus monialium.

CAPVT V.

QVoniam ex præcepto regulæ iubentur sorores habere cor vnum & animam vnam in domino, iustum est, vt quæ sub vna regula & vnius professionis voto viuunt, vniformes in obseruantia canonicæ religionis inueniantur, quatenus vnitatem, quæ interius seruanda est in cordibus, foueat & repræsentet vniformitas exterius seruata in moribus. Quod profecto eo competentius & plenius poterit seruari, si ea quæ agenda sunt scripto fuerint commendata, si omnibus qualiter sit viuendum scriptura teste innotescat, si mutare, vel addere, vel minuere, nulli quicquam propria voluntate liceat, ne si minima negligant paulatim defluant. Ad hoc tamen in Conuentu suo quæ præest dispensandi cum sororibus habeat potestatem, cum sibi aliquando viderit expedire, nisi in his in quibus Magister Ordinis, vel Prouincialis, aut Vicarius earum, ex causa aliter ordinarent. Priorissa etiam vtatur dispensationibus sicut aliæ sorores. Vt igitur vnitati & paci sororum prouideremus, librum istum quem Cõstitutionum appellamus diligenter conscripsimus per certa capita distinctum, vt quod quæritur facilius inueniatur. Declaramus autem quod Constitutiones non obligent sorores ad culpam, sed ad pœnam tantum, nisi propter præceptum, aut contemptum.

Copiose hæc omnia librata sunt in summatio fratrum parte prima.

De ædificiis.

CAPVT VI.

ÆDificia sororum sint humilia, curiositate vel superfluitate non notanda, & apponatur cura diligens, quod ordinentur officinæ, prout melius fieri poterit, pro religione seruanda. Ante omnia detur opera, quod clausura sit valde alta, & fortis, ita vt vel

egrediendi, vel ingrediendi per clausuram opportunitas nulla detur.

Inhibemus etiam sub pœna excommunicationis, ne aliqua det operam directè, vel indirectè, scienter, quod aliqua domus sororum construatur, vel constructa ordini fratrum Prædicatorum committatur, nisi prius super hoc habeatur consensus capituli generalis.

Bonifacius VIII. vt habetur in cap. cum ex eo, de excessu prælatorum inhibuit, *Ne aliqui ex ordine fratrum Prædic. siue Minorum, aut aliorum mendicantium, quibuscunque priuilegiis muniti existant, in aliqua ciuitate castro aut villa possint de nouo domos, aut loca recipere, aut recepta mutare, aut quoquomodo alienare, siue transferre, sine licentia sedis Apostolicæ, in qua de huiusmodi prohibitione expressa mentio fiat, & si secus egerint totum sit irritum, & inane.* At postea per varios summos Pontifices concessum fuit diuersis ordinibus, vt non obstante prædicta prohibitione possint fratres noua monasteria ædificare, aut ædificata pro suis vsibus recipere absque licentia prædicta. Verum Concilium Tridentinum in hoc manum apposuit, & Sess. 25. cap. 3. in fine statuit, vt similia loca regularium non erigantur sine licentia Episcopi, in cuius diœcesi erigenda sunt. Et Clemens VIII. præfigens modum Episcopis concedendi licentias istas statuit, vt si qui sunt alij religiosi in eo loco vbi noua ædificanda sunt, qui existiment se damnum esse passuros ex hoc, vocentur, & audiantur prius: quæ omnia fuse habes in summario Constitutionum fratrum parte prima cap. de domibus construendis.

Notandum tamen est in proposito decretum Conc. Trid. sess. 25. cap. 5. inhibens ne monasteria monialium existant extra mœnia ciuitatum hac verborum serie. *Et quia monasteria monialium extra mœnia ciuitatis vel oppidi constituta, malorum hominum prædæ, & aliis facinoribus, sine vlla sæpe custodia sunt exposita, curent Episcopi & alij superiores, si ita videbitur expedire, vt sanctimoniales ex eis ad noua vel antiqua monasteria intra vrbes vel oppida frequentia reducantur, inuocato etiam auxilio si opus fuerit brachij sæcularis. Impedientes vero, vel non obedientes, per censuras Ecclesiasticas parere compellant.*

In cap. Romano 1589. promulgata fuit quædam ordinatio per D. Protectorem ordinis, nomine S. D. Sixti V. circa ædificia facienda à fratribus, seu monialibus, quæ est huiusmodi. Sanctitas sua confirmat, & ordinat, si opus est, de nouo, quod alias etiam fuit ordinatum, &c. quod Priorissa non possit aliquod ædificium notabile inchoare sine assensu maioris partis matrum à consiliis, nec sine licentia Prouincialis, ac peritorum consilio, nec ædificia noua aggrediatur, quousque iam inchoata finita sint, & si Priorissa contra hoc agere præsumpserit, ipso facto excommunicationem incurrat, & officio priuetur; Vi autem prohibitionis huius non intenditur, quin possint inchoari illa ædificia quibus reparatur aliqua pars Conuentus collapsa, vel quæ ad ruinam tendat, vel quæ extra Conuentum fiunt, quibus annui census crescunt, dummodo etiam in istis, (si notabilia sunt) præcedat, & consensus, & licentia vt supra.

De ianuis, Cratibus, & fenestris monasteriorum.

CAPVT VII.

NOn sit in clausura sororum nisi vnum ostium fortè & bonum, quod cum duabus clauibus vel pluribus quantitate & forma diuersis claudatur, cum vna intus, & cum alia exterius. Interior autem custodiatur exterius vel intus secundum dispositionem Prouincialis, vel Vicarij eius, exterior intus secundum dispositionem Priorissæ, & Conuentus. Aptetur etiam in aliquo loco conuenienti ipsius clausuræ in muro inseparabiliter inhærens ipsi aliquod instrumentum rotundum, quod rotam vocamus, per quod ita possint res necessariæ dari, & recipi, quod dantes & accipientes possint nullatenus se videre. In ecclesia verò in aliquo loco intermedio inter sorores & exteriores, aptetur aliqua fenestra ferrata competentis magnitudinis, ad quam sermones fiant, & alio loco duæ fenestræ paruulæ ferratæ ad confessiones audiendas. Poterit etiam haberi aliquod locutorium ad loquendum cum extraneis in aliquo loco conuenienti, vbi aptetur fenestra ferrata simili modo sicut dictum est de fenestra maiori in Ecclesia ad prædicandum. Et ad hanc fenestram Ecclesiæ poterunt fieri locutiones cum extraneis, vbi huiusmodi locutorium non habetur. Porrò omnes supradictæ fenestræ aut fenestellæ ferratæ sic disponi debent, vel per duplicationem ferraturæ, vel per clauos acutos, quòd inter exteriores, & interiores nullus possit interuenire contactus. Item omnes fenestræ vel fenestellæ etiam rotæ debent interius habere ostia lignea bona cum clauibus diligenter firmanda. Præter supradictas fenestras nulla alia habeatur, nisi fortè causa loquendi vna alia similis fenestellæ confessionum in loco competenti de licentia Magistri aut Prouincialis concedatur.

In primis occurrit quædam Constitutio Gregorij XIII. edita pro clausura sanctimonialium, quæ incipit, Deo sacris, in qua prohibet ostia Ecclesiam versus, his verbis. *Declaramus nullis monialibus etiam tertiariis licere habere ostium, per quod ex monasterio introiri possit in Ecclesiam exteriorem, in quam sæcularibus pateat aditus, quod omnino obstruendum est, neque licere egredi à ianua monasterij quæ pro clausura est, ad claudendam alteram ianuam exteriorem, qua patere solet accessus sæcularibus venientibus ad rotas, siue crates, vel parlatoria, quia talia loca sunt extra clausuram.* In cap. Romano 1601. hæc nomine Sanctiss. Sancita fuerunt in proposito. In quolibet monasterio non permittantur plures crates ferreæ seu loca colloquiis destinata, quæ vulgo parlatoria vocantur, quam vna aut ad summum duæ, nisi monialium

numerus

numerus siue loci cõditio plures necessario exigeret; quod Ordinariorum arbitrio & conscientiæ relinquitur, & hæ nisi ad audiendum Dei verbum vbi omnes moniales conuenire solent, nullo modo in Ecclesijs siuè sacristijs sint, & si hucusque non fuerint clausæ, muro obstruantur. In sacristijs autem vna sit tantum rota, apta ad sacram suppellectilem introducendam, vel emittendam, & quoad fieri poterit arcta sit, & absque foramine, ex quo quid cerni possit. In monasterijs, in quibus vsque modo laminarum vsus non est introductus, ponantur in fenestris binæ crates ferreæ, introrsus altera, & altera extrorsus, & distinctæ adinuicem saltem per spacium duorum palmorum, vel totius crassitudinis muri, nec non spissæ & strictæ, ita vt nec puellæ manus per foramina transmitti possint. Collocutorium interius sit locus seris occlusus, in quem nulla monialium ingrediatur nisi vocata, & venia à sua Superiori impetrata, ibiquè auscultatrices huic muneri destinatæ semper adsint & assistant, quæ quidquid dicatur audire debent, nisi tale quid tractandũ sit quod secretũ postulet, quo casu de Priorissæ licentia cum propinquis vsque ad secundum consanguinitatis gradum permittatur agere, etiam remotis arbitris. Cum autem contingeret sęcularem aliquem aut regularem, siue Superior ille sit, siue Visitator, aut quouis munere fungens, in parlatoria ingredi vt moniales alloquatur, tunc fores parlatorij seu cubiculi in quo sunt crates & rotæ omnibus pateant, nec vllo modo quandiu ibi aliquis erit claudantur. Toto prandij tempore monasterij fores atquè adeo parlatoria & rotæ omnes dilig ẽter occludantur, nec vllo modo cuiquè etiam regulari pateant ad alloquendum aliuduè agendum. In fenestellis cõfessionalibus configãtur laminæ ferreæ cum minutis foraminibus, ne moniales quippiam spectare possint nec à quopiam spectari. Fenestella vnde Sanctiss. Eucharistiæ sacramentum moniales percipiunt alta sit dimidiato palmo, lata vero integro, quæ binis foriculis totidemque seris & clauibus forinsecus occludatur, & ad hanc mensuram & formam quamprimum vbiquè reducatur. Nulli ex monialibus personas Ecclesiasticas sæculares vel regulares aut laicas etiam consanguineas cuiuscunq; sexus ad fores monasterij alloqui, vel in eis apertis sistere, quacunque de causa liceat, nec fores huiusmodi aperiantur nisi ad introducendas vel emittendas personas vel res necessarias. Interdictum sit omnibus Confessarijs & alijs regularibus etiam superioribus, in cubiculis monasterij, ædibus, aut domibus monialium contiguis, pernoctare, sub pœnis priuationis vocis actiuæ & passiuæ & alijs arbitrariis. In cubiculis monasteriis contiguis, in quibus Cõfessarij Superiores & alij ministri ingredi & degere solent, nullæ sint fores, crates, rotæ, seu fenestellæ, aut quæcunque foramina, & si quæ sunt muro occludantur.

De clausura monialium.

CAPVT VIII.

BOnifacius VIII. primus omnium moniales hinc inde dispersas in suis clausit monasteriis, & per suam Cõstitutionem quæ incipit Periculoso,

statuit vt infra. *Præsenti constitutione perpetuò valitura sancimus, vniuersas moniales præsentes & futuras cuiuscunque ordinis in quibuslibet mundi partibus existentes, sub perpetua clausura in suis monasterijs debere permanere, ita quod nulli earum iam professæ liceat quacunq; causa monasteria egredi, nisi fortè tali ac tanto morbo euidenter laboraret, quod non posset cum alijs absque graui periculo aut scandalo commorari.*

Compendium priuilegiorum ord. minorũ verbo Clausura monialium, notat Benedictum XII. confirmasse hanc Constitution. his verbis.

Volentes Constitut. Bonifacij inuiolabiliter seruari, &c. mandamus quod nulli monialium tacitè vel expresse professæ, sit vel esse valeat quacumque ratione vel causa clausuram huiusmodi deinceps egrediendi facultas, nisi fortè causa plantandi aut ædificandi eandem religionem ad alium locum aliqua transmitterentur, vel fortè tanto ac tali morbo euidenter aliqua laborare constaret, quod non posset cum alijs absq; graui periculo aut scandalo commorari.

Idem compendium affert aliam constitut. Vrbani IV. huius seriei.

Omni tempore vitæ suæ moniales hanc regulam (.s. S. Claræ) profitentes clausæ manere firmiter teneantur infra murorum ambitum ad intrinsecam monasterij clausurã deputatum, nisi forsan (quod absit) superuenerit ineuitabilis & periculosa necessitas, sicut exustionis ignis, vel incursus hostilis, seu alicuius huiusmodi, quæ dilationem nullo modo caperet ad egrediendi licentiam postulandam. In quibus casibus transferant se sorores ad locum alium competentem, in quo quanto commodè fieri poterit clausæ morentur, quousque eis de monasterio prouideri possit, vel nisi aliquæ transmitterentur ad alium locum causa plantandi vel ædificandi aut reformandi religionem eiusdem ordinis, seu causa regiminis, aut correctionis, aut alterius valde euidentis & grauis dispendij, &c.

Postremo Concilium Tridentinum huic clausuræ validam manum apposuit, & sess. 25. de reg. cap. 5. ita statuit.

Bonifacij VIII. Constitutionem, quæ incipit Periculoso, innouans S. Synodus vniuersis Episcopis sub obtestatione diuini iudicij & interminatione maledictionis æternæ præcipit, vt in omnibus monasterijs sibi subiectis ordinaria, in alijs vero sedis Apostolicæ auctoritate clausuram sanctimonialium vbi violata fuerit diligenter restitui, & vbi inuiolata est conseruari maximè procurent. Inobedientes atque contradictores per censuras Ecclesiasticas aliasque pœnas quacunque appellatione postposita compescentes, inuocato etiam auxilio ad hoc, si opus fuerit, brachij sæcularis, quod auxilium vt præbeatur omnes Christianos principes hortatur S. Synodus, & sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda omnibus magistratibus sæcularibus iniungit, &c. Et post pauca subdit. *Nemini autem Sanctimonialium liceat post professionem exire à monasterio etiam ad breue tempus quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda, indultis quibuscunque & priuilegijs non obstantibus.* Pius V. pro corrobatione præfati decreti duas edidit Constitutiones, Quarum vna incipit Circa pastoralis officij, altera Decori & honestati, &c. In prima his verbis in substantia clausuram determinat. *Auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus atque perpetuò decernimus vniuersas & singulas moniales præsentes & futuras cuiuscumquè religionis &c. tacitè vel expressè professas religionem, etiam si conuersæ aut quocumque alio nomine nuncupentur, etiam si ex insti-*

tutis aut ex fundatione ad clausuram non teneantur, nec vnquam in earum monasterijs etiam ab immemorabili tempore ea seruata fuerit, sub perpetua clausura permanere debere, iuxta formam Constit. Bonifacij VIII. cap. Periculoso, & decretum Concilij Tridentini, quam & nos approbamus & innouamus in omnibus & per omnia, & illam districtè mandamus obseruari, quod si aliquæ moniales forsan reperiantur quæ consuetudine etiam immemorabili aut instituto vel fundatione regulæ suæ fretæ animo obstinato resistant, aut quoquo modo reluctentur, Ordinarij vna cum superioribus earum omnibus iuris & facti remedijs compellant tanquam rebelles & incorrigibiles ad præcisè subeundam clausuram & perpetuò obseruandam &c.

In alia vero constitutione quæ incipit Decori & honestati, idem statuit, & apponit excommunicationis pœnam his grauissimis verbis.

Volumus sancimus & ordinamus, nulli Abbatissarum siue Priorissarum aut aliarum monialium &c. etiam mendicantium, quorumcumque graduum, statuum, aut dignitatum, etiam à Regia & Illustri prosapia ortarum, de cætero, etiam infirmitatis siuè parentum aut consanguineorum visitandorum, aut domorum eis subiectarum, aliauè occasione & prætextu, nisi ex causa magni incendij, vel infirmitatis lepræ aut epidimiæ, quæ tamen infirmitas præter alios superiores ordinum quibus curamonialium incumbit, etiam per Episcopum seu alium loci ordinarium cognita & expressa in scriptis approbata sit, à præfatis Monasterijs exire licere, sed nec in prædictis casibus extra illa nisi ad necessarium tempus stare licere. Aliter egredientes siuè egrediendi licentiam concedentes, nec non comitantes, ac illarum receptatrices personas, siue laicas siue Ecclesiasticas, aut consanguineas, excommunicationis maioris latæ sententiæ vinculo statim eo ipso absque alia declaratione subiacere, à quo præterquam à Romano Pontifice nisi in mortis articulo absolui nequeant. Et insuper tam egressas quàm Superiores licentiam huiusmodi concedentes dignitatibus, officijs, administrationibus priuamus, & in posterum ad alia obtinenda inhabilitamus; Non obstantibus &c.
Extat etiam alia Constitutio Gregorij XIII. quæ incipit Deo Sacris, quæ eandem Constitutionem Bonifacij VIII. Decretũ Concilij, & Constit. Pij. V. innouauit, confirmauit, & inuiolabiliter obseruari mandauit.

De clausura conuersarum & Tertiarum.

CAPVT IX.

Conuersas siue Tertiarias professas ad clausuram seruandam teneri satis patere potest ex supra allegatis diplomatibus. Nam Bonifac. VIII. Vrbanus IV. Benedictus XII. & Concilium Tridentinum inhibent egressum omnibus monialibus professis, inter quas comprehenduntur etiam Conuersæ, quia & istæ anno probationis elapso professionem tacitè vel expresśè emittunt. Pius V. melius etiam se explicat eas nominans, & dicens, etiam si conuersæ sint, in sua Constit. Cura pastoralis. Et adhuc in eadem constit. subdit hæc. *Mulieres quoque & quæ Tertiariæ seu de pœnitentia dicuntur, cuiuscunque ordinis sint, in congregatione viuentes, si & ipsæ professæ fuerint ita vt solemne votum emiserint ad clausuram precisè, vt præmittitur, & ipsæ teneantur. Quod si votum solemne non emiserint, Ordinarij vna cum superioribus earum horten-*

tur & persuadere studeant vt illud emittant, & post professionem eidem clausuræ se subijciant, quod si recusauerint, & aliqua ex eis inuentæ fuerint scandalosè viuere, seuerissimè puniantur. Cæteris verò sic absque professione & clausura viuere omnino volentibus interdicimus ac in perpetuum prohibemus, ne in futurum aliam prorsus recipiant in religionem, quod si aliquas contra hoc decretum receperint, eas ad sic viuendum inhabiles reddimus, illarumque receptiones & professiones nullas esse decernimus. Porrò ne moniales propter hanc clausuram, detrimentum aut incommodum patiātur, & vt eis opportunè prouideatur, auctoritate Apostolica mandamus Ordinarijs & superioribus earum, vt curent colligi eleemosynas per cōuersas quę non sint professæ, vel si professæ fuerint sint ætatis annorū quadraginta, & in domibus contiguis, extra tamen Monasterium degant, & non ingrediantur clausuram aliarum monialium nisi in casibus ex earum Constitutionibus permissis, & de earum domo exire non possint pro eleemosynis colligendis, nisi de licentia Ordinarij vel earum superiorum, & de cætero nullæ aliæ conuersæ recipi possint etiam de assensu superiorum, quod si prædicto modo necessitatibus illarum prouisum non fuerit, mandamus ipsis Ordinarijs & superioribus, vt prouideant de alijs personis piis, quæ fidelium eleemosynas colligant, vel alias melius & commodiori modo quo fieri potest, etiam ex opere manuum ipsarum monialium prouideatur &c. Gregorius XIII. in Constit. Deo Sacris, hæc de cōuersis tradit. *Cæterum quod attinet ad conuersas professas, quas prædictus Pius V. in suis literis sub certis conditionibus ibi contentis permisit posse manere extra Monasteria pro colligendis eleemosynis; eisdem locorum Ordinarijs iniungimus, vt in Monasterijs quibus prouisum esse cognouerint, computatis etiam laboribus quotidianis, easdem conuersas sub eadem clausura cum alijs monialibus reducant, neque à suis Monasterijs amplius exire permittant. Conuersas vero non professas profiteri nolentes dimisso habitu domum remittant, neque alias in futurum nisi professionem suo tempore emissuras atque sub perpetua clausura mansuras recipi permittant, quod autem idem Pius V. statuit de cætero nullas alias conuersas professas recipi posse etiam de consensu Superiorum, esse intelligendum declaramus pręter s. illas quæ extra monasterium in domibus contiguis degerent.*

In cap. Romano 1601. de Conuersis dicitur. Monialibus professis, ipsisq; conuersis quæ infrà Monasterij clausuram degunt, non liceat inde egredi ad quæstuandum, siuè conquirendas eleemosynas, etiam sub prætextu quātumuis vrgentis necessitatis, nisi prius obtenta nominatim eius rei licentia ab ipsa Congregatione regularium. Quandiu autem ipsa quæstuandi necessitas durabit, nulla puella penitus in ipsis Monasteriis ad habitum regularem suscipiendum admittatur, etiam cum ipsius congregationis licentia, nisi in ea facta fuerit huiusmodi necessitatis & quæstuandi licentiæ expressa mentio.

Quando liceat monialibus clausuram exire.

CAPVT X.

CIrca egressum sororum è domibus summam adhibere volentes cautelam, interdicimus sub pœna anathematis, ne

vnquam aliqua sororum egrediatur clausuram, nisi propter periculum ignis vel ruinæ, vel latronum, vel malefactorum, aut similium euentuum, qui solent vergere in periculum mortis, nisi fortè de licentia Magistri ex causa aliqua cōtigerit aliquam transferri ad aliam domum faciendam aut factam.

Concilium Trid. sess. 25. cap. 5. in genere tantum loquitur & statuit. *Nemini autem sanctimonialium liceat post professionem exire à monasterio etiam ad breue tempus quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda. Non obstant.*

Quando autem aliqua causa pro legitima haberi possit, ex aliis concessionibus Apostolicis colligi debet. Bonifacius VIII. in Const. Periculoso, relata cap. de clausura monialium, prohibet egressum monialibus, nisi fortè tali ac tanto morbo euidenter laboraret, quod non posset cum aliis absque graui periculo aut scandalo commorari. Benedictus XII. ibidem relatus dicit, nisi fortè causa plantandi aut ædificandi eandem religionem. Et repetit causam à Bonifacio approbatam .s. pro graui morbo. Vrbanus IV. ibidem adductus dicit, nisi superuenerit periculosa necessitas, sicut exustionis ignis, vel incursus hostilis, seu alicuius huiusmodi, quæ dilationem non patiatur. Pius V. in Const. Decori. has exprimit causas, nisi ex causa magni incendij, vel infirmitatis lepræ, aut Epidimiæ. Iullius II. in suo priuilegio 2. concedit Magistro Ordinis talem gratiam. *Moniales infirmas ad balnea de consilio medici cum honesta societate sororum licentiare possit, ita tamen quod nulla sit omnino inhonestatis suspicio, vagationis aut luxus.* Nunc tamen ob Decretum Concilij hæ & aliæ causæ per Episcopum approbandæ sunt.

Conc. Trid. sess. 25. c. 7. disponit, quod si in aliquo monasterio nulla sit monialis ad regimen monasterij apta iuxta conditiones ibidem expositas, electrices possunt aliam ex alio monasterio eiusdem ordinis sibi in præfectam eligere. Et hoc consonat cōcessioni Vrbani IV. qui dicit loco citato, posse vnam monialem transferri ab vno monasterio ad aliud causa reformandi illud, & causa regiminis, aut correctionis, aut alterius grauis dispendij. In his vero casibus notandum est id quod dicit prædictus Vrbanus IV. *In quibus casibus (.s. incendij &c.) transferant se sorores in vnum locum competentem, in quantum commodè fieri possit clausa maneant, quousque eis de monasterio prouideatur.* Et Pius V. addit. *Et in prædictis casibus .s. incendij, lepræ, & Epidimiæ, extra monasterium stare non licet nisi ad necessarium tempus.*

In cap. autem Romano 1601. inter alias ordinationes editas nomine S. D. Papæ circa moniales hæc habetur. Nulli sacerdoti siue sæculari siue regulari liceat moniales exorcizare absque expressa congregationis licentia, quę dum conceditur, fiat exorcismus à sacerdotibus idoneis, nominatimque ad hoc munus per loci Ordinarium approbatis, idque in exteriori monasterij ecclesia, ianuis tamen clausis, adhibitisque si fieri potest monialis exorcizandæ nonnullis consanguineis, alijsq; personis timoratæ conscientiæ, & spectatæ pietatis. Peracto autem exorcismo, ipsa monialis continuò in monasterio reducatur. An vero & quando licentia concedi debeat monia-

libus conuersis pro conquirendis eleemosynis dictum est satis cap. præcedenti.

De ingressu in monasteria monialium.

CAPVT XI.

LEgem statuit Conc. Trid. super hoc sess. 25. cap. 5. in hunc modũ. *Ingredi autem septa monasterij nemini liceat, cuiuscunque generis aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint, sine Episcopi vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. Dare autem licentiam tantum Episcopus vel superior debet in casibus necessarijs, neq; alias vllo modo possit, etiam vigore cuiuscumque facultatis vel indulti hactenus concessi vel in posterum concedendi.*

Et quia multæ personæ nobiles ac illustres quarundam licentiarum vigore faciliter ingressum petebant, Gregorius XIII. huic inconuenienti prouidens. Const. edidit, quæ incipit vbi gratiæ & indulta, &c. qua prohibuit summarie ingressum vt infra.

Proinde Sanctimonialium quieti consulere volentes, auctoritate præsentium reuocamus & abolemus omnes licentias ingrediendi monasteria monialium quibusuis, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, & alijs quibuscunque mulieribus, ac viris quibuscunque &c. à prædecessoribus nostris & à S. sede, vel alijs quibuscunque, sub quibusuis tenoribus concessis, etiam cum derogatoriis &c. etiam ad contemplationem Regum vel Imperatoum confirmatas &c. inhibentes eisdem qui illas obtinuerunt sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, super qua à nemine nisi à Romano Pontifice præterquam in mortis articulo absolutionis beneficium possit impartiri, nè ipsarum licentiarum prætextu monasteria quouismodo ingredi audeant &c. Abbatissis verò nec non Abbatibus ac alijs vtriusque sexus superioribus, sub eadem excommunicationis pœna, necnon priuationis officiorum &c. & inhabilitationis &c. districtè præcipimus, ne in monasteria sua quemquam prætextu huiusmodi licentiarum ingredi faciant aut permittant. Quinetiam sub eisdem pœnis ipso facto incurrendis, interdicimus omnibus & quibuscunque personis Ecclesiasticis Sæcularibus ac Regularibus, etiam mendicantibus &c. ne prætextu licentiarum ab Episcopis vel superioribus quibus illas concedendi in casibus necessarijs tantum ex decreto Concilij facultas tribuitur, monasteria monialium pro libito, sed pro necessitatibus vrgentibus duntaxat ingredi præsumant, neuè moniales sub eisdem pœnis tales admittant. Non obstantibus quibuscunque &c.

Quæ desiderari possunt pro dilucidatione prædictorum habentur in 4. parte summarij cap. de pœnis infligendis ingredientibus monasteria. Vbi potissimum annotatur Grego. XIII. declarasse nedum pœnam excommucationis incurrere eos qui ingrediuntur clausuram prætextu licentiarum, sed etiam introeuntes absque huiusmodi prætextu. Quod fundamentum etiam habet in prædicto Concilij Decreto, licet in eo non reseruetur absolutio prout reseruatur in bulla. Rodericus vero tomo 1. quæst. Regul. q. 46. art. 1. obseruat non peccare moniales introducentes infantes, quia ipsi nec peccare possunt cum careant vsu rationis, nec eas ad peccandum incitare

possunt. Secus autem tenendum est de fatuis & amentibus, quia quamuis non possint peccare ob amentiam, possunt tamen alias ad peccatum incitare. Existimarem autem neque in infantibus passim id admitti, quia posset esse aliqualis occasio peccandi monialibus, etiam si ipsi peccati & censuræ capaces non sint. Paulus Comitolus lib. de Censuris cap. 22. refert vidisse literas scriptas ab Illustriss. Cardinali S. Seuerini summo pœnitētiario Episcopo Perusino, continentes moniales infantes introducentes excommunicationem incurrere ex voto Clementis VIII. Vrget autem necessitas introeundi monasteria & Prælatis earum & Confessarijs ac artificibus, de quibus singulariter dicendum est.

De ingressu Prælatorum.

CAPVT XII.

MAgister Ordinis, Prior Prouincialis, vel Visitator ad hoc missus, causa visitationis ingredi poterit, cum societate fratrum matura interdum, sed rarò. Regem verò vel Reginam, Metropolitanum vel Diœcesanum, vel Legatum, vel Cardinalem, vel Papam, vel patronum siue patronam, si ab initio fundationis eis cōcessum fuerit, licebit ingredi cum societate honesta, & moderata, vbi vsque modo fuerit huiusmodi consuetudo.

De Regibus, Reginis, Metropolitanis, Diœcesano, & Patronis, non erit hic sermo, sed de Prælatis sub quorum cura moniales existunt. Illi enim clausuram seruare tenentur sub pœna excommunicationis iuxta ea quæ capite præcedenti dicta sunt. De superioribus igitur Gregorius XIII. ita disposuit in bulla quæ incipit dubia quæ emergunt.

Cum fuerit prouisum nè cui in posterum, nisi in casibus necessarijs, septa monialium ingredi licentia concederetur, & à nonnullis dubitatum esse sciamus circa personas quæ alterius licentia non indigent, an liceat eis pro libito suæ voluntatis septa prædicta ingredi, vel potius seruare debeant regulam à Concilio præscriptam, nos quieti conscientiæ monialium consulere volentes, Apostolica auctoritate declaramus, Prælatos omnes tàm sæculares quàm regulares quibus cura monialium incūmbit facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria ita vti posse, si id faciant in casibus necessarijs tantum, & à paucis, hisq; senioribus ac religiosis personis comitati. Quò circa vniuersos Prælatos Priores & alios quoscunq; Superiores regulares &c. monemus serio, vt facultate huiusmodi præterquam in casibus necessarijs neutiquam vtantur. Quod si contrafecerint, si regulares fuerint, omni officio & ministerio priuentur, & excommunicationi subiacere declaramus &c.

Ex his habemus Prælatos non posse ingredi monasteria monialium, nisi ob causas necessarias siue vrgentes: quales autem sint causæ istę, ex his non habetur, & alibi colligendæ sunt. Rodericus tomo 1. quæst. regul. q. 47. art. 7. refert Vrbanum IV. in declaratione regulæ S. Claræ ita declarasse. *Lici-*

tum esse declaramus Ministro Generali ord. Minorum quando celebrare voluerit aut proponere Dei verbum, cum quatuor aut quinque fratribus eiusdem ord. intra clausuram ingredi, si ei expedire videbitur. Visitatores vero monialium possunt ingredi ad tenendas visitationes, vel aliquid simile tangens suum officium quod de foris nequit fieri. Et tunc cum duobus religiosis idoneis & exemplaribus socijs, & non cum pluribus, Qui socij simul maneant, & dum intra clausuram erunt ab inuicem nullatenus separentur.

In cap. Romano 1583. dicitur. Infra septa monasterij nullus superior ingrediatur, neque Visitatores, præterquam durante visitatione, seu alias in casibus necessariis iuxta decretum Concilij & Bullas summorum Pontificum, & tunc assumptis duobus sociis maturæ ætatis & illius Conuentus grauioribus. Hæc ordinatio cum alijs habetur impressa separatim ab aliis actis capituli. Post Concilium Tridentinum non est admittendus pro celebranda Missa, aut prædicando Dei verbo, quia hęc fieri possunt commode in Ecclesia exteriori. An vero occasione celebrandi pro monialibus infirmis licitus sit ingressus, dicetur cap. sequenti. Visitatores verò cum introeunt causa visitationis nedum proponere tenentur Dei verbum in capitulo, sed etiam debent cellas visitare inquirendo an aliquid teneant sorores contra statum religiosę paupertatis, an rotæ, fenestrę, crates, ostia, ex interiori parte sint firmę, stabiles, & infractæ, & in fine visitationis debent pœnitentias, disciplinas, & alias pœnas imponere, quæ existimantur causæ necessariæ, ideo illis ingressus conceditur cum sociis vt supra. Ex vsu. Sunt aliqui Episcopi, qui vigore Concilij existimāt licitè intrare posse septa monasteriorum monialium exemptarum quæ sub cura regularium degunt, vt inuigilent super clausura, sed in hoc p. posito consideranda sunt Concilij verba, quæ huiusmodi sunt sess. 25. de regul. cap. 5. *S. Synodus vniuersis Episcopis sub obtestatione diuini iudicij & interminatione maledictionis æternæ præcipit, vt in monasterijs sibi subiectis ordinaria, in alijs vero sedis Apostolicæ auctoritate, clausuram Sanctimonialium vbi violata fuerit diligenter restitui, & vbi inuiolata est conseruari maximè procurent &c.*

Ex quibus verbis non existimo posse colligi Episcopum in monasterijs sibi non subiectis pro libito prætextu conseruandæ clausuræ posse illa intrare, imo nec semel in principio sui regiminis, nisi quando aliquam rationabilem suspicionem haberet, quod aliqua ex parte violata clausura fuisset. Ita censet Rodericus tomo 2 qu 47. artic. 10. Annotare tamen debent prælati non licere eis intrare monasteria pro electione Priorissæ celebranda, ob decretum Conc. Trid. sess. 25. cap. 7. quod habet hæc verba.

Is vero qui electioni præest Episcopus, siue alius superior, claustra monasterij non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestellam vota singularum audiat vel accipiat. Neque etiā ingredi debent vt examinent nouitias quæ in proximo professionē debēt emittere, etiam si aliquā sit suspicio quod non spōte profiteri velint à monialib. inductę. Quo casu seruetur decretū Cōgregat. Concilij quod est.

Virgines à quibus professio emittenda est, si clausura monasterij facta est, Episcopus ab ingressu abstineat, si autem habet causam iustam & certam suspicionis, in Ecclesia exteriori monasterij vel alia fiat examen.

De ingreſſu Confeſſariorum.

CAPVT XIII.

SI aliquam ita infirmari contigerit quod ad locum conſuetum communionis venire non poſſit, ſi oportuerit eam communicari; ſacerdos in ſuperpelliceo cum ſtola Corpus Chriſti deferens reuerenter, præcedentibus eum duabus ſororibus cum cereis & vna cum aqua benedicta, & alia campanulam deferente, aſſociantibus nihilominus aliquibus de maturioribus ſororibus, ad infirmariam vadat, & infirmam communicet, prout in ordinario continetur. Si autem aliqua ſoror infirmatur in tantum quod eam inungi oporteat, tunc ſacerdos indutus vt ſupra de communione dictum eſt, oleum ſacræ vnctionis deferat, & vna ſorore Crucem portante præcedentibus duabus cum cereis ad infirmariam vadat, & totus Conuentus proceſſionaliter antecedat. Intrans autem Sacerdos infirmariam dicat, Pax huic domui & cętera fiant ſicut notatum eſt in ordinario, ita tamen quod abſterſiones cum ſtupis fiant à Prioriſſa, vel alia ſorore cui iniunxerit. Cauendum eſt autem ne faciliter multiplicentur ingreſſus, modo cauſa communionis, modo cauſa vnctionis, ſine magna neceſſitate, ſed ſimul fiat vtrumque. Cum autem ſimul communicari & inungi aliquam oportuerit, ſoror aliqua Crucem portet, & frater vel ſocius ſacram deferat vnctionem, & primo fiat communio, deindè vnctio. Et in iſto caſu ſemper remaneat Conuentus in infirmaria vſque ad completionem officij. Porrò vbi copia miniſtrorum upradictorum non habetur in promptu, vel propter neceſſitatem feſtinare oportet, omiſſa ſolemnitate prædicta & miniſtris & apparatu fiat ſicut fieri poteſt bono modo.

Quanto præſtantior eſt anima corpore, tanto etiam diligentius procuranda eſt ſalus animæ ſupra ſalutem corporis. Et ſi ob corporis neceſſitates vrgentes introire monaſteria licet, multo magis id licebit Confeſſariis qui curæ animarum monialium deputati ſunt. Quales autem ſint iſtæ vrgentes cauſæ ex conceſſionibus Apoſtolicis perquirendum eſt.

Rodericus Tomo primo quæſt. regul. q. 47. art. 4. colligit has cauſas. Et primo dicit licere confeſſario introire clauſuram pro audienda confeſſione monialis infirmæ quæ commodè ad cratem venire cum aliis non poteſt, & refert Vrbanum quartum in declaratione regulæ S. Claræ id conceſſiſſe his verbis.

Cum aliqua ſoror tantæ fuerit infirmitatis quod ad locutorium commode venire non poteſt, & habet neceſſitatem confitendi vel ſumendi Corpus Chriſti, Confeſſor vel Vi-

carius introeat, ita tamen quod exhibiturus huiusmodi Sacramenta alba, stola, & manipulo, cum duobus religiosis sociis vel vno ad minus alba vel saltem superpelliceo indutis ingrediatur, & morentur induti, & tradito Sacramento induti egrediantur nec moram faciant, & nullatenus se separent quin semper mutuo se prospicere possint. Ex qua concessione colligit Rodericus ibidem socium ingredientis confessarij debere esse clericum, cum soli clerici non laici vtantur superpelliceo & alba. Et quia in hac concessione non exprimitur qualis sit necessitas vt Confessarius pro audienda confessione ingrediatur, aliam adducit gratiam ab Adriano VI factam huiusmodi tenoris. *Quia interdum accidit moniales vestræ curæ subiectas (.s. Generali ordinis minorum) diuturna infirmitate laborare, & quandoque per annum & biennium ita morbo laborare, vt pro receptione sacramentorum ad cratem communem accedere non valeant, & spirituali consolatione priuentur qua cæteræ moniales quintadecima qualibet die recreari solent .s. susceptione sanctæ Eucharistiæ, cumque Confessores ex eo quod non sint in necessitate seu articulo mortis constitutæ absque scrupulo ingredi monasterium non audeant, petitioni monialium annuentes &c. vobis & Confessoribus per vos deputatis, pro eisdem causis, & aliis necessariis occurrentibus ingredi clausuram, possitis auctoritate Apostolica concedimus.*

Et cum in cap. Cum infirmitas. De pœnit. & remissio. peccatorum. imponatur medicis, vt infirmos ad quos curandos vocati sunt moneant, vt prius spiritualem animæ medicum petant, à quo per absolutionem curentur ab infirmitatibus animæ, quod & Pius V. quadam sua Constitutione confirmauit, graues comminando pœnas medicis, si in confessos curant, hinc sequitur quod infirmitas corporalis, Si causa sufficiens est vt medicus corporalis septa monasterij ingrediatur, est etiam causa necessaria vt Confessarius qui est medicus spiritualis ingrediatur pro audienda confessione.

Pro administranda etiam sacra Eucharistia his qui ad communem fenestellam accedere non possunt, Confessarij introire valent tempore necessitatis ex concessione Leonis X. quæ huiusmodi est. *Cum moniales Sanctæ Claræ infirmantur taliter quod non possunt ad cratem venire ad audiēdam missam, potest illo tempore Confessor earum vel Prælatus introire clausuram ad celebrandum in infirmaria, ne tales moniales remaneant sine missa, dūmodo ad alia loca non diuertat, nec vltra tempus necessarium in ea moretur, neque cum aliqua loquatur, nisi de his quæ ad missam pertinent.* Hanc gratiam exponit Rodericus esse intelligendam quando post missam monialis infirma corpore domini reficienda est. nam indecens videtur vt Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, quod iuxta sanctiones Concilij Tridentini non in Ecclesia interiori monialium seruandum est, sed in exteriori, portetur à sacerdote ab Ecclesia ad ianuam conuentus cum vno socio tantum, aut quod ponatur super rotam quousque confessor introierit, & inde ex rota deferat ad infirmam, quibus in decentiis occurritur, si missa infra septa monasterij celebretur, & infirma recreetur spiritualiter missam audiendo. Hoc tamen obseruandum est quando in infirmaria locus est condecens ad celebrandum institutus. Veruntamen in cap. Romano 1601. statuitur etiam nomine S. D. Papæ, quatenus in-

tra septa monasterij missa nullo modo celebretur.

Ad inungendas autem moniales infirmas in periculo mortis existentes difficiles non se debent Confessarij exhibere, cum & hæc vnctio sit sacramentum Ecclesiæ, & hoc etiam habetur in specie concessum ab Vrbano IV. monialibus S. Claræ, qui statuit Confessorem ingredi posse pro audienda confessione, & pro ministranda Eucharistia, nec non ad conferendum alia Sacramenta, quod vltimum verbum non nisi de sacramento extremæ vnctionis intelligendum est. Pro Sacramento enim confirmationis non intrat Confessor sed Episcopus, & potest monialis confirmari ad fenestellam communionis.

Pro exequiis funerum licitus etiam est ingressus, vnde Romæ 1583. statutum fuit. In exequiis monialium quando earum corpora sepulturæ sunt tradenda, ingrediantur ad sepeliendum solum qui necessarij fuerint, sed vestibus sacris induti, & non aliter, neque permittantur sæcularium cadauera infra clausuram monialium sepeliri.

Rodericus loco citato refert Paulum III. concessisse fratrib minoribus, & monialibus Sanctæ Claræ vt pro exequiis illarum possint sex fratres induti vt supra intrare. Addit etiam concessum fuisse per Vrbanum IV. Vicario monialium, vt possit introire pro commendatione animæ in eius exhalatione, quod quidem etiam rationabile videtur, cum eo tempore diabolus fortius insurgat suis tentationibus.

De ingressu artificum.

CAPVT XIV.

SI oportuerit infra terminos sororum aliqua opera fieri necessaria, poterunt intrare operarij aliqui, de licentia Prouincialis, vel Vicarij: & tunc Priorissa, Suppriorissa, & Procuratrix, vel aliæ tres de antiquis & maturis ad hoc deputatæ operariis loqui poterunt, ita tamen quod vna ab aliis duabus audiatur, aliæ vero nullo modo cum eis loquantur nec ad eos accedant.

Vrbanus IV. in declaratione regulæ S. Claræ prout refert compendium priuilegiorum ord. mino. verbo, Ingredi monasteria, censuit infrascriptos posse intrare, qui sunt Medicus & minutor causa multum grauis infirmitatis. Aliqui ad fodiendam vel aperiendam sepultúram seu postmodum coaptandam si Priorissæ, & Conuentui visum fuerit propter imbecillitatem sororum. Aliqui occasione incendij, vel ruinæ, vel alterius periculi, vel dispendij, seu pro tuendis monialibus à violentia quorumlibet, & pro aliquo opere exercendo, quod commodè extra monasterium fieri non potest. Qui omnes expedito suo negocio & imminenti necessitati satisfacto exeant sine mora. Nulli tamen liceat intra clausuram comedere aut dormire. Notat Rodericus illa verba, & pro aliquo opere quod commodè intra monasterium fieri non potest, & dicit, aliquod opus non potest

commode fieri ob laborem, vt plantatio arborum, portare onera, & similia, quandoque non ex labore sed ex industria, vt scindere ligna pro capsa fabricanda, dealbare parietes &c.

Aduertere tamen debent Prælati vt nunquam concedatur licentia Patri, vel, Matri, aut aliis consanguineis, intrandi clausuram ad visitandas filias moniales, aut sorores, etiam causa cuiuscunque infirmitatis, etiam cum periculo mortis: ita enim decreuit Congregatio Sacra Concilij.

Non potest Episcopus concedere facultatem ingrediendi clausuram Matri Sorori ac aliis consanguineis causa visitandi filiam in monasterio existentem graui morbo laborantem, etiam si sit in periculo mortis, & multo minus quando habitum susceptura est vel professionem emissura.

De monialibus Comitatricibus ingredientium.

CAPVT XV.

QVando aliquis prædictorum ingreditur, Priorissa cum tribus antiquioribus eum semper comitetur. Aliæ vero non discurrant, sed sint in capitulo vel in Ecclesia, vel in alio loco honesto, præter illas quę necessario occupantur in aliquibus officiis, donec extra domum regressus fuerit. Nulla loquatur cum aliquo ingredientium seorsum ab aliis, nisi fortè cum aliquo prædictorũ qui possunt & debent intrare, & hoc de licentia Priorissæ, & excepta Priorissa, & tribus senioribus ad hoc deputatis. Priorissa & tres aliæ simul stent, & simul vadant, vel binæ, & binæ, nec aliqua aliarum loquatur cum alienis, nisi præsente & audiente aliqua prædictarum. Loquatur autem cum aliis quos ex aliqua causa contigerit ingredi, de expedientibus breuiter & succinctè. Si vero operarij quicumque intrauerint, Priorissa, Suppriorissa, & Procuratrix, vel aliæ tres de antiquis & maturis ad hoc deputatæ, operarios comitentur, &c.

Romæ 1601. ita ordinatum fuit. Comitantes Confessarios, Medicos, Chirurgos, & alios qui ex necessitate intra Claustra pro tempore sunt admittendi, quadraginta annis non paucioribus natæ sint, & semper dictas personas comitentur, vt ingressi fuerint.

De licentiis concedendis pro ingressu.

CAPVT XVI.

COncilium Trid. sess. 25. cap. 5. disponit vt infra.

Dare autem licentiam tantum Episcopus vel Superior debet in casibus necessariis, nec in aliis vllo modo possit, etiam vigore cuiuscunque facultatis vel indulti hactenus concessi vel in posterum concedendi.

Et quia multæ personæ nobiles vt Ducissæ, Comitissæ &c. prætextu licentiarum iam habitarum monasteria ingrediebantur, Gregorius 13. reuocauit omnes huiusmodi facultates, & prohibuit sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, ne aliqua ingrederetur aut à monialibus admitteretur.

Notandum est ex Roderico illam distinctionem (Episcopus, vel Superior) non habere hunc sensum vt vbicumque & in quibuscumque monasteriis sufficiat licentia Episcopi aut Superioris, sed singula singulis referenda sunt, idest Episcopis cōuenit dare licentiam pro ingressu in monasteriis sibi subditis, & Superioribus regularibus pro ingressu suorum monasteriorum, & iuxta hanc doctrinam sacra Congregatio Concilij declarauit in hunc modum.

Congregatio Concilij censuit licentiam ingrediendi septa monasteriorum monialium in causis necessariis quo ad monasteria regularibus subiecta pertinere tantum ad Superiores regulares.

Postea vero Congregatio Regularium statuit vt nedum Superior regularis, sed etiam Episcopus in monasteriis regularium copulatiuè non disiunctiuè licentiam concederet. Ita enim habetur in capitulo Romano 1601.

Obseruetur decretum sac. Congregationis, ne sæculares accedant ad monasteria monialium sine licentia Ordinarij & Superioris regularis, nec à solis Superioribus regularibus concedantur huiusmodi licentiæ, nec etiam generales pro ministris, seruis, & aliis personis necessariis, ingrediendi monasteria.

De Puellarum ingressis pro educatione.

CAPVT XVII.

Videbitur forsan alicui harum puellarum ingressum obstare decreto Concilij Trid. statuenti, vt nulli concedatur ingressus, nisi pro causis necessariis & vrgentibus, cum monialibus nulla immineat necessitas vt puellas educandas recipiant. Veruntamen habetur decretum Sacræ Congregationis Concilij directum Episcopo Hieracensi, quo declaratur nullo Concilij decreto prohiberi quo minus puellæ in monasteriis educentur, si tamen eadem monasteria ante Concilium consueuerunt huiusmodi puellas recipere, & à Superioribus monasteriorum licentiam impetrauerint. Et Romæ 1601. ita ordinatur. Non recipiantur puellæ educationis causa in monasteriis, nisi de licentia Congregationis, obseruatis conditionibus in licentia contentis: Et si alicubi introductæ sunt sine licentiâ aut non seruatis illis conditionibus emittantur.

Conditiones quæ apponi solent in licentiis hæ sunt.

Vt monasterium in quo recipiendæ sunt consueuerit puellas educandas recipere.

De consensu Priorissæ & conuentus, & non aliter recipiantur.

Non minor octo annis recipiatur, nec vltra vigesimum quintum retineatur.

Nullam ancillam secum ducere permittatur.

Introductæ eo vestitu vtantur qui modestiæ virginali & honestati conueniat.

Ad eandem clauſuræ legem ſeruandam teneantur ſicut & aliæ moniales. Semel à monaſterio egreſſæ nunquam in eodem monaſterio amplius intromittantur, niſi infirmitatis curandæ cauſa & cum licentia egreſſę fuerint.

Ex Roderico tomo 1. reg. q. q. 46. ar. 10. habētur iſtæ conditiones. Puellæ exiſtentes in monaſterio educandæ reſtituantur Patri quandocumque eas petierit. Egreſſæ infirmitatis cauſa non recipiantur ſine licentia Superioris de conſenſu Prioriſſæ & Conuentus. Si puella educanda habitum religionis petierit, cum ad annum tertium decimum aut quartum decimum peruenerit, emittatur, quæ ſi poſtea religionem petierit, recipiatur ad habitum, ſi autem renuerit, non amplius recipiatur. Romæ autem 1601. ordinatum fuit vt mulieres quæcumque illæ ſint ingredi volentes vt in monaſteriis viuant, non recipiantur ſine licentia Congregationis, & aliter receptæ eiiciantur.

De Cubiculis Confeſſariorum.

CAPVT XVIII.

ROmæ 1601. mandato D. Papæ hæc ordinata fuerunt. Interdictum ſit omnibus Confeſſariis monialium ac aliis regularibus etiam Superioribus, in cubiculis, ædibus, ſeu domibus monaſteriis monialibus contiguis pernoctare, vel alios pernoctare facere, vel alias ſecum retinere, nec liceat Confeſſariis tam ordinariis, quam extraordinariis, apud moniales in cubiculis parlatorij, vel aliis ædibus monaſterio cōiunctis comedere, aut cibũ ſumere, nec ab ipſis hac de cauſa aliquid accipere, niſi tempore generalium confeſſionum, cum habitatio Confeſſorum à monaſterio nimis diſtat, quo caſu vbi conſueuit refectionem recipere poterunt diurnam, & famuli laici qui factores monaſterij vocantur prandium parent ex cibariis communibus, non autem moniales. Ea autem cibaria nil omnino habeant ſuperflui, ſed vno aut altero tantum ferculo conſtent. Et quoniam hoc modo eximuntur moniales à cura Confeſſariorum, vel etiam Superiorũ, in his quæ ad victum pertinent, prohibetur ne in poſterum deputentur moniales huic muneri, & nomen ac officium earum quæ hoſpitalares vocantur abolemus. Cum contigerit Confeſſarios ad monaſteria accedere, ſecum ducāt ſocios ex ſenioribus, quibus non liceat alloqui moniales, nec ſe abſentent ab oculis illius, & alloquentes in pœnam incidant decreti. Confeſſarij, Superiores ac alij regulares, occaſione ſuſceptionis habitus, aut profeſſionis emittendæ nil prorſus ſub quouis prætextu recipiant nec à monialibus, nec ab aliis quacumquè conſuetudine non obſtante. Vbi vero fuerit conſuetudo dandi aliquod Confeſſariis ſeu Cappellanis, pro illorum labore ſtatuatur à Prioriſſis æqua, & idonea eleemoſyna, quæ ære communi monaſterij ſoluatur Superioribus, non autem ipſis Confeſſariis ſeu Cappellanis, quibus nunquam licebit aliquid accipere, & eiſdem omnis viciſſitudo munerum quantumuis exigui valoris omnino interdicta ſit, iuxta Bullam

Clementis 8. de munerum largitione. In cubiculis Confessariorum vel ædibus in quibus Superiores ac laboratores seu factores degere solent, nullæ sint inter ipsos & moniales, fores, crates, parlatoria, vel fenestellæ, aut quæcumque foramina. Et si quæ sunt, muro obstruantur.

De Confessorum institutione, & officio.

CAPVT XIX.

COmmunio poterit fieri in anno quindecim vicibus, in diebus quibus visum fuerit fratribus curam habentibus illarum, dummodo ad præparandum se copiam Confessoris habere possint.

Nullus monialibus assignetur Confessor, nisi sit sufficientis ętatis & vitæ exemplaris. Valleoleti 1605. Et in cap. Romano 1589. auctoritate Apostolica statuitur, vt nullus admittatur ad audientiam confessionum tàm fratrum, quam secularium, nisi per quinque examinatores, aut si tot non suppetant, per tres ad minus sufficiens iudicatus fuerit. Quibus examinatoribus mandatur sub præcepto formali & pœna excommunicationis latæ sententiæ, vt per vota secreta dantes sua suffragia idoneos tantum admittant & insufficientes excludant. quod videtur etiam seruandum in examine Confessorum monialium. In cap. Romano 1569. dicitur. Confessores monialium habeant præfixum tempus duorum, vel trium annorum, quo completo alij subrogentur illorum loco. In cap. vero Romano 1583. dicitur, quod non permaneant in officio nisi per biennium. & Romæ 1601. statuitur, vt amoueantur completo triennio. Romæ 1589. dicitur. Confessores monialium eisdem missam celebrent, & pro capellanis deseruiant, neque alij admittantur, nisi vbi fuerint aliquæ capellaniæ institutæ, vel Cōfessores præ senio pro capellanis seruire non possint, aut etiam si ob consuetudinem plures missæ in ea Ecclesia celebrari debeant, tunc enim alij asciscí poterunt, quibus tamen non licebit moniales alloqui sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, siuè regulares nostri ordinis, siuè clerici sæculares sint. Nulla monialis, vel quæuis alia persona quæ non sit de monasterio, audeat sine licentia Superioris alias priuatas missas sibi celebrare facere in Ecclesiis monialium, præter eas quæ à cappellanis deputatis communibus expensis monasterij sunt celebrandæ. Romæ 1589. mandatur Cōfessariis sub pœna grauioris culpæ, vt quascumque eleemosynas sibi promissis datas ac illarum numerum infra terminum vnius diei à receptione teneantur Prælatis suis manifestare.

De confessione autem & communione monialium habetur decretum Conc. Trid sess. 25. cap. 10. quod ita habet.

Attendant diligenter Episcopi & alij Superiores monialium, vt iuxta suas constitutiones admoneantur, quod saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, & Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant, & eo se salutari præsidio muniant

ad omnes oppugnationes dæmonis fortiter superandas. Præter ordinarium autem Confessarium alius extraordinarius ab Episcopo & aliis Superioribus bis aut ter in anno offeratur.

Romæ 1601. dicitur. Confessores extraordinarij omnino monialibus assignentur, iuxta decretum Concilij Trident. Et Valleoleti 1601. additur. Quod si alicui moniali ob peculiarem & spiritualem necessitatem aliquis detur Confessarius, id fieri mandamus seruata antiqua ordinis nostri consuetudine. Bononiæ 1564. Nulla soror nostri ordinis sacerdoti sæculari aut regulari alterius ordinis confiteatur peccata sua absque licentia superioris sui, & contra facientes grauiter puniantur.

Congregatio regularium censuit. absente Priore à Conuentu, Confessor monialium, & non Supprior, aut Vicarius Conuentus, suum monasterium gubernet & curam illius gerat.

In cap. Barchinonen. 1574. statuitur, vt communio generalis tempore quadragesimæ & aduentus fiat quolibet die Dominico, alio vero tempore fiat de quindena in quindenam. Et tempore electionis Priorum aut Priorissarum tenentur omnes vocales præmissa confessione sacram sumere Eucharistiam.

De officio Ecclesiæ.

CAPVT XX.

AVdito primo signo surgant sorores cum matura festinatione, religiosè & honestè se præparando Matutinas autem & omnes horas canonicas simul audiant, nisi cum aliquibus ex causa fuerit dispensatum. Horæ canonicæ omnes in Ecclesia tractim & distinctè taliter dicantur, ne sorores deuotionē amittant, & alia quæ facere habent minimè impediantur. Quod ita dicimus esse faciendum, vt in medio versus metrum cum pausa seruetur, non protrahendo vocem in pausa, vel in fine versus, hoc tamen magis & minus pro tempore seruetur: Horæ vero de B. Virgine post horas canonicas dicantur in Ecclesia. Tempore quo bis reficiuntur sorores, legatur ante completorium in Ecclesia, Sorores sobriæ estote &c. postea dicto ab ea quæ præest, Adiutorium nostrum in nomine Domini, & facta confessione, dictoque completorio, hebdomadaria aquā aspergat benedictam, postea dicatur Pater noster, & Credo in Deum. Post completorium autem receptis pro tempore disciplinis concedatur aliquod spacium competens sororibus ad vacandū sacris meditationibus, & orationibus priuatis, vsque ad signum, similiter & post matutinas, facto autem signo omnes egrediantur Ecclesiam, & intrent locum dormitionis. Aliquis tamen locus statuatur, in quo ad præuidendum officium diuinum sorores

res conueniant, præsente Priorissa, vel alia cui commiserit tempore opportuno.

Compendium priuilegiorum ord. Minorum, verbo, Moniales, refert duo priuilegia monialibus concessa circa diuinum officium, quæ sunt.

Leo Decimus decreuit moniales Sanctæ Claræ etiam sanas non teneri semper officium diuinum persoluere in choro, & exonerando conscientiam illarũ commisit discretioni Abbatissarum, vt quando, quomodo, & cum quibus sit hæc remissio toleranda, solerter inuigilent, & prudenter concedant, ne sub colore pietatis, ex nimia indulgentia permittant in aliqua generari habitum diuinæ offensionis.

Clem. 7. concessit vt sorores quę propter imperitiam nesciunt recitare officium perfectè iudicio Prælatorum, aut Confessariorum, seu etiam Abbatiss. recitando officium sororum laicarum censeantur satisfecisse obligationi de dicendo officium ad quod tenentur.

De inclinationibus.

CAPVT XXI.

Finitis matutinis de B. Virgine, cum sorores in chorum venerint, inclinent ante altare profundè, & cum ad sedes suas venerint, facto signo ab ea quæ præest, flexis genibus, vel inclinatæ profunde pro tempore, dicant Pater noster, & Credo in Deum, & iterum facto signo ab ea quæ præest, surgant. Hora itaque deuotè incepta, versęque ad altare muniant se signo Crucis, & ad Gloria Patri inclinet chorus contra chorum profundè, vel prosternant se profundè pro tempore, vsq; ad sicut erat. Hoc etiam faciendũ est quoties Pater noster, & Credo in Deum, dicuntur, nisi in missa, & antè lectiones, & gratiarum actiones, in quibus inclinandum est solum, ad Pater noster, & ad orationem Retribuere. Idem etiam faciendum est ad primã collectã in missa, & ad postcommunionem, & similiter ad orationem pro Ecclesia, & in singulis horis ad collectam, & ad Gloria Patri quotiescumque inchoatione horæ dicitur. Ad omnia autem alia Gloria Patri, & ad extremos versus hymnorum, & ad penultimum versum cantici Benedicite, inclinent vsque ad genua, Et quando cantatur Gloria in excelsis ad Suscipe deprecationem nostram, & ad benedictionem lectionum, & in capitulo ad orationem. Sancta Maria Item quando nomen Iesu in collecta, & in præfatione, & in Ant. Salue, vel in Gloria in excelsis nominatur. Quando autẽ nomen Iesu alias nominatur in choro, sorores eidẽ reuerentiam faciant capite deuotius inclinato. Item

in omni oratione, quādo nomēDomini IeſuChriſti,& B.Virginis,& B. Dominici, nominatur, & quando nomen B. Virginis nominatur in AntiphonaSalue,inMiſſa inPręfatione,àdGratias agamus,ad verſum, O Crux aue ſpes vnica &c. Sorores in choro deuotè inclinent,ſicut etiam fieri debet quando nomen Ieſu & Mariæ in aliqua collecta nominatur. Hora itaque prædicto modo deuotè incepta poſtquam ad Gloria poſt Venite,inclinauerint,ſtet chorus contra chorum,deinde ad primum pſalmum ſedeat vnus chorus,& ad ſecundum ſtet,& ſedeat alter chorus, & ſic altetnatim vſque ad Laudate Dominum de cœlis,& ſic faciendum eſt ad horas.finita autem lectione in matutinis,niſi fiat officium pro mortuis, illa quę legit, inter pulpitum quod eſt in medio chori & gradus altaris inclinarionem faciat, vel proſtenat ſe pro tēpore.In inclinationibus vero conformentur moribus earum ad quas declinant. Porrò ad Salue ſancta parens, ad Salue poſt completorium, & Veni ſancte Spiritus, & ad Veni creator ſpiritus in die Pentecoſtes & per totam hebdomadam, & ad Credo in miſſa, ad Ex Maria virgine & homo factus eſt, flectant genua. In ferialibus diebus iaceant proſtratæ à Sanctus vſque ad Agnus.In feſtis vero trium vel nouem lectionum iaceant proſtratæ ab eleuatione Corporis Chriſti vſque ad Pater noſter.In proſtrationibus idem ſeruetur in feſto trium & nouem lectionum. Quando Prælatus vel quæ præeſt iniunxerit aliquam communem orationem, inclinent omnes. Similiter omnes faciant quibus aliquid dicere vel facere iniunxerit,ſi autem aliquam obedientiam, vel officium, vel miniſterium aliquod cuiuis iniunxerit humiliter ſe proſternens,ſuſcipiat quod ſibi iniunctum fuerit.Quando etiam ſororibus quidpiam veſtimenti tribuitur incinātes dicāt Benedictus Deus in donis ſuis.

De inclinationibus multa poſt has Conſtitutiones edita fuerunt,quæ videnda ſunt in Summario Conſtitutionum fratrum cap.de Inclinationibus. In particulari autem notentur quædam genuflexiones faciendæ ex decretis capitulorum generalium, ad O Crux aue ſpes vnica in hymno paſſionis, Ad Tantum ergo Sacramentum in hymno Corporis Chriſti, ad, Et procidentes adorauerunt eum in Euangelio Epiphaniæ, ad ex Maria virgine &c. ad, Et verbum caro factum eſt, ad, Te ergo quæſumus famulis tuis ſubueni,quos pretioſo ſanguine redemiſti.

De suffragiis mortuorum.

CAPVT XXII.

A Festo S. Dionysij vsque ad Aduentum, pro anniuersario fratrum, & sororum familiarium, & receptorum per literas ad beneficia ordinis, literatæ sorores Psalterium, non literatæ quingenta Pater noster dicant. Idem faciat quælibet soror pro sorore defuncta sui Conuentus, Et idem fiat pro Magistro ordinis, & pro Prouinciali defunctis. Idem etiam fiat pro Visitatore illarum, si in visitatione mori contigerit. Idem etiam fiat pro Procuratore ordinis si in Romana Curia in procurationis officio decedat. Quælibet literata pro fratribus & sororibus nostris defunctis triginta vicibus septem psalmos pœnitentiales dicat in anno, Non literata triginta vicibus centum Pater noster. Anniuersarium Patrum & Matrum tertia die post purificationem celebratur. Anniuersarium benefactorum & familiarum die crastina post octauas S. Augustini. Anniuersarium fratrum & sororum in crastino S. Dionysij. Anniuersarium vero sepultorum in Cœmeteriis nostris vbique prima die vacante post octauas Visitationis B. Virginis.

De Ieiuniis.

CAPVT XXIII.

A Pascha vsque ad festum S. Crucis reficiantur bis sorores, exceptis diebus Rogationum, & sextis feriis, & vigilia Pentecostes, & ieiuniis quatuor temporum, & vigiliis SS. Ioannis Baptistæ Petri, & Pauli, Iacobi, Dominici Patris nostri, Laurentij, Assumptionis B. V. Mariæ, Bartholomæi, & Natiuitatis B. V. A festo autẽ S. Crucis vsque ad Pascha continuum teneant ieiunium, & nona dicta comedant, exceptis diebus Dominicis, nisi dispensatio fiat Interdum ex causa. in toto autem Aduentu, & Quadragesima, & ieiuniis quatuor temporum, in vigiliis Ascensionis, Pentecostes, S. Ioannis Baptistæ, SS. Petri, & Pauli, Iacobi, Dominici Patris nostri, Laurentij, Assumptionis, Barthotholomæi, Natiuitatis, B. Mariæ, Matthæi, Simonis, & Iudę, Om-

nium Sanctorum, Andreæ, & sextis feriis quadragesimali vtātur cibo, (nisi in locis in quibus in dictis sextis feriis aliter comederetur, vel nisi præcipuum festum fuerit, vel nisi cum aliqua ex causa dispensaretur. Quando autem festum habens vigiliam in qua secundum ordinem ieiunandum est euenerit in secunda feria, eius vigilia in præcedenti sabbato ieiunetur, contraria consuetudine non obstante. Feria secunda & tertia post quinquagesimam quadragesimali vtantur cibo, & ieiunent. In Parasceue vero per totumdiem in pane & aqua abstineant Præcipuum festum dicimus duplex & supra.

De Cibo.

CAPVT XXIII.

HOra competenti ante prandium, vel cœnam, à sacristissa paruis ictibus campana pulsetur, vt sorores venire ad refectionem non tardent, postmodum vero pulsetur cimbalum si cibus sit paratus, alioquin non sonetur donec paratus sit. Ablutis verò manibus, nolam refectorij quæ præest pulset, & tunc sorores ingrediantur. Quibus ingressis dicatur Benedicite, ab ea quæ dicit versiculos, & conuentus prosequatur benedictionem. Seruitrices autem incipiant ab inferioribus, vsque ad mensam Priorissæ ascendentes. Nulla soror à prima mensa remaneat, nisi seruitrices, & nisi de licentia, & ex causa. Quotquot autem remanserint comedant in secunda, ita vt tertiam facere non oporteat. Nulla fiat pictantia seruitricibus vel ministris, quæ nō fit Conuentui nisi sint infirmæ, vel minutæ. Priorissa comedat in refectorio, & cibariis Conuentus sit contenta. soror non mittat sorori pictanctiam (excepta Priorissa) sed sibi datam dare potest à dextris, vel à sinistris tantum, similiter infirmariæ & aliæ quæ ministrant in officio quocumque, nisi cū aliquibus Priorissa dispensauerit ob aliquā causā. Pulmenta sint in Conuentu sine carnibus, præterquā in infirmariis. Singulis diebus si fieri potest, & expedierit duo pulmenta cocta habeant sorores, poterit autē priorissa superaddere, prout opus esse iudicauerit, & facultas permiserit. Si qua iuxta se sedenti viderit aliquid deesse de communi, requirat à ministra. Si qua de sororibus seruiendo vel comedendo in aliquo offenderit, surgentibus sororibus veniam petat, & facto signo ab ea quæ præest, redeat ad locum suum.

De collatione.

CAPVT XXV.

TEmpore ieiunij hora competenti Sacristissa ad collationem signum faciat, postea refectorij cimbalum pulset. Deinde sororibus venientibus in refectorio ad signum illius quæ præest, legat lectrix, præmisso, Iube domine benedicere, & sequatur benedictio Noctem quietam &c. Infra lectionem vero poterunt bibere quæ voluerint facto signo ab ea quæ præest, Et dicto, Benedicite, à lectrice, dataque benedictione ab hebdomadaria, Largitur omnium &c. Finita lectione dicat quæ præest, Adiutorium &c. Et tunc cum silentio intrent sorores Ecclesiam. Quæcunque extra horam bibere voluerit, licentiam petat, & vnam sociam accipiat.

De infirmis.

CAPVT XXVI.

CIrca infirmas caueat ne sit negligens Priorissa. Sic enim procurandæ sunt infirmæ, vt citius releuentur, sicut dicit S. Augustinus in regula. Poterunt autem quædam vesci carnibus, prout earum grauior exigit infirmitas vel debilitas, secundum quod Priorissæ visum fuerit. Si qua vero talem infirmitatem habuerit, quæ nec eam debilitet multum, nec comedendi turbet appetitum, talis nec supra culcitram iaceat, nec consuetudinaria frangat ieiunia, nec cibos refectorij mutet. In domo non sint nisi duo loca in quibus comedant infirmæ & debiles, vnus carnium, & alius aliorum ciborum, nisi sit euidens necessitas vel vrgens infirmitas. Si autem Priorissam infirmari contigerit, in infirmaria cum aliis procuretur.

De minutione.

CAPVT XXVII.

MInutio quater in anno fiat. Prima in mense Septemb. Secunda post Natale, Tertia post Pascha, Quarta post festum S. Ioann. Baptistæ. Præter has minutiones nulla sibi minuat, nisi

discretio Priorissæ propter aliquam causam iudicauerit aliter alicui esse faciendum. Minutæ vero extra refectorium comedant cum silentio, & secundum quod facultas permiserit commodius procurentur. Causa vero minutionis carnes non comedant.

De Lectis.

CAPVT XXVIII.

SVper culcitras non dormiant sorores, nisi in infirmaria, super stramina & saccones laneos dormire licebit. Quæ autem culcitras petierint, vna die in pane & aqua ieiunent. Et cum tunica velo, & capitergio, & cinctæ dormiant, & etiam cum caligis in regionibus in quibus mulieres portare caligas consueuerunt. Nulla quæ in commumi tolerari possit habeat specialem locum ad iacendum, nisi fortè propter rerum custodiam cum necessitas hoc requirat. In quo casu non minus quam tres iaceant in loco prædicto.

De vestitu.

CAPVT XXIX.

VEstes laneas honestas non notabiliter preciosas deferant sorores, & in mantellis vilitas potius obseruetur. Lineis non vtantur ad carnem, Pelliceum vero inter duas tunicas habere possunt, quod aliquantulum sit breuius tunicis. Linteamina non habeantur, nisi forsan Priorissa in infirmaria cum aliqua propter grauem infirmitatem iudicauerit dispensandum. Pelliceis & coopertoriis siluestrib. sorores non vtantur. Tunicæ vsque ad talos, scapularia verò, sine quibus non vadant, sint tunicis breuiora. Soccos, pepla, capitergia, & vela habeant, vt necesse fuerit, & facultas permiserit, Chirothecas autem non habeant.

Romæ 1601. ordinatum fuit ex commissione D. Papæ, vt nulla monialis serico indumento, nec palam, nec occultè vti præsumat, sed nec alio panni genere, quàm quod regulæ ordinis præscribunt. Caueant autem maximè, ne caput sanctimonialis vllo profano cultu deformetur. Moniales vllo vnquam tempore laruas gerere, vel vestimenta ad vsum virorum pertinentia induere sub quocunque prætextu non audeant.

De commutatione rerum.

CAPVT XXX.

OMnes sorores singulis annis, vel pluries si eis dictum fuerit, omnia sibi commissa Priorissæ suæ exponant pariter & exhibeant, eius dispositioni omnia relinquendo. Nulla etiam ciphum vel Vas aliquod vel aliquid huiusmodi sibi appropriet. Item nulla habeat arcam, vel aliquid quod cum claue firmetur, exceptis illis quæ propter officium suum necesse habent habere. Item nulla mittat, aut recipiat sine licentia, literas, vel schedulam scriptam, etiam sine sigillo, nec etiam scriptum aliquod in tabulis, vel in cera, nisi Magistro, aut Prouinciali, vel Vicario ostendat. Priorissa etiam cum duabus sororibus quas elegerit, cum sibi expedire videbitur, sororibus absentibus scrutetur singulos lectos sororum. Et si inueniat ibi aliquid quod soror sine licentia Priorissæ habeat, illud accipiat, & eam condignè puniat. Item sine licentia, & expressione personarum, quibuscunque hominibus nec dent, nec ab eis accipiant. Quæcunque autem contrafecerit, furti iudicio condemnetur.

In cap. Romano 1601. hæc sunt statuta mandato S. D. N. Papæ. Non possint moniales singulares etiam nomine communi pannos lineos, vel alia indumenta cuiuscunque generis, seu supellectilem accipere à quocunque regulari, nec etiam nomine Conuentus, quorumcunque virorum, ad lauandum, vel purgandum, seu consuendum, vel circa ea aliquid faciendum. Moniales officiales monasterij in suis muneribus obeundis nihil sine licentia Priorissæ, nisi de re & pecunia monasterij expendant, & præsertim in ornandis Ecclesiis, seu oratoriis, tempore festiuitatum, vel quacunque alia occasione. Non liceat monialibus, nec priuato, nec communi Conuentus nomine, etiam si omnes in eo consenserint, lineos pannos, lectulos, stragulas, aut aliud huiusmodi cuiuscumq; suppellectilis generis, extra monasterium cuiquam sub quocunq; prætextu, etiam regularibus eiusdem ordinis, vel ipsis Superioribus accommodare, nec pecuniam, vinum, granum, aut aliud simile mutuo dare. Superiores omnes in eam curam sedulo inuigilent, vt bona & iura vniuersa quæ ad monasterium pertinent qua decet fide & diligentia administrentur, & quotannis vel quoties opus fuerit exigant rationem ab officialibus seu aliis quæ ad hoc tenentur. Illæque in primis studeant, vt communis vita inter sanctimoniales vigeat, remota penitus illa proprietate, quæ decretis Concilij Trident. prohibetur. Moniales nullas prorsus literas ad regulares scribant, nisi ad primarium Superiorem, sub cuius regimine existunt, sed neque ad sæculares scribant, nisi de licentia Priorissæ, neue vllas literas à quocunque recipiant nisi ab ea fuerint perlectæ. In

cap. Romano 1583. dicitur, quod si necessitas aut vtilitas monasterij tulerit vt literæ vltro citroq; mittantur, non alteri quam Prælato, vel Confessori, aut Priorissæ tradantur. Munuscula à monialibus nullus recipiat omnino, aut illis mittat, & contrafacientes grauissimè puniantur. Per hoc autem non prohibetur eleemosynas mittere pro communitate aut infirmis.

Videnda sunt ea quæ in alio summario habentur super Constitut. Clementis VIII. de largitione munerum regularibus interdicta. Ex decretis Congregationis.

Caueatur ne qua monialis quicquam ex bonis monasterij, etiam ex sibi ad vsum concessis, det aut donet, neuè alicuius generis bellaria, edulia, esculenta, offulas, confectiones, sirupata, & alia similia quæcumque conficiant, aut coquant, nec venditent, aut donent, nisi de licentia Priorissæ, & de rebus minimæ impensæ, & consanguineis tantum.

De lauatura capitum.

CAPVT XXXI.

IN septem terminis dierum communionis quolibet anno poterunt lauari capita, & tonderi capilli monialium. Sit autem tonsura non modica, vt decet religiosas personas.

De Silentio.

CAPVT XXXII

SIlentium teneant sorores in oratorio, claustro, dormitorio, & cellis, & refectorio. Alibi verò loqui poterunt de licentia speciali, prout, & quando fuerit eis concessum: si qua tamen submissè aliquid, & breuiter de necessariis protulerit, non teneatur de silentij fractione. omnes autem vbique in mensa silentium teneant, tam Priorissa quàm aliæ, excepta vna quæ maior erit inter alias, vel alia cui pro se loqui commiserit, & tunc taceat. Nulla autem ibidem loquatur aliarum, nisi de necessariis mensæ, & hoc per vnicam orationem vel dictionem breuiter & submissè. Si qua vero hoc silentium fregerit ex proposito, vel loquendi licentiam dederit, in vno prandio aquam tantum bibat, & vnam disciplinam in capitulo accipiat coram omnibus sororibus, sine dispensatione, exceptis infirmis decumbentibus. Caueat autem Priorissa ne sit facilis ad dandas licentias loquendi sine causa rationabili. Quatuor de sororibus magis religiosis & discretis assignentur, sine quarum vna, vel duabus, vel Priorissa, aut Suppriorissa, nullæ licebit ire ad fenestram parlatorij sæcularium, nec aliquid loquatur ibi soror nisi de auditu sociæ aut sociarum. Ista autem socia vel sociæ debent accusare eam cum qua mittuntur, si in

si in verbo, in gestu, vel aliter in aliquo notauerit eam reprehensibilem. Priorissa autem, & Suppriorissa cum aliquibus in prædicto locutorio non loquatur, nisi in præsentia alicuius quatuor prædictarum vel alicuius antiquarum sororum. Nulli detur licentia loquendi in locutorio sæcularium cum extraneis, aut intrandi locutorium, quamdiù horæ, vel missæ dicuntur, vel quãdo Conuentus dormit, vel comedit, nisi ex causa necessaria. Ad fenestras confessionum nulla loquatur de alijs quam de confessione scienter & ex proposito, nisi forte de pertinẽtibus ad officium ecclesiæ cum exterioribus, & hoc de licentia, & submissè. Nulla confiteatur alicui sæculari, vel alicui cuiuscunquè alterius religionis, etiam fratri, nisi de licentia Magistri ordinis, vel Prouincialis, aut illius cui super hoc secundum certam formam aliquis horum commiserit potestatem. Item ad rotam nulla loquatur nisi illa, vel illæ, quæ propter aliquod officium sunt ipsi rotæ deputatæ, & illæ etiam non loquantur ibi, nisi de pertinentibus ad officium prædictum. Pro prima fractione silentij ex deliberatione cõmissa extra mensam dicat soror psalmũ, Miserere mei Deus, & pro secunda recipiat in capitulo disciplinam coram omnibus, pro tertia sedeat semel in terra in prandio, & non in cœna. Computatio tamen ista inter duo capitula fiat. Priorissa tamen potest dare aliquas licentias generales Cellariæ, Coquinarijs, seu alijs officialibus, prout ratione officiorum visum fuerit expedire.

Videnda etiam sunt ea quæ supra tradita sunt de ianuis, cratibus, & fenestris.

De Recipiendis.

CAPVT XXXIII.

NVlla notabiliter iuuenis recipiatur in monialem. Non recipiatur etiam aliqua nisi cum diligenti examine facto seorsum de moribus, & vita, & viribus corporalibus, & industria animi, & vtrum sit coniugata, & non per Ecclesiam separata à viro. Examinetur etiam diligentius vtrum sit grauida, & si de hoc certitudo haberi non possit, expectandum est donec certitudo habeatur. Item inquiratur, vtrum sit serua vel ratiocinijs obligata, vel alterius professionis, vel occultam habeat infirmitatem, vel alia impedimenta propter quæ non expediat eam recipi. Hoc autem examen à Priorissa & duabus discretis sororibus de consensu capituli ad hoc electis fieri debet.

Duo decreta Concilij Trid. valde notanda sunt in monialium receptione ad habitum siue ad professionem. Primum habetur sess. 25. cap. 17. Et est tale.

Libertati professionis virginum Deo dedicandarum prospiciens S. Synodus, statuit atque decernit, vt si puella quæ habitum regularem suscipere voluerit maior duodecim annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa vel alia professionem emittat, quam explorauerit Episcopus, vel eo absente Vicarius eius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat: & si voluntas eius pia & libera cognita fuerit, habueritq; conditiones requisitas iuxta monasterij illius & ordinis regulam, nec non monasterium fuerit idoneum, liberè ei profiteri liceat, cuius professionis tempus ne Episcopus ignoret, teneatur præfecta monasterij eum ante mensem certiorem facere. Quod si eum præfecta certiorem non fecerit, quamdiu Episcopo placuerit, ab officio suspensa sit.

Decretum etiam à Congregatione Concilij emanauit huiusmodi.

Episcopus debet explorare voluntatem virginum, & quando habitum assumere volunt, & etiam quando professionem debent emittere. Et ante quam monasterium ingrediantur, adducantur apud matronas honestas, nec sanguine illis coniunctas, nec aliquo modo suspectas, vbi remotis omnibus earum propinquis examinetur de sua voluntate.

Alterum Concilij decretum habetur sess. 25. cap. 18.

Anathemati S. Synodus subiicit omnes & singulas personas cuiuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam Clericos, quam Laicos, sæculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes, si quomodocunque coegerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem inuitam, præterquam in casibus à iure expressis, ad ingrediendum monasterium, aut ad suscipiendum habitum cuiuscunque religionis, aut ad emittendam professionem, quique consilium, auxilium, aut fauorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquomodo eidem actui vel præsentiam vel consensum vel authoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subiicit eos, qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem, veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquomodo sine iusta causa impedierint. Eaque omnia & singula quæ ante professionem & in ipsa professione fieri oportet seruentur, non solum in monasteriis subiectis Episcopo, sed & in aliis quibuscunque. Ab his tamen excipiuntur mulieres quæ pœnitentes aut conuertitæ appellantur, in quibus Constitutiones earum seruentur.

Decretum etiam Congregationis Concilij habetur huiusmodi.

Non recipiantur moniales, neque etiam Conuersæ in quoduis monasterium, nisi in eo singulæ singulis monialibus propriæ cellæ, quæ siuè ex muro vel cæmento, aut ex tabulis siue ex tela in communi dormitorio assign...æ sint, quæ inter se distinctæ sint, & actu eas inhabitent, & vacua superfit propria cella pro moniali recipienda. Item tam moniales quam Conuersæ suam cellam habeant, nec in vna plures simul commorentur, neque vna cum alia dormiat aut quiescat, sed seorsum qualibet in lecto suo.

Ex cap. Romani 1601. Nulla vnquam recipiatur in monialem, nisi legitime acceptata fuerit per capitulum monialium, quibus renuentibus, nullatenus admitti possit, etiam si sit intra numerum. Non acceptentur puellæ in moniales ante duodecimum annum, nec eis ante huius temporis lapsum concedantur loca vacantia.

Romæ 1583. Pro prouincia Lombardiæ statuitur, vt nullo pacto in eodem monasterio plures quam duæ sorores, ex eodem Patre, vel Matre recipiantur.

Valentiæ 1596. ordinatur libertati vocalium consulendo, vt tam in receptione habitus, quam in professione, & fratrum, & monialium, vocales vota sua secreto dare debeant.

Hæc ordinatio reuocata fuit Romæ 1601. & hæc reuocatio confirmata fuit Valleoleti 1605. in quibus tamen reuocationibus de solis fratribus sermo fit.

Paulus III. viuæ vocis oraculo (quod refert Rodericus post Bullas eius) *concessit monialibus S. Claræ, vt puella susceptura habitum per decem aut quindecim dies antequam habitum induat regularem possit cum habitu sæculari morari in monasterio, vt moniales experiri possint eius conuersationem & naturam, an sit idonea ad seruiendum Deo, quod si eam non idoneam inuenerint, possint eam expellere, si id sine scandalo & querela fieri possit.*

De numero monialium præfigendo.

CAPVT XXXIIII.

MAgister ordinis vel Prouincialis, pensatis facultatibus domus quæ pro tempore fuerint, aliquem certum numerum sororum statuant, vltra quem non recipiatur aliqua in sororem, nisi talis esset persona, quæ sine graui damno aut scandalo recusari non posset. Et tunc non nisi de consilio Magistri ordinis aut Prouincialis recipiatur. Nulla etiam promissio fiat de aliqua sorore recipienda, antequam locus vacauerit.

Concilium Trid. sess. 25. cap. 3. idem disponens dicit.

In prædictis autem monasteriys & domibus tam virorum quam mulierum, bona immobilia possidentibus, quam non possidentibus, is tantum numerus constituatur ac in posterum conseruetur, qui vel ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari, nec de cætero similia loca erigantur sine Episcopi licentia prius obtenta.

Pius V. in sua Constit. quæ incipit Cura pastoralis officij, ita habet.

Et ne propter monialium numerum excessiuum clausuræ obseruatio violetur, inhærentes decreto Concilij Trid. monialibus & illarum Superioribus districte inhibendo præcipimus, ne plures in eodem monasterio recipiant & admittant, siue recipi aut admitti permittant, quam ex propriis redditibus monasteriorum vel ex consuetis eleemosynis sustentari possint.

Decreta Congregationis regularium super hoc.

In constituendo autem prædicto numero monialium, obseruetur Sacri Concilij decretum, De dotibus autem earum quæ recipiuntur, ob ingressum monialium, cum nihil certi statuendum sit, ideo non debent connumerari inter redditus monasterij, nec inter consuetas eleemosynas, neque etiam ea quæ dantur pro alimentis ingredientium. Mo-

niales vero quæ supra numerum constitutum recipiuntur, in locum decedentium monialium quæ erant infra numerum nequaquam subrogari debent, neque impedimento esse quin aliæ in loco earundem decedentium recipi possint, quæ numerariæ sint, quinimo easdem sic supra numerum receptas supranumerarias semper esse, & remanere debent quantum ad hoc, etiam si aliis non differant.

Romæ 1601. Vbi iuxta decretum Concilij Trid. non est constitutus numerus monialium, qui vel ex redditibus propriis, vel ex consuetis eleemosynis sustentari commodè possint, diffiniatur quam primum à locorũ Ordinariis cum interuentu Superioris regularis, vel saltem ipso requisito, ex facultatibus quæ à monasterio in communi possidentur, habita etiam ratione eleemosynarum. Et donec huiusmodi numerus fuerit constitutus, non recipiantur puellæ ad habitum. Numerus autem constitutus sub prætextu etiam quod redditus monasterij aucti fuerint, sine Congregationis licentia expressa nullo modo augeatur. Verum vbi monasteriũ aliquas moniales supra constitutum numerum recipere voluerit, id non concedatur nisi licentia à sacra Congregatione obtenta, cum eleemosyna duplicata, & sub aliis conditionibus quæ in huiusmodi licentiis exprimi solent, eaque eleemosyna omnino inuestiri debeat, nec in aliquem alium vsum vllo modo conuerti possit.

De dotibus monialium, & alijs expensis.

CAPVT XXXV.

CONc. Trid. sess. 25. cap. 16. disponit vt infra.

Sed neque ante professionem excepto victu & vestu nouitij aut nouitiæ illius temporis quo in probatione est, quocunque prætextu à parentibus vel propinquis aut curatoribus eius monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quod totam vel maiorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, nec facile si discesserit id recuperare possit, quin S. Synodus præcipit sub anathematis pœna dantibus & recipientibus, ne hoc vllo modo fiat, & vt abeuntibus ante professionem omnia restituantur quæ sua erant, quod vt recte fiat Episcopus etiam per censuras Ecclesiasticas (si opus fuerit) compellat.

Decretum Sac. Congregationis Concilij emanauit huiusmodi.

Non vestiantur moniales nec admittantur ad habitum, nisi prius parentes vel illi ad quos earum cura spectat, promptam habuerint pecuniam pro dote vel eleemosyna consueta, & illam deposuerint soluendam monasterio post emissam professionem, ipsisque monialibus interim probationis tempore alimenta ab eis præstetur. Hæ eleemosynæ siuè dotes ante emissam professionem non soluantur monasterio, nec aliqua obligatio aut renuntiatio fiat nisi iuxta formam concilij.

Romæ 1601. dicitur. In ingressu monialium, seu in habitu regulari, siuè in velo suscipiendo, aut in professione emittenda, non fiant, nec sub aliquo prætextu permittantur fieri lauta aut sumptuosa conuiuia, sed sobriè tantum ea quæ sacras virgines deceat animi corporisque recreatio concedatur. Superiores vero siuè Cõfessarij aut alij officiales regulares, occasione

huiusmodi ingressus aut professionis, nihil prorsus sub quouis titulo seu prætextu à monialibus nec ab aliis accipere possunt, non obstante quacunque consuetudine in contrarium. Ex decretis Congregationis.

Sumptus faciendi à monialibus in velo suscipiendo aut emittenda professione à Superioribus taxentur.

Vocant in controuersiam aliqui, vt Rodericus refert tomo 2. q. 40. artic. 1. q. regul. num moniales committant simoniam exigendo dotes à puellis quæ habitum petunt. Ratio dubij est, quia Conc. Trid. sess. 25. cap. 3. statuit præfigendum esse numerum monialium in omni monasterio, qui sustentari possit ex redditibus & eleemosynis, & nullæ vltra hunc numerum recipiantur, quo casu non exigerentur dotes pro sustentatione monialium, sed pro ingressu monasterij, & ideo committeretur simonia, ex D. Tho. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4. Eo maxime quia ferè in omnibus monasteriis præfixus fuit hic numerus, & inter eleemosynas non fuerunt computatæ dotes iuxta decretum Congregationis. Veruntamen Rodericus loco citato refert duas declarationes Pontificias super hoc pro conscientiis monialium. Prima est Innocentij VIII. quæ huiusmodi est.

Quod moniales quia nesciunt discernere inter intentionem primariam, quæ causat simoniam, & secundariam quæ non causat, nunquam incurrunt simoniam, nisi in duobus casibus, Primus quando paciscuntur de aliquid soluendo pro ingressu, secundus quando recipiunt inhabiles cum spe habendi aliquid, quia tunc est illa prima intentio.

Altera est Clementis VII. qui ita declarat.

Quod moniales sub cura fratrum minorum nullam incurrant simoniam ex pactionibus & conuentionibus quas faciunt in receptione intrantium in ipsarum ordinem, super dotibus recipiendarum pro congruenti & sufficienti sustentatione illarum.

Accedit & similitudo, nam cum mulier maritum accipit tenetur dare dotem non pro sacramento matrimonij, quod vendi non potest, sed pro onere matrimonij. Ita sponsa Christi non pro ingressu monasterij, sed pro sua sustentatione dotem sine labe simoniæ dare debet, quas dotes determinare debent prælati iuxta locorum diuersitatem siue penuriam.

De modo recipiendi Nouitias ad habitum.

CAPVT XXXVI.

CVm puella recipienda ad habitum adducta fuerit in capitulum, prosternat se in medio. Interrogata verò ab ea quæ præest, quid quærat, respondeat, Misericordiam Dei, & vestram. Qua ad nutum præfectæ erecta, exponat ei austeritatem ordinis, & propositum eius requirat. Quod si respondeat se proponere cuncta seruare, dicat post cætera, Dominus qui incepit ipse perficiat, & Conuentus respondeat, Amen. Tunc depositis sæcularibus vestibus, & religiosis indutis, in societatem sororum in ca-

pitulo recipiatur. Et flectentibus omnibus sororibus genua cantetur, Veni Creator spiritus. quo incepto sorores binæ cantando ad Chorum pergant. Post Priorissam sequatur Magistra nouitiarum, secum ducens nouitiam tunc receptam vsque ad gradus altaris maioris. & ibi faciat eam prosterni. Completo hymno, & dicto Kyrie eleison &c. Pater noster &c. Vers. Emitte spiritum tuum &c. Saluam fac seruam &c. Et orationib. Deus qui corda &c. Et Prætende Domine &c. à Magistra ducatur nouitia ad Priorissam, quæ aspergat eam aqua benedicta, & recipiat eam ad osculum pacis, & post eam omnes sorores, primo existentes in choro dextro, secundò in sinistro, & interim cantetur Te Deum, & postmodum ducatur ad Priorissam, quæ si placuerit mutabit ei nomen, & deinde assignabit ei annum probationis ad experiendum onera religionis, in quo erit libera reuerti ad sæculum, & religio ad eam recipiendam vel eiiciendam. Et postea Priorissa dicet. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

De Nouitiabus, & earum instructione.
CAPVT XXXVII.

PRiorissa nouitiatibus Magistram diligentem in ipsarum instructione præponat, quæ eas de ordine doceat, in ecclesia, & vbicumque negligenter se habuerint, verbo, vel signo quantum potuerit studeat emendare, necessaria prout potest debet eis procurare, de apertis negligentiis cum ante eam veniam petierint pœnitentiam dare, vel eas in capitulo proclamare. Humilitatem cordis & corporis doceat eas habere, frequenter purè & discretè confiteri, sine proprio viuere, propriam voluntatem deserere pro voluntate maiorum, obedientiam in omnibus voluntariam obseruare. Quomodo vbique & in omnibus se habere debeant eas instruere, quod locum in quo positæ fuerint vbique teneant, qualiter se ad cameras contineant, oculos sublimes non habeant, quomodo vel quid orent, & quam silenter, vt aliis rugitum non faciant, quomodo in capitulo, vel vbicunque reprehensæ fuerint ab ea quæ præest, venia sit facienda, & quod si qua sororem suam aliquo modo scandalizauerit, ad pedes eius prostrata veniam petat. Instruendæ etiam sunt nouitiæ, vt cum nemine contendere præsumant, & quod in

omnibus Magistræ suæ obediant. In processione sociam sibi collateralem attendant, nec loquantur locis & temporibus interdictis, nec alias sine licentia, & quod neminem penitus iudicent, sed si qua ab aliqua fieri videant, licet mala videantur, bona suspicentur, sæpè enim humanum fallitur iudicium, & quod non loquantur de absente nisi quæ bona sunt, vt disciplinas frequenter suscipiant, cum duabus manibus bibant & sedendo, libros, vestes & alias res monasterij custodiant, si quid petierunt ab vna, quæ præest, non petatur ab alia, nisi negatione priore exposita, & si à maiore petierint, & negauerit, non vadant ad minorem. Item confessiones nouitiarum ante professionem recipiantur, & diligenter de modo confessionis & de aliis instruantur. Item nouitiæ ante professionem de debitis se expediant, & omnia alia ad pedes Priorissæ ponant. Item nouitiæ, & aliæ sorores quæ aptæ sunt, in psalmodiâ & officio diuino studeant diligenter, præter conuersas, quibus sufficiat, vt sciant, vel addiscant ea quæ debent pro horis dicere, omnes verò in aliquo labore addiscendo vel exercendo occupentur. Item nouitiæ non intersint capitulo de culpis, sed in principio se accusent, vel illarum Magistra earum culpas extra capitulum audiat, & ipsas quantum poterit diligenter in moribus instruat, & charitatiuè corripiat.

Ex ordinationibus sacræ congregationis regularium.

Monialibus omnis cantus figuratus prohibetur, & tantum firmus permittitur, & in Ecclesiis illarum tantum organa, & non alia musicalia instumenta conceduntur, Moniales sub vitio proprietatis non possunt mortis occasione cellas aut quacunque alia aliis etiam monialibus relinquere, & tales donationes aut contractus nulli sunt.

De Conuersis.

CAPVT XXXVIII.

LIcebit quoque aliquas intus recipere in conuersas, vbi hoc expedierit in numero moderato, prout earum officiis & adiutoriis aliæ sorores indigebunt. Hæ autem dicant profestis diebus pro matutinis, viginti octo Pater noster. In festis autem nouem lectionum quadraginta. Pro vesperis quatuordecim: pro qualibet aliarum horarum septem: loco preciosa, tria, pro benedictione mensæ, vnum: post mensam pro gratiarum actione tria, in ieiuniis, & vigiliis, & aliis quæ statui suo conueniunt, se aliis conformabunt.

Pro Conuersis Fratribus declaratum fuit, vt simul cum numero Pater noster, persoluant etiam Aue Maria in eodem numero. De suffragiis vero mortuorum dictum est supra cap. suo.

De anno probationis.

CAPVT XXXIX.

Concilium Trid. sess. 25. cap. 15. de regularibus ita desponit.

In qualibet religione tam virorum quàm mulierum professio non fiat ante decimum sextam annum expletum, nec quæ in minori tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius regulæ, vel religionis, siuè ordinis obseruantiam, aut ad alios quoscunque effectus. Nulla quoque renuntiatio siuè obligatio antea facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscunque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi, siuè eius Vicarij fiat, infra duos menses proximos ante professionem, ac non aliter intelligatur effectum suum sortiri nisi secuta professione, aliter verò facta etiam cum huius fauoris expressa renunciatione etiam iurata, sit irrita & nullius effectus.

Notanda tamen est hic quædam Const. Pij V. relata in fine compendij priuilegiorum ordinis minorum, qua concedit vt moniales in legitima ætate constitutæ adueniente articulo mortis possint professionem emittere non completo adhuc anno probationis, vt consequantur indulgentias, cuius summa est.

Supplicationibus inclinati, nouitiis monialibus ordinis S. Dominici, nunc & pro tempore existentib. & earum singulis concedimus vt quando & quoties aliqua illarum nondum professa, de medici consilio de hoc sæculo transitura conspicitur, ipsa pro consolatione animæ suæ, professionem ante tempus requisitum, quatenus tamen in legitima ætate constituta sit, emittere in manibus Priorissæ vel alterius Superioris illius domus possit, ita vt nouitiæ sic decedentes consequantur eas indulgentias, quas moniales verè professæ decedentes consequuntur. Nec non, & eisdem monialibus sic professis decedentibus plenariam suorum peccatorum indulgentiam auctoritate Apostolica elargimur &c. Non obstantibus &c.

Sunt qui dicunt hanc gratiam reuocatam fuisse per Gregorium XIII. qui omnia priuilegia Pij V. ad terminos iuris communis, & Concilij Tridentini reduxit, & concilium annullat omnem professionem factam ante completum annum probationis. At Roder. tom. 3. q. 15. art. 6. respondet dupliciter, primo quod Greg. reuocauit priuilegia in foro exteriori, in foro autem conscientiæ reuocata non sunt. Secundo reuocauit Gregorius priuilegia contra Concilium concessa pertinentia ad regimen monialium, aut vitam, vel mores illarum, non autem quoad indulgentias, quales concedit hic Pius V. Et ideo reuera illa professio non tenet quoad alios effectus puta quod dos aut alia hæreditas ad monasterium perueniat, nam si mortem euaderet tenetur nouam professionem emittere, & posset ad sæculum redire sine ea.

De modo faciendi professionem.

CAPVT XL.

CIrca finem anni probationis, Priorissa ante finem per duos menses admoneat Episcopum de instantia professionis eius, & præterea examinetur ab illis quibus incumbit. Quæ fideliter referant aptitudinem eius in capitulo, & Priorissa requirat consensum monialium, quo accedente completo anno ad professionem admittatur hoc modo. In medium capituli veniens, & prostrata. Priorissæ petenti quid petat, respondeat, Misericordiam Dei & vestram. Et expositis austeritatibus præcipuis religionis, & aliis impedimentis, & ea promittente se intendere omnia seruare, Priorissa dicat. Dominus qui incepit ipse perficiat, & Conuentus respondeat, Amen. Tunc accedat nouitia ad pedes Priorissæ & genua flectat, & Priorissa accipiat manus nouitiæ inter manus suas, & liber Constitutionum super manus vtriusque ponatur, & quæ profitetur legat vt infra.

EGo soror N. facio professionem, & promitto obedientiam Deo, & B. Mariæ, & B. Dominico & tibi sorori N. vicè Reuerendiss. P. F. N. Magistri ordinis fratrum Prædicatorum & successorum eius, secundùm regulam B. Augustini, & institutiones sororum, quarum cura prædicto ordini commissa est, quod ero tibi obediens, aliisque Priorissis meis vsque ad mortem.

Nouitiarum autem vestes in earum professione hoc modo benedicantur: Ostende nobis Domine &c. Domine exaudi orationem meam &c. Oremus. Domine Iesu Christe, qui tegimen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immēsæ largitatis tuæ abundantiam, vt hoc genus vestimentorum, quod sancti Patres ad humilitatis & innocentiæ indicium ferre sanxerunt, ita benedicere digneris, vt quæ hoc vsa fuerit te induere mereatur Christum Dominum nostrum. Postmodum vestes aspergantur aqua benedicta. Ad professionem nulla recipiatur antè sextumdecimum annum. Nolumus etiam quod aliquæ sorores benedicantur, cum S. Dominicus Pater noster hoc ordinasse dicatur circa illas quæ suo tempore fuerunt, Et huiusmodi benedictio soleat esse aliquibus occasio vt super alias se extollant.

De creatione Priorissæ.
CAPVT XLI.

MAgister vel Prouincialis prouideat de Priorissa. Vbi fuerit consuetudo talis vsque nunc, vt Prorissa à Conuentu secundum formam canonicam per scrutinium, vel cópromissionem, vel communem inspirationem eligatur, omnib. iuris subtilitatibus vel cauillationibus relegatis, à Magistro, vel Prouinciali, vel Vicario ad hoc specialiter assignato, si ei visum fuerit, confirmetur. Conuentus autem qui petit electæ confirmationem numerum scribat & nomina electarum. Si verò infra mensem non elegerint, Magister vel Prouincialis Conuentui de Priorissa prouideat. Sorores autem post professionem, & non ante, ad electionem Priorissæ admittantur.

Modus eligendi Priorissas canonicè, secundum tenorem Constitutionis D. Bonifacij in VI. est iste. Conuentus debet compromittere in fratres qui audiant scrutinium ad eligendã illam quàm maior pars nominauerit. Quo facto, & auditis omnibus vocibus sororum, non debent publicare vota sororum sigillatim, sed dicere simpliciter. Talis habet tot voces, & talis tot tunc ille frater: qui est prior interrogat si in aliam volunt consentire, & constans debet formare decretum sic: Ego frater N. vice mea & fratrum N. & N. compromissariorum, & sororum electricum consentientium (si non omnes consentiunt) eligo sororem N. in Priorissam monasterij N.

Conc. Tridentinum manum apposuit electionibus, & Priorum, & etiam Priorissarum sess. 25. cap. 6. his verbis.

In electione Superiorum quorumcunque &c. & Abbatissarum atquè aliarum præpositarum quo omnia rectè & sine vlla fraude fiant, in primis S. Synodus districte præcipit omnes supradictas eligi debere per vota secreta ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur &c. Et capite sequenti subdit.

Abbatissa & Priorissa, & quocunquè alio nomine præfecta vel præposita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis post professionem emissam laudabiliter vixerit, quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio, ex alio eiusdem ordinis eligi possit. Si hoc etiam Superiori incommodum videatur, ex his quæ in eodem monasterio annum trigesimum excesserint & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo vel alio superiore consentiente, eligatur. Is vero qui electioni præest claustra monasterij non ingrediatur, sed ante cancellarum fenestellam vota singularum audiat vel accipiat, In reliquis seruentur singulorum ordinum vel monasteriorum constitutiones.

Bononiæ 1564. dicitur statutum fuisse à Magistro ordinis, vt nulla soror ante quatuor annos à professione computandos ad electionem Priorissæ deinceps admittatur. Quod statutum repetitur & confirmatur Romæ 1583. & Romæ 1589. quod etiam extenditur ad tertiarias eligentes suas superiores.

Quia vero in cap. Valentino 1596. auctoritate Apostolica statutum fuit, vt fratres non habeant vocem in electionibus canonicis, nisi post duodecim annos completos à professione, ob id Neapoli 1600. extensum fuit prædictum decretum etiam ad moniales ordinis, ita vt nec actiuam nec passiuam vocem habere possint (etiam auctoritate Apostolica interueniente) nisi completo dicto duodecimo anno à professione. Quæ extensio fuit etiam confirmata Romæ 1601.

In eodem autem cap. Valentino 1596. ordinatur sub pœna grauioris culpæ tam fratribus, quam monialibus vocem habentibus in electione, ne de illa ante vnam diem naturalem loqui siuè tractare possint. Reliquis verò vocem non habentib. siuè velatæ, siuè cōuersæ fuerint, ne verbo vel scripto, per se, vel per alias personas quoquomodo de ipsa se intromittere audeant. Prælatis verò mandatur sub formali præcepto & sub pœna absolutionis ab officiis, vt prætaxatam pœnam contrafacientibus infligere debeant.

Romæ 1580. pro prouincia vtriusque Lombardiæ statuitur, vt duæ moniales sorores in eodem monasterio non possint sibi inuicem immediatè succendere in Prioratu vel Supprioratu, sed semper alia mediet inter illas duas.

De institutione Supprioriſsæ.

CAPVT XLII.

PRiorissa de consilio discretarum sororum & Prouincialis seu Vicarij eius assensu instituat Suppriorissam, cuius officium erit habere diligentiam & curam circa Conuentum, & in aliis quantum Priorissa assignauerit ei vel permiserit. In quotidianis vero capitulis non proclametur, nisi aliquando pro magno excessu secundum quod Priorissæ visum fuerit. Eadem autem Suppriorissa mortua Priorissa vel amota vices eius plenarie obtineat, quousque Priorissa sit electa & confirmata, & in domo præsens extiterit, vel nisi Magister, Prior Prouincialis, vel Vicarius aliter ordinauerit.

De Circatricibus. CAP. XLIII.

PRiorissa duas sorores discretas assignet & ordinet, ordinis zelatrices, quæ sint solicitæ & intentæ circa gestus & facta sororum, & post cõpletorium, de die etiam interdum claustrum & alias officinas circuiant, & si quam in aliquo se habentem minus religiose inuenerint debebunt in capitulo proclamare. Visitatorem quoque tempore visitationis de statu religionis quomodo seruetur vel non seruetur plene informare.

De Cellaria. CAP. XLIIII.

CEllariam sorores habeant vnam de maturioribus & discretioribus domus, quæ per se & socias sibi assignatas consilio Priorissæ & Suppriorissæ fideliter & deuotè bona temporalia procuret; quæ pecunias, pannos frumentum, vinum, vel aliquid huiusmodi sine licentia generali vel speciali dare non presumat. Cellaria coram Priorissa, & Suppriorissa, & tribus de maturioribus sororibus ad hoc assignatis à Conuentu computationem faciat quolibet mense receptorum & expensarum. Semel autem in anno, vel amplius si visum fuerit, coram Priore Prouinciali vel eius Vicario computatio fiat, & status domus exponatur. Possessiones sine consensu Conuentus alienari, vel minui non possunt.

De labore. CAP. XLV.

QVia ociositas inimica est animæ, & mater & nutrix vitiorum, nulla sit ociosa, sed diligenter obseruetur, vt exceptis illis horis & temporibus quibus orationi, vel officio, vel aliæ occupationi necessariæ debent intendere, operibus manuum ad vtilitatem communem omnes attente insistant, prout fuerit ordinatum. Cum sororibus autem quandiu sunt in labore, Priorissa, vel Suppriorissa, vel aliqua alia ad hoc à Priorissa assignata sit præsens. Laborent autem cum silentio. Nulla recedat à communi laborari sine licentia & necessitate, quæ autem sic exierit expleta necessitate redeat.

De capitulo quotidiano.

CAPVT XLVI.

FInitis matutinis teneatur capitulum, vel post primam, vel post tertiam & missam, si missa post primam dicatur, aliquando etiam poterit intermitti si Priorissæ videatur. Ingresso Conuentu capitulum lectrix pronuntiet lunam & quæ de Kalendario pronuncianda sunt, & Hebdomadaria prosequatur Preciosa &c. Deinde sororibus residentibus lectrix pronunciet lectionem de Constitutionibus vel de Euangelio pro tempore, præmisso Iube domine &c. & Hebdomadaria subiungat benedictionem. Regularibus disciplinis &c. vel Diuinum auxilium &c. pro tempore, & facta absolutione pro defunctis, dicat quæ tenet capitulum. Benedicite & responso. Dominus, inclinent omnes. Deinde recitatis beneficijs, & recommendatis reçommendandis orationibus, & dicto à Priorissa Retribuere dignare &c. dictis etiam à Conuentu psalmis. Ad te leuaui &c. De profundis &c. Kyrie eleison, Pater noster, cum tribus versiculis .s. Oremus pro Domino Papa &c. Saluos fac seruos tuos, & ancillas &c. Requiescant in pace &c. dicendis ab Hebdomadaria cum hīs tribus collectis .s. Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia &c. Prætende Domine &c. Fidelium Deus omnium &c. resideant sorores. Tunc quæ præest poterit dicere breuiter si quid ad honestatem & correctionem sororum viderit expedire. Post hæc dicat quæ præest, Faciant venias suas quæ se reas existimāt. Continuò quæ se reas existimant prostratæ veniam petant. Deinde auditis primo nouitiabus, si in capitulo fuerint audiendę, & egressis, alię surgant, & humiliter cōfiteantur culpas suas, & quarum culpa talis est, quæ digna sit correctione, pręparent se ad correctionem, quam tenens capitulum faciat, vel illa cui iniunxerit. In capitulo vero sorores non loquātur, nisi duabus de causis .s. culpam suam vel aliarum dicendo simpliciter, & prælatis suis tantum ad interrogata respondendo. Vna etiam stante & loquente nulla loquatur. Nulla faciat proclamationem ex sola suspicione. Item nulla accuset de auditu, nisi personam à qua audierit dicat. Similiter quælibet caueat, ne malum quod audierit de alia alteri conferat, nisi dicat à qua audierit. Auditis culpis dicatur Psal. Laudate, cum versu Ostende nobis.

Domine, & Domine exaudi &c. & collecta Actiones nostras &c. Et in fine dicat Priorissa. Adiutorium nostrum &c. Et si, soluitur capitulum. Cum non tenetur capitulum de culpis pronuncianda sunt ea quæ sunt de Kalendario & deinde Preciosa, siue in choro, siue in capitulo modo supradicto, exceptis recitationibus beneficiorum & orationibus annexis.

De leui culpa.

CAPVT XLVII.

LEuis culpa est, si qua mox vt signum factum fuerit, non relictis omnibus cum matura festinatione se præparauerit, vt ad locum pro quo fit signum tempestiuè veniat. Si qua designatum sibi legendi vel cantandi officium non attentè compleuerit, vel responsorium, vel antiphonam, vel aliud inceptura chorum turbauerit. Si qua malè legendo, vel cantando offenderit, & non se statim coram omnibus humiliauerit. si liber in quo legendum est in collatione, vel in capitulo, vel in Ecclesia cuiusquam negligentia defuerit. Similis culpa est, si qua ad mensam, vel collationem, vel sermonem, vel capitulum, vel ad horas in Ecclesia, vel ad laborerium commune citò non venerit, vel ad lectionem notata, ad benedictionem se tardè obtulerit. Si qua in dormitorio, vel alibi in Conuentu, aliquem tumultum fecerit, vel orantes, vel legentes, vel laborantes in aliquo inquietauerit. Si pannus ad inuoluendum calicem, vel patenam, aut corporale, stola, manipulus, vel similia per negligentiam cuiusquam in terram ceciderit, vel si vestes suas suo tempore & loco statuto honestè & ordinatè non reposuerit. Si qua cereum, vel aliquod vtensilium perdiderit, vel fregerit, vel aliquod vestimentum suorum deteriorauerit, vel amiserit: Si qua in officio, vel sermone, vel laborerio dormitauerit, vel oculos vagos habens per claustrum vel domum ad vanitates sæpè direxerit. Si qua ociosè vacauerit, vel dissolutè riserit, vel alias ad ridendum concitauerit, vel in aliquo gestu, vel motu, vel statu, vel habitu, vel verbo, reprehensibilis apparuerit. Pro his culpis vnus psalmus, vel plures secundum quantitatem excessus prout tenenti capitulum videbitur, iniungatur.

De Media culpa.

CAPVT XLVIII.

MEdia culpa eſt, ſi qua ad gloria primi pſalmi non affuerit, & in medio chori non ſatisfecerit, vel in vigilia Annuntiationis, ſiue Natiuitatis Domini in principio capituli non affuerit, vt pronuntiatis exordijs noſtræ ſalutis & redēptionis, gratias agat corde & corpore Redemptori noſtro. Similis culpa eſt ſi qua in choro non intenta diuino officio vagis oculis, & motu irreligioſo, leuitatem mentis oſtēderit. Si qua lectionem tempore ſtatuto non præuiderit, vel aliud legere aut cantare præſumpſerit, quam quod ordinatum eſt. Si qua in choro riſerit aut alias ridere fecerit, vel in Conuentu aliquam diſſolutionem fecerit. Item media culpa eſt ſi qua à capitulo, vel ſermone, vel collatione, vel refectione communi, vel laborerio, vel hora aliqua ex cauſa minus rationabili remanſerit. Si qua commune mandatum dimiſerit. Si qua cibi vel potus aliquid abſque benedictione ſumpſerit. Similis culpa eſt, ſi qua eam à qua proclamata eſt eadem die quaſi vindicando ſe proclamauerit, vel clamans in proclamatione ſua iurgium fecerit. Si qua, vt in loquendo fieri ſolet, cum iuramento aliquid affirmauerit, vel negauerit, vel vani loquium dixerit. Si qua ſororem proprio nomine vocare omiſſo hoc nomine, ſoror, in vſu habuerit. Pro huiuſmodi culpis pſalmi diſciplinæ & veniæ ſecundum diſcretionem tenentis capitulum imponantur, quantitate culparum inſpecta.

De graui culpa.

CAPVT XLIX.

GRauis culpa eſt, ſi qua cum aliqua lites habuerit, vel inhoneſtè contenderit. Si qua alicui opprobrium dixerit, vel culpam pro qua ſatisfecerit improperauerit. Si qua in proclamatione iurgium fecerit, vel in illam à qua proclamata eſt vel quamlibet aliam maledicta ſeu verba inordinata vel irreligioſa malitioſè inuexerit. Si qua diſcordias inter ſorores diſſeminauerit, vel detraxerit, vel ſuſurratrix inuenta fuerit. Si qua mala de ſororibus vel domo malitioſè euomuerit, vel culpam ſuam, vel alterius pro-

teruè defenderit. Si qua mendacium ſcienter dixerit. Si qua pro victu, vel veſtitu, vel qualibet alia re murmurauerit. Si qua ſilentium non tenere in conſuetudinem duxerit. Si qua carnes abſque licentia & neceſſitate comederit, vel ieiunia ſtatuta fregerit. Si qua in aliquem oculum fixerit, vel turpem ſermonem protulerit. Si qua res aliquas alij deputatas (quamuis non animo retinendi) ſine licentia acceperit, vel à capitulo vel ſermone aut communi dormitione ſine cauſa aliqua & licentia remanſerit. Pro huiuſmodi culpis, & ſimilibus, iniungantur tres dies in pane & aqua, & tres diſciplinæ in capitulo coram omnibus recipiendę, vel plures, & pſalmi, & venię, prout ſecundum exceſſus maiores vel minores videbitur iuſtum eſſe.

De grauiori culpa.

CAPVT L.

GRauior culpa eſt ſi qua per contumaciam vel manifeſtam rebellionem ſuis maioribus inobediēs extiterit, vel cum eis proteruè contendere auſa fuerit. Si qua aliam malicioſè percuſſerit. Si qua res aliquas alij conceſſas, vel de communi, animo celandi receperit, vel proprium habuerit. Similis culpa eſt, ſi qua munuſcula vel alias res ſine licentia dederit, vel receperit, vel receptas celauerit. Si qua literas, vel aliqua in ſcripto aliquo ſine licentia miſerit, vel receperit, vel legerit, vel ſibi legi fecerit. Si qua aliquid inhoneſtum domus, vel ſororum, vel ſecretum aliquod extraneo cuiquam reuelauerit, vel aliquod quodcunq; crimen capitale commiſerit. Pro huiuſmodi culpis, quæ rea fuerit veniam petens, ſceleris ſui immanitatem lamentabiliter proferat, & denudata vſque ad cingulum vapulet ad pedes ſingularum, primo Prioriſſæ, deinde vtriuſque lateris ſedentium, & ſit omnium nouiſſima in Conuentu. In refectorio quoque ad communem menſam non comedat cum alijs, ſed in medio refectorij ſuper nudam terram, & prouideatur ei groſſior panis & aqua, niſi quæ præeſt ei per miſericordiam aliquid impendat, nec reliquiæ prandij ſui cum alijs miſceantur. Ad canonicas horas, & ad gratias poſt comeſtionem ante oſtium Eccleſiæ tranſeuntibus ſororibus proſtrata iaceat dum intrant & exeunt. Nulla verò audeat ſe coniungere ei vel aliquid mandare. Talis quandiù erit in hac pœnitentia non communicet, nec veniat ad oſculum pacis, nec

notetur ad aliquod officium in Ecclesia, nec vlla ei committatur obedientia. Priorissa vero, ne in desperationem labi possit, mittat ad eam quæ in tali pœnitentia est sorores, quæ moueant eam ad pœnitentiam, prouocent ad patientiam, foueant per compassionem, hortentur ad satisfactionem, adiuuent per suam intercessionem. Quibus & totus Conuentus suffragetur si apparuerit in ea vera humilitas, nec renuat quæ præest cum ea facere misericordiam, & si videbitur ei denuò vapulet modo prædicto. Eodem modo debet pœnitere si qua (quod absit) in peccatum carnis lapsa fuerit, quod grauius cæteris puniri censemus, & plusquam omnia abominamur. Poterit autem ei quæ talis fuerit velum nigrum auferri, quandiù fuerit in hac pœnitentia. Si vero huiusmodi peccatum occultum fuerit, disquisitione secreta secundum tempus & personam condignam agat pœnitentiam. Si vero aliquæ per conspirationem, vel coniurationem, aut malitiosam concordiam aduersus Priorissam vel Superiores suos manifestè se erexerint, supradicto modo pœniteant, & de cætero in tota vita sua extremum locum sui ordinis teneant, & vocem in capitulo, nisi in sui accusatione, non habeant, nec eis aliqua obedientia iniungatur. Si qua tamen non malitiosè, sed in veritate aduersus Priorissam aliquid habuerit, quod tolerari non debeat, nec deceat, prius eam inter secum omni humilitate & charitate de sua correctione admoneat. Quod si frequenter admonita se corrigere neglexerit, aut contempserit, Prouinciali vel eius Vicario significetur.

De grauissima culpa.

CAPVT LI.

GRauissima culpa est incorrigibilitas illius, quæ nec culpas timet admittere, & pœnam recusat ferre. Si qua igitur talis inuenta fuerit, exuta habitu sororum, & earum societate priuata, recludatur in locum sequestrum, & vtatur cibis qui pro grauiori culpa superius sunt expressi. Ad correctionem autem talium, habeantur aliqua loca apta, in quib. non solum prædictæ incorrigibiles, sed etiam contagiosæ & suspectæ notabiliter de nocumento inferendo in personis vel in rebus, vel de fuga, poterunt recludi. Pro culpis vero minorib. istis poterit interdum iniungi aliquibus, vt in eisdem locis morentur ad tempus sequestratæ, secundum quod videbitur expediens.

Pro monialibus incorrigilibus notandæ sunt duæ constitutiones Pontificiæ, prima est Innocentij VII. suo priuilegio 3. ita disponentis.

Nos igitur supplicationibus vestris inclinati, vobis Magistro ordinis Prædicatorum, & Prouincialibus, vt quotiescumque moniales vestræ curæ commissæ, excessus, & crimina committentes, pro tempore, & propter potentiam consanguineorum vel amicorum suorum corrigere non poßitis, vos moniales ipsas pro huiusmodi excessibus, & criminibus, corrigendas, & puniendas locorum Ordinariis nuntietis, vt iuxta exigentiam defectuum vel criminum commissorum corrigere poßint, indulgemus auctoritate Apostolica tenore præsentium.

Altera est Leonis X. directa Vicario Generali Lombardiæ quæ habetur in libro priuilegiorum nostrorum fol. 213. cuius substantia est.

Tibi, & successoribus tuis concedimus, vt prauia monitione ea monasteria & moniales, quæ iuditio Vicariorum Generalium qui pro tempore fuerint, ordinationes, & monita ipsis pro conseruatione regularis obseruantiæ facta, adimplere, & obseruare neglexerint, de consilio & assensu aliquorum patrum discretorum congregationis, valeatis omnino relinquere, ita vt de similibus monasteriis & monialibus curam & regimen amplius habere non teneamini &c. Non obstantibus &c.

In cap. Valentino 1596. Admonentur moniales quod tenentur ad obedientiam eorum quæ in nostris Constitutionibus continentur, quæ si libera voluntate & ex praua consuetudine prætermittant, conscientiam propriam lædunt, & graues pœnas incurrunt. Quare obligationi suæ satisfacturæ diligentiores sint in eis obseruandis, & Prælati etiam procurent id maiori qua possunt diligentia. Si vero occurrerit ex aliqua graui causa, vel legitimo impedimento, non posse aliquod monasterium illa adamussim seruare, ad Magistrum ordinis recurrant, causas & impedimenta proponendo, vt maturè consulatur quid facto opus sit.

De Apostatis.

CAPVT LII.

SI qua in apostasia vel fuga deprehensa fuerit, & adducta inuita, pœnam quæ supra determinata est de incorrigibili sustinebit. Si qua verò fugitiua voluntariè redierit, petens misericordiam, nullatenus recipiatur in perpetuum, maxime si de lapsu carnis commisso suspecta fuerit, nisi Magistro ordinis, vel Prouinciali super hoc consultis, & expresso casu aliud ex causa interdum iudicetur. Cum autem fuerit recipienda, denudata vsque ad cingulum cum virgis in capitulum veniat, & prostrata veniam petat, & pœnis supradictis de grauiori culpa, vel lapsu carnis, vel conspiratione, subiiciatur, receptura tamen de misericordiis ibi taxatis plus vel minus, citius vel tardius, secundum exigentiam excessus præcedentis, & signorum pœnitentiæ subsequentis.

SVMMARIVM REGVLÆ, ET PRIVILEGIORVM FRATRVM, ET SORORVM TERTII ORDINIS;

De pœnitentia Beati Dominici nuncupatorum, ſub cura fratrum Ordinis Prædicatorum, exiſtentium, editæ pro vita, & moribus illorum.

De inſtitutione Tertiariorum de pœnitentia Beati Dominici.

CAPVT I.

GLORIOSVS fidei Catholicæ pugil ac Chriſti athleta Beatus Pater Dominicus zelator boni Status Eccleſiæ militantis, quamuis per ſe, & ſuos fratres, tam in Toloſa quam in Lombardia, in hæreticos triumphaliter dimicaſſet, ita vt tempore ſuæ canonizationis, coram ſummo Pontifice Gregorio IX. probatum legitimè fuerit, centum millia hæreticorum, & vltra, conuerſos fuiſſe ad fidem Catholicam, doctrina, & miraculis ſuis: nam antea ita venenoſa doctrina hæreticorum infecerat mentes, quod fere omnia iura Eccleſiæ erant per eos occupata, ac ea poſſidebant quaſi iure hæreditario, ex quo cogebantur Pontifices mendicare, nec vllam habebant potentiam, per quam poſſent errori reſiſtere, nec clericos aut pauperes ſecundum ſui officij debitum valebant iuuare, vnde in multis partibus etiam Italiæ regnabat iſta iniquitas. Quod S. P. Dominicus Zelotypa mente cernens, & ſuſtinere non valens, qui pro ſe, & ſuis ſequacibus, extremam elegerat paupertatem, cepit pro diuitiis Eccleſiæ recuperandis decertare. Aduocans igitur aliquos laicos Deum timentes, & ſibi præcipua deuotione affectos, cepit tractare de inſtituenda quadam ſacra militia, quæ iura Eccleſiæ recuperaret, & defenſaret necnon & hæreticis reſiſteret. nam illos quos voluntarios reperit, ſic induxit quod iuramentum præſtabant faciendi quæ dicta ſunt iuxta vires, & ad hæc exponere tam perſonam, quam ea quæ poſſidebant. Vt autem à coniugibus in hoc opere ſancto impediri non poſſent, horum

vxores induxit vt iurarent, quod viros non impedirent, sed potius iuuarent, & iuxta modum cooperarentur eis in omnibus possibilibus. Et S.P. vtrique parti copulæ seruanti ista, promittebat vitam æternam, vocauitque eos fratres de militia Iesu Christi. Et vt saltem per aliquod signum secernerentur ab aliis laicis, & aliquid super erogatorij operis adderent super consuetudinem aliorum, dedit eis colorem sui proprij habitus, vt .s. tam viri, quam mulieres, quacunque figura vestium vterentur, album tamen, & nigrum semper portarent, ita vt vterque color exterius appareret, ad innocentiæ & humilitatis iudicium. Insuper assignauit eis quendam taxatum numerum Dominicæ orationis, & Salutationis Angelicæ, quem pro qualibet hora canonica deberent quotidie orando perficere, vt à diuino seruitio non vacarent. Et postquam B.P. Dominicus ita benè ordinauit, migrauit ad cœlum, & crebrescentibus eius miraculis fuit à Gregorio IX. in numerum Sanctorum relatus. Hi autem fratres, & sorores de militia Iesu Christi, volentes ordinatori suo iam glorioso honorem reddere, decreuerunt mutare nomen, & vocari de pœnitentia B. Dominici, inducti, quia meritis, & miraculis dicti S. Patris, ac laboriosa doctrina fratrum suorum, iam pestis hæretica defecerat, & necessaria non apparebat multum pugna exterior, sed restabat vt per pœnitentiam interius pugnarent propter quod nomen de pœnitentia elegerunt, & ex toto cessauit ista militia, & eius effectus. Verum decedentibus huiusmodi status viris, fœminæ remanentes propter religiosam vitam quam elegerunt amplius nubere non audebant, & continentiam vidualem seruabant. Hoc cernentes aliæ viduæ quæ viduitatem seruare decreuerant, cœperunt dictas sorores de pœnitentia sequi, & illarum obseruantiam in suorum remissionem peccatorum imitari. Vnde paulatim crescentes in diuersis mundi partibus, & maxime in Italia, coegerunt fratres Prædicatores ad informandum eas de modo viuendi, qui à B. Dominico fuerat institutus, non tamen in scriptis redactus. Et ideo F. Munio Hispanus tunc existens Magister ordinis, modum illum viuendi scriptis mandauit, quem hodie habent, & vulgariter regulam vocant, quamuis propriè regula vocari non possit, quia nec illorum status proprie vocari debet regularis, cum tria vota in qualibet regularium religione necessaria non includat.

De Confirmatione regulæ fratrum de pœnitentia.

CAPVT II.

INnocentius VII. pro confirmatione huius regulæ talem edidit Constitutionem, in qua inserit capita regulæ de verbo ad verbum.

Quare pro parte fratrum, & sororum huiusmodi, nobis fuit humiliter supplicatum, vt regulæ siuè viuendi formæ eorundem robur Apostolicæ confirmationis adiicere, illamque per ipsos fratres, & sorores præsentes, & posteros in perpetuum obseruari mandare, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui super præmissis omnibus, & singulis, Venerabilis fratris nostri Angeli Episcopi Hostiensis (cui examinationem eorundem commisimus, per ipsum faciendam, & quod ea quæ per illam reperiret nobis referre curare). relatione plenaria & fideli fuimus clarius informati, huiusmodi

supplicationibus inclinati, regulam siuè viuendi formam, quam per singula eius capita clarè, & distinctè de verbo ad verbum, presentibus fecimus annotari, necnon statuta, & ordinationes prædicta rata habentes & grata, illa auctoritate Apostolica, ex certa scientia confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus, & nihilominus regulam seu viuendi formam eandem, per ipsos fratres, & sorores præsentes, & posteros volumus, & mandamus perpetuis temporibus inuiolabiliter obseruari.

Eugenius 4. has Innoc. 7. literas roborauit hoc testimonio.

Hinc est quod nos tenorem quarundam literarum Innocentij in sua obedientia septimi nuncupati (de qua partes infra scriptæ erāt) in ipsius registro repertū, pro eo quod sicut exhibita nobis nuper pro parte delectorum filiorum fratrum & dilectarum filiarum sororum ordinis fratrum Prædicatorum de pœnitentia B. Dominici nuncupatorū in ciuitate Eugubinæ degentium petitio continebat, ipsi huiusmodi tenore ex certis causis se asserunt indigere, de registro ipso de verbo ad verbum transcribi, & ad fratrum & sororum prædictorum instantiam petentibus annotari fecimus.

Et subsequuntur præfatæ litteræ Innocentij cum capitibus regulæ de quibus infra.

De priuilegiis rerum ac personarum Fratrum de pœnitentia.

CAPVT III.

GRegorius 9. exemit personas & bona horum fratrum à potestate quorumlibet Prælatorum, & eas sub sua recipit protectione his verbis, vt patet in priuilegio illorum, quod incipit Egrediens hæreticorum.

Vestris iustis petitionibus annuimus clementer, & personas vestras cum omnibus bonis, quę in præsentiarum rationabiliter possidetis, & in futurum iustis modis præstante domino poteritis adipisci, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nihilominus statuentes, vt omnes qui secundum propositum vestrum Deo adhærere voluerint, perpetuis temporibus sub Apostolicæ sedis & nostra defensione consistant. Paci quoque vestræ prouidere volentes auctoritate Apostolica inhibemus, ne quis aliquem capere, rapinis & iniustis collectis, vel exactionibus fatigare, vel ad aliqua illicita iuramenta, aut iniusta prælia cogere, aut alias indebitè molestare præsumant, ecclesiarum & Episcoporum iure semper saluo &c. Præterea ex vobis in vera pœnitentia persistentibus, qui mortis periculū pro fide Catholica, & Ecclesiæ libertate subierint, peccatorum omnium veniam indulgemus. Nulli ergo &c.

Aliud priuilegium concessit idem Gregorius 9. eisdem Tertiariis quod habetur inter nostra, & est huius Pontificis 4. in quo eximuntur à quibusdam calumniis & oneribus.

Indultum etiam illis fuit per sedem Apostolicam, vt tempore generalis interdicti possint ad audienda diuina conuenire in eis Ecclesiis, in quibus ex priuilegio celebrare contingat, nam Honorius 4. concedit vt infra.

Vobis tertiariis (s. de pœnitentia seu militia &c.) auctoritate præsentium indulgemus vt tempore generalis interdicti liceat vobis in Ecclesiis, in quibus ex indulto Apostolico celebratur, audire diuina officia, & recipere Ecclesiastica sacramenta, dummodo causam non dederitis interdicti, nec vobis contingat specialiter interdici.

Sixtus 4. in Mari magno concedit fratribus ordinis Prædicatorum vt

hos Tertiarios vtriusque sexus admittant in suis Ecclesiis ad audienda diuina tempore generalis interdicti. Leo vero 10. in bulla quæ incipit Sacro approbante Concilio, restrinxit has gratias his verbis.

Ne censura Ecclesiastica vilescat, & minoris auctoritatis interdicti sententia reputetur, iidem Tertiarij in Ecclesiis suorum ordinum ad diuina officia tempore interdicti non admittantur, si causam interdicto dederint, vel causam ipsam nutriant, aut dantibus auxilium vel fauorem præstiterint.

Quod præfatæ Tertiariæ personæ non continẽtur sub nomine Beguinarũ.

CAPVT IIII.

CLemens V. quamdam Clementinam promulgauit, & condemnauit certam mulierum sectam, ex partibus Alemaniæ aduenientem, quæ Beguinæ vocabantur, & de trinitate, ac de diuina essentia disputabant, & opiniones fidei catholicæ non consonas circa sacramenta sub specie pietatis introducebant, & hanc sectam abolendam esse statuit, excommunicationemque ac alias pœnas in eam promulgauit. Qua occasione Tertiariæ istæ personæ multa passæ sunt ac si & illæ sub hac secta comprehenderẽtur. Et ideo Ioannes 22. sua Constitutione declarauit sub harum Beguinarum condemnatarum nomine eas non contineri. In qua hæc habentur verba in suo priuilegio, quod est in ordine suo quartum.

Nos igitur rationi contrarium reputantes, si probæ & improbæ simili censura percuterentur &c. fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus vt vos (S. Episcopi per Lombardiam, & Tusciam destinati) & singuli vestrum, in suis ciuitatibus & diœcesibus de vita dictarum mulierum de pœnitentia B. Dominici nuncupatarũ, laudabiliter viuentium, diligentius informati, si reperiretis ita esse, non permittatis eas seu earum aliquas, in bonis, & personis occasione abolitionis prædictæ molestari, quousquè de statu illarum aliud per Apostolicam sedem fueri ordinatum, molestatores per censuram Ecclesiasticam compesciendo &c.

Et proinde alij posteriores pontifices gratias & immunitates eisdem concesserunt vt infra magis palam fiet.

De priuilegiis pro Sacramentorum susceptione.

CAPVT V.

BOnifacius 9. in suo priuilegio 7. concedit vt infra.

Humilibus & honestis supplicationibus vestris inclinati, vobis, & cuilibet vestrum (s. personis vtriusquè sexus de pœnitentia B. Dominici nuncupatis) pœnitentiam salutarem ac Sacramentum Eucharistiæ corporis Domini per idoneos fratres ordinis sancti Dominici in Italia constitutos, in locis in quibus morari, vel ad quæ vos declinare contigerit, quoties opus fuerit, præterquam in festo Resurrectionis D. N. licitè recipere valeatis, tenore præsentium auctoritate Apostolica facultatem elargimur.

Alexander 6. vnico suo priuilegio facultatem hanc ampliauit modo & verbis vt infra.

Hinc est quod nos tuis (.s. Vicarij generalis prouinciæ Lombardiæ) *supplica-*

tionibus inclinati, singulis fratribus Congregationis Lombardiæ, in presbyteratus ordine constitutis, nunc & pro tempore existentibus, de tua, & successorum licentia, seu præsidentis domus omnibus, & singulis fratribus & sororibus de pœnitentia Beati Dominici nuncupatis, quando id petierint, tam in die resurrectionis Domini, & infra eiusdem festi octauam quam etiam aliis diebus. etiam in mortis articulo, Eucharistiam, & alia Sacramenta Ecclesiastica quæcumque exhibere, & ministrare, liberè & licitè valeant, cuiusuis licentia super hoc minime obtenta, seu etiam petita, auctoritate Apostolica licentiam impartimur. Non obstantibus &c.

De priuilegiis Tertiariorum collegialiter viuentium.

CAPVT VI.

IN duas partes labentibus temporibus diuisæ sunt hæ personæ Tertiariæ, quædam enim in vnum collegium vnitæ manebant, possidentes bona tamen in communi, ad modum religiosorum, aliæ vero in propriis domibus habitabant, hinc factum fuit vt multa priuilegia à S. sede illis concessa fuerint, & non istis. Primo ergo notabimus quæ collegialiter viuentibus præstita fuere.

Sixtus 4. in suo priuilegio 6. tali exemptione Tertiarios decorauit.

Nos igitur supplicationibus Magistri ordinis Prędicatorū & vniuersorum fratrum ac sororum de pœnitentia B. Dominici nuncupatorum inclinati, Communitatibus, Potestatibus, & officialibus præfatis sub excommunicationis pœna mandamus, quam si moniti non resipuerint eo ipso incurrant, ne eisdem veris non quæsitis, aut propterea receptis fratribus, & sororibus continentibus, & non coniugatis, qui secundum regulam, & instituta dicti ordinis regularia viuunt, & perseuerant, grauamina aliqua libertati Ecclesiasticæ contraria indicere, aut ipsos F. & sorores quo minus gaudeant priuilegiis, immunitatibus tam fori quam personæ, & rerum; sicut aliæ personæ Ecclesiasticæ, quomodo libet impedire pręsumant, auctoritate Apostolica tenore præsentium inhibemus. Et nihilominus Episcopis &c. & aliis quibuslibet personis in dignitate ecclesiastica, cōstitutis, ac Canonicis Ecclesiarum Cathedralium pro tempore existentibus, & cuilibet illorum, qui super his fuerint requisiti, per Apostolica scripta mandamus, ne permittant dictos fratres & sorores per quoscumque quauis auctoritate indebitè molestari, & contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellant. &c.

Idem Sixtus 4. in bulla quam Auream vocant pro Tertiariis ordinis minorum & Prædicatorum statuit vt infra.

Et ne propter monasteria monialium &c. etiam de pœnitentiis nuncupatorū vtriusque sexus, cōtingat personas fratrum (s. Prædicatorum, & minorum) *quietem turbari, motu scientia, & auctoritate prædictis, statuimus, vt huiusmodi monasteria &c. ac personæ tertij ord. de pœnitentia nuncupatæ, eisdē priuilegijs, immunitatibus, gratiis, fauoribus, concessionibus, facultatibus, & indultis, spiritualibus, & temporalibus prædictis fratribus ordinum Prædicatorum, & minorum concessis, per nos, & prædecessores nostros, ac in posterū concedendis quauis auctoritate, quatenus eorū sexui & statui non repugnent, liberè & licitè, vti possint & debeant, in omnibus, & per omnia prorsus, & sine vlla differentia ac si eisdem personis de pœnitentia &c. concessæ forent, & concederentur expressè &c.*

Idem Sixtus 4. in bulla apud Rodericum 25. de Tertiariis ordinis minorum agens dispo suit vt infra.

Dudum accepimus quod quidam fratres, & sorores tertij ordinis B. Francisci, ex speciali concessione nostra, & prædecessorum nostrorum collegialiter viuentes, post annum probationis, in manibus ministri vel ministræ &c. vouent, & promittunt obedientiam paupertatem castitatemque perpetuam solemniter coram toto suo collegio, dubitatumque à plerisque fuit an tale votum sit solemne, & obliget tanquam tale. Nos igitur &c. auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & declaramus, votum præfatum sic (vt præmittitur) emissum, vel quod emittetur in futurum, de cætero habere vim, & validitatem voti solemnis, & inducere omnem effectum, quem inducit votum solemne cuiuscumque religionis à S. Sede Apostolica approbatæ, districtè præcipientes Superioribus eorumdem fratrum & sororum curam habentibus, præsentibus, & futuris, ne eos qui tale votum emiserunt aut emittent de cætero matrimonium contrahere, seu antè contractum consummare, aut ipsam religionem dimittere, & ad sæcularē vitam redire permittant, & aliter facientes excommunicati declarentur &c. & si matrimonium post emissam professionem contraxerint, illud nullum esse declaretur.

Iulius 2. in suo priuilegio 3. de voto illorum differens sic ait.

Et insuper tibi Magistro ordinis concedimus, quod mulieres prædicti ordinis, quæ de pœnitentia nuncupantur, collegialiter viuentes, si tibi placuerit, & illæ hoc cupiant, ex benignitate Apostolica, tria vota religionis, in manus tuas, aut illorum quos ad hoc duxeris deputandos, emittere licitè valeant.

Idem Iulius 2. in priuilegio suo 4. hæc habet verba in proposito.

Sororesque de pœnitentia B. Dominici nuncupatæ collegialiter viuentes, & volentes vouere tria religionis vota iuxta nostram concessionem, eadem auctoritate volumus vt profiteantur obedientiam tibi, & pro tempore existente Magistro generali, vel alteri vices Magistri Generalis tenenti vsque ad mortem, secundum regulam B. Augustini. Et tamen propter hoc non teneantur ad clausuram, nec ad officium diuinum magis quam ex regula tertij habitus fratrum tenentur.

Paulus 3. in priuil. suo 2. prædicta confirmans declarat vt infra.

Nos igitur obnubilantia dubia de cordibus fidelium tolli cupientes, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, & statuimus, quod vota per fratres, & sorores Tertij ordinis seu de pœnitentia B. Dominici nuncupati, eo modo emissa secundum quod fratres & sorores Tertij ordinis S. Francisci emittunt, sint, & censeantur, ac eundem faciant affectum, & ad religionis obseruantiam arctent, & obligent, quemadmodum & illa. Mandantes omnibus sub quorum cura degunt, siue in posterū degere contigerit, ne de cætero fratres & sorores qui huiusmodi vota emiserint, modo prædicto, matrimonium contrahere, aut antea contractum consummare, aut religionē dimittere, & ad sæcularem vitam redire permittant. Quod si matrimonium contraxerint, illud nullum esse decernentes, dictos fratres & sorores excommunicationis sententia innodatos esse tandiù denuntient, donec ad cor reuersi eundem habitum religionis assumpserint, & votum ac professionem secundum statuta tertia regulæ B. Dominici collegialiter viuentes obseruent.

Et absque dubio qui ita vouent, & collegialiter viuunt, gaudent omnibus gratiis, priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus &c. quibus gaudent fratres,

fratres & moniales nostri ordinis iuxta superius dicta cap.3.

Postea Pius V. has Tertiarias collegialiter viuentes, & predicto modo fessionem emittentes, ad clausuram perpetuam reduxit, vt patet in eius bulla super clausura monialium edita, in qua habet hæc verba.

Mulieres quoque quæ Tertiariæ, vel de pænitentia vocantur, cuiuscumque fuerint ordinis in congregatione viuentes, & si ipsæ professæ fuerint, ita vt solemne votum emiserint, ad clausuram præcisè teneantur. Quod si votum solemne non emiserint, Ordinarij vna cum superioribus earundem hortentur & persuadere studeant, vt illud emittant, & post illud emissum clausuræ se subijciant. Cæteris autem omnibus sic absque professione & clausura viuere omnino volentibus, prohibemus perpetuò, ne in futuro vllam aliam in suum ordinē siue congregationem recipiant, quod si aliquas receperint, eas ad sic viuendum inhabiles reddimus, & illarum receptiones nullas esse decernimus.

Hinc factum est vt nullæ, aut paucæ in partibus Italiæ reperiantur Tertiariæ, quæ collegialiter viuant sine clausura, & quæ nunc sunt, in propriis domibus, siue suis, siue consanguineorum suorum habitare consueuerunt.

De Tertiariis in propriis domibus degentibus, & illarum priuilegiis.

CAPVT VII.

IN Concilio Lateranensi sub Leone X. Agitata fuit causa priuilegiorum ordinum mendicantium, & simul etiam fratrum, & sororum de pœnitentia dictorum. Et nomine Concilij Leo' Bullam promulgauit, quæ incipit Sacro approbante Concilio, quæ est 3. inter sua priuilegia, & his verbis declarauit horum priuilegia.

Fratres autem, & sorores Tertij ordinis, necnon & Mantellatæ Corrigiatæ Pizochere, Cordellatæ; & aliæ quocumque nomine nuncupatę in propriis domibus habitantes, sepulturam vbi voluerint eligere possunt, sed die Paschatis tantum Eucharistiam, necnon & extremam vnctionem, cæteraque ecclesiastica sacramenta (pænitentiæ sacramento dumtaxat excepto) à proprio sacerdote recipere, & ad onera quæ laicis imponuntur perferenda teneantur, ac in foro sæculari corā iudicibus sæcularibus conueniri possint. Et ne censura ecclesiastica vilescat & minoris auctoritatis interdicti sententia reputetur, iidem tertij ordinis fratres & sorores, ad diuina audienda in Ecclesiis suorum ordinum tempore interdicti nullatenus admittantur, si causam dederint interdicto, vel causam ipsam nutriant, aut dantibus auxilium vel fauorem præstiterint. Collegialiter autem viuentes, seu cum claustralibus habitantes, & mulieres virginalem, seu cælibem vitam, aut castam vidualem expresso, voto, & sub dicto habitu degentes, priuilegiis quibus fratres ordinis gaudent gaudere debeant.

Idem Leo X. In suo priuilegio 7. eadem confirmat & declarat in hæc verba.

Cum autem sicut accepimus à quibusdam nimium curiosis vertatur in dubium an votum prædictum (. s. fratrum, & sororum tertij ordinis) *in propriis domibus habitantium de voto solemni intelligatur, cum illud tria substantialia vota. s. obe-*

dientiam, paupertatem, & castitatem contineat, & circa dictas mulieres, virginalem, seu castam, & vidualem vitam ducentes, de virginitate & castitate tantummodo mentio fiat. Nos ad tollendum omne dubium, motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, harum serie decernimus, & declaramus, quod in præmissis de voto solemni religionis minime intelligi debeat, ita vt mulieres virginalē, vel cælibem vitam simpliciter vouentes, etiam in consanguineorum, vel affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsum habitantes, priuilegiis, & immunitatibus prædictis in omnibus & per omnia frui & gaudere debeant. Non obstantibus, &c.

Ex quibus verbis collegi apertè posse videtur, mulieres vidualem aut virginalem vitam vouentes tantum, nulla mentione facta de voto paupertatis, & obedientiæ, etiam si illarum votum non sit religionis, quia hoc necessario consistit in illis tribus votis, gaudere priuilegiis fratrum si habitum religionis portant. Illæ vero mulieres quæ solum habitum portant nullum votum emittentes, sunt quæ priuilegium sepulturæ habent, & in die Paschatis tenentur à proprio Parocho Communionem sumere, necnon & extremam vnctionem in infirmitate.

Capucinus tamen in suis additionibus ad compendium priuilegiorum ordinis minorum verbo Tertiarij, existimat reuocatam fuisse gratiam hanc Leonis X. concessam monialibus habitantibus in propriis domibus, eo quia Pius V. & Greg. 13. in confirmatione priuilegiorum mendicantium fratrum, monialium, & Tertiariarum, nominant tantum Tertiarias in congregatione viuentes.

At postremo à sacra Congregatione Concilij exiit decretum, quod confirmat declarationem dicti Leonis X. in fauorem Tertiariorum, vt gaudere possint omnibus gratiis fratrum & monialium quod est.

Sacra Congregatio Concilij Tridentini Cardinalium interpretum consulta respondit, Fratres Tertiarios, Mantellatos, Corrigiatos, aliosque similes, ita demum ordinis, Cuius tertiæ regulæ habitum assumpserunt, priuilegijs potiri, & ab ordinarij iurisdictione exemptos esse, si viri collegialiter viuant, aut cum claustralibus habitent, & mulieres si virginalem, seu cælibem, aut castam vidualem expresso voto, & sub dicto habitu vitam traduxerint, quemadmodum cauetur Constitutione Concilij Lateranensis sub Leone X. quæ habetur sess. 2. in fine. Hoc autem voto mulierum alia duo. s. paupertatis & obedientiæ nequaquam includi. Quinimo huiusmodi mulieres si vitam virginalem aut cælibem simpliciter expresseque vouerint, etiam in consanguineorum, & affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsum habitantes, supradictis priuilegiis ordinis, cuius tertiæ regulæ habitum deferunt, exemptioneque ab Ordinarij iurisdictione frui debere, quemadmodum idem Leo postea declarauit Constitutione edita die prima Martij 1518. Quod si fratres & sorores tertij ordinis quid amplius prætendant vigore consuetudinis, posse ius suum prosequi in iudicio ordinario.
Hiero. Card. Pamphilus.

CAPITA REGVLÆ.

De recipiendis, & eorum conditione.

CAPVT VIII.

IN primis, vt hic ordo continuum & perpetuum de bono in melius recipere valeat incrementum, quod ex receptione personarum bene dispositarum plurimum noscitur dependere, volumus & ordinamus, quod nullus recipiatur ad ordinem huius fraternitatis, nisi per Magistrum, siue directorem, & per Priorem dictæ fraternitatis, vel de ipsorum licentia, ac etiam de assensu maioris partis fratrum professorum fraternitatis eiusdem illius loci, præmissa tamen diligenti examinatione, quod sit honestæ vitæ, & bonæ famæ, ac de hæresi nullatenus sit suspectus, quinimo tanquam S. Dominici singularis in Domino filius, sit veritatis Catholicæ fidei iuxta suum modulum æmulator ac zelator præcipuus, qui etiam antequam habitum huius religionis recipiat, de alienis si qua habuerit satisfaciat ad plenum, & proximis reconciliari, necnon paratum siue conditum suum testamentum tenere studeat iuxta consilium & ordinationem Confessoris discreti. Et eadem examinatio fiat de mulieribus ingressum huius ordinis petentibus, Habentibus tamen viros non pateat ingressus ad consortium dictæ fraternitatis, nisi de virorum suorum licentia & consensu, de quo consensu fiat publicum instrumentum. Idem quo ad hoc seruari volentes in viris vxores habentibus, nisi obstaret in ipsis vel altero ipsorum causa quæ legitima iudicaretur consilio discretorum.

Venetiis 1592. dicitur: Ordinamus prout alias etiam fuit ordinatū, & strictissimè inhibemus omnibus Prælatis sub pœna absolutionis ab officiis statim si contrafecerint incurrenda, ne de cætero aliquam mulierem ad habitum tertij ordinis recipiant, quæ sit minoris ætatis quam quadraginta annorum, quæ non sit bonæ famæ, & honestæ familiæ, & quæ non habeat sibi vnde de victu & vestitu prouidere valeat sufficienter. Hoc de his quæ in propriis domibus habitant intelligitur. Confirmatur Neapoli 1600. & Romæ 1601. Vbi additur, quod de cætero non admittantur ad habitum nisi se obligauerint ad votum solemne, si in vna tantum domo vel monasterio simul habitauerint sub debita clausura.

De habitu fratrum & ſororum.
CAPVT IX.

OMnes autem tam fratres quam ſorores dictæ fraternitati induantur panno albo & nigro, qui nec in colore, nec in valore nimiam precioſitatem prętendat, ſicut decet honeſtati ſeruorum Chriſti. Mantellum ſit de nigro, & fratrum caputiaſi militer ſint de nigro, tunicæ vero de albo, qurum manicæ protendantur vſque ad pugnum, & ſint clauſæ. Corrigias de corio tantum habeant, quibus ſorores cingantur ſub tunica. In burſis, & calceamentis, & cæteris omnem mundanam reſecent vanitatem. Vela vero ſororum & bindæ ſint alba de panno lineo vel canabino.

De benedictione veſtium ſiue habitus, & de modo recipiendi ad hunc ordinem. CAPVT X.

REcipiatur autem recipiendus in loco capituli fraternitatis, vel ante altare eccleſiæ fratrum ordinis Prædicatorum illius loci, & à Magiſtro, ſiue directore ſupradicto, vel eius Vicario. qui Magiſter aſſiſtente induendo, & petente humiliter flexis genibus recipi, præſentibus aliquibus aliis fratribus Prædicatoribus, & Priore fraternitatis, vel eius vices gerente. cum aliis de fraternitate, benedicet primo habitum eius qui debet recipi hoc modo videlicet. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. Dominus vobiſcum. Oremus. Domine Ieſu Chriſte, qui tegimen noſtræ mortalitatis induere dignatus es &c. Poſtea vero tali habitu benedicto & per receptum ſeorſum induto, atque ad gradum altaris reuerſo, & ante Magiſtrum genuflexo, dicet Magiſter. Veni creator Spiritus. Et fratres qui ei aſſiſtunt ipſum proſequantur vſque ad finem. Deinde dicatur Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon. Pater noſter &c. Emitte ſpiritũ tuum &c. Saluum fac ſeruum tuum &c. Dominus vobiſcum, Oremus Deus, qui corda &c. & Prętende Domine &c. Et reſponſo Amen aſpergatur ſic indutus à Magiſtro aqua benedicta. Omnes fratres fraternitatis ipſum recipiant ad oſculum pacis. Et eodem modo ante altare recipiantur mulieres quemadmodum eſt de fratribus ſupradictum.

De professione, seu modo profitendi. CAP. XI.

COmpleto anno, vel ante si Magistro, & Priori supradictis, vel cui commiserint, & etiam maiori parti fratrum professorum fraternitatis visus fuerit idoneus, ad professionem recipiatur. Profitebitur autem hoc modo videlicet. Ad honorem Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & B. Mariæ virginis, & B. Dominici. Ego N. coram vobis, N. Magistro, & Priore ordinis de pœnitentia B. Dominici talis loci, profiteor me velle de cætero viuere secundum regulam, & formam fratrum & sororum eiusdem ordinis de pœnitentia B. Dominici vsque ad mortem. Mulieres vero eodem modo profiteantur coram Magistro supradicto, & Priorissa, vel cui ipsi commiserint.

De permanentia in hoc statu. CAP. XII.

STatuimus autem, vt nullus frater nec soror huius fraternitatis & ordinis, post talem supradictam professionem de hoc ordine egredi valeant, nec eisdem ad sæculum reuerti liceat, sed bene possint libere transire ad vnam de approbatis religionibus tria vota solemnia profitentibus.

De horis Canonicis dicendis. CAP. XIII.

FRatres & sorores dicant quotidiè omnes horas canonicas, nisi firmitate impediantur. Pro Matutinis dicant viginti octo Pater: pro vesperis quatuordecim, pro qualibet aliarum horarum septem. Ad honorem vero B. Mariæ semper virginis pro qualibet hora superius nominata tot Aue Maria, quot Pater noster, dicere teneantur. Pro benedictione autem mensæ dicant vnum Pater noster Cum vero surgunt à mensa dicant similiter vnum Pater noster, pro gratiarum actione, psalmum Miserere mei Deus, vel psalmum Laudate, qui sciunt. Omnes etiam qui sciunt symbolum Apostolorum videlicet, Credo in Deum, dicant illud semel in principio matutinarum, & etiam ante primam, & quando completorium fuerit terminatum. Qui autem sciunt & dicunt horas canonicas quemadmodum faciunt clerici prædicta Pater noster, & Aue Maria dicere minime teneantur.

De surgendo ad matutinas. CAP. XIV.

AD matutinas Dominicis diebus, & festiuis à festo Omnium Sanctorum vsque ad festum Resurrectionis Dominicæ, omnes surgant. In Aduentu & quadragesima surgant, etiam omni nocte. Qui vero occupantur quotidiano opere manuali, horas

ſuas dicere poterunt de mane vſque ad veſperas excluſiuè. De ſero vero veſpetas & completorium ſimul dicant.

De Confeßione, & Communione. CAP. XV.

OMnes quater in anno ad minus videlicet in feſto Natiuitatis Domini, Reſurrectionis ipſius, Pentecoſtes, & in feſto Aſſumptionis, aut Natiuitatis beatæ Virginis, peccata ſua confiteantur diligenter, & Euchariſtiæ deuote ſtudeant recipere ſacramentum, niſi forſan ex aliqua cauſa rationabili alicui ex ipſis eſſet à ſuis Confeſſoribus interdictum. Qui autem ex deuotione ſua ſæpius voluerint communicare infra annum, petita à ſuo Prælato licentia & obtenta deuotionem ſuam cum Dei benedictione poterunt executioni mandare.

De ſilentio in Eccleſia obſeruando. CAP. XVI.

IN Eccleſia dum celebrantur miſſæ, vel cantatur diuinum officium, ſeu actualiter ibidem proponitur verbum Dei, omnes ſilentium ſeruare ſtudeant, & orationi ac diuino officio diligenter intendant, niſi ex aliqua ſpeciali & occurrente neceſſitate aliquid ſilenter loquantur.

De reuerentia exhibenda Eccleſiarum Prælatis, & Eccleſiis eorundem. CAP. XVII.

FRatres & ſorores Eccleſias quarum Parochiani & Parochianæ exiſtunt, iuxta canonicas ſanctiones, & bonos mores, & cum omni deuotione ſtudeant viſitare, & Eccleſiarum ſuarũ Prælatos, videlicet Epiſcopos, & inferiores ſummè reuereantur, ipſorũq; iura abſq; omni diminutione & fideliter eis ſoluant. Et hoc tam in decimis quã in oblationibus alias quomodolibet cõſuetis.

De Ieiuniis. CAP. XVIII.

A Dominica prima Aduentus vſque ad Natiuitatem Domini, quotidiè tam fratres quàm ſorores ieiunent. Et ſimiliter à Dominica in quinquageſima vſq; ad Paſcha Reſurrectionis Domini idem obſeruent. Ferias autem ſextas ieiunabunt omni tempore, & ieiunia omnia ab Eccleſia inſtituta. Qui autem voluerint amplius ieiunare, ſeu auſteritates alias facere, poterunt habita licentia à Prælato ſuo, vel de conſilio Confeſſoris diſcreti.

De cibo. CAP. XIX.

FFratres & ſorores huius fraternitatis vti poterunt carnibus diebus Dominicis, tertia, & quinta feria, cæteris vero diebus abſtineant, niſi ſint infirmi, aut multum debiles vel minuti, vel

nisi præcipuum festum fuerit illa die, aut quia essent in itinere constituti.

De discursu fratrum & sororum. CAP. XX.

VAgos curiososque discursus per ciuitatem non faciant. Sorores vero solæ non discurrant maximè iuniores. Ad nuptias, siue ad dissoluta & mundana conuiuia, siue ad vana spectacula, nullo modo accedant. De ciuitate vero seu castro vbi habitant non exeant etiam causa peregrinationis, absque specialiter licentia Prælati vel magistri fraternitatis iam dictæ.

De armis à fratribus non ferendis. CAP. XXI.

INuasionis seu impugnationis arma secum fratres non deferant, nisi pro defensione fidei Christianæ, aut ex alia rationabili causa, & de suorum Prælatorum licentia.

De infirmis visitandis, & procurandis. CAP. XXII.

DEputentur per Priorem duo ex fratribus, qui cum quempiam ex eisdem nouerint infirmari, ipsum quam citius charitatiuè poterunt studeant visitare, & statim à principio ad recipiendam pœnitentiam & alia ecclesiastica sacramenta eundem efficaciter exhortentur, & si necesse fuerit ministerium corporale, prout commodè poterunt eisdem studeant exhibere. Si vero fuerit pauper, necessaria de bonis, propriis, vel communibus, prout facultas permiserit, sibi ministrare procurent. Et idem faciant sorores circa sorores suas infirmas.

De obitu fratrum & sororum, & suffragiis eorum.
CAP. XXIII.

QVando continget aliquem ex fratribus ex hac luce migrare, cæteris confratribus qui sunt in eadem ciuitate, vel castro nuntietur vt procurent defuncti exequiis personaliter interesse, à quibus non recedant donec corpus fuerit traditum sepulturæ. Hoc idem circa sorores decedentes volumus obseruari. Præterea infra octo dies post ipsius defuncti sepulturam immediatè sequentes, quilibet frater & soror dicat pro anima eius, sacerdodos vnam missam; sciens vero psalterium, psalmos quinquaginta, illiterati vero centum Pater noster dicant, addendo in fine cuiuslibet Requiem æternam &c. Et præter hæc quilibet infra annum, pro fratrum, & sororum tam viuorum, quàm defunctorum, tres missas faciant celebrare, qui vero sciunt psalterium illud dicant. Et cæteri quingenta Pater noster dicere teneantur.

De institutione Prioris & Priorissæ. CAP. XXIV.

PRiore Fraternitatis mortuo, vel amoto, Magister siue director fraternitatis cum consilio antiquorum de fraternitate instituat Priorem. Singulis autem annis infra octauas Paschæ vel alio tempore supradictus Magister habeat consilium cum antiquioribus de fraternitate super amotione vel confirmatione Prioris; & sic Priorem confirmare, vel amouere poterit, secundum quòd ipse cum præfatis iudicauerit expedire. Consimiliter etiam de consilio dicti Magistri & aliquorum do fraternitate magis antiquorum poterit Prior fraternitatis ordinare de Supprio-re vel Vicario fraternitatis, & etiam postmodum confirmare vel amouere secundum quòd eisdem visum fuerit expedire. Qui Supprior vel Vicarius tantam potestatem habeat quantam Prior sibi concedet. Et hæc eadem forma in institutione & destitutione Priorissæ & Suppriorissæ simili modo obseruetur.

De officio Prioris, & Priorissæ dicti ordinis. CAP. XXV.

PRioris officium erit cum omni diligentia seruare in se quæ in regula scripta sunt, & solicitam dare operam, vt ab aliis confratribus obseruentur; si quos vero viderit transgredientes, aut etiam negligentes, charitatiuè corripiat, & emendet. Vel si magis sibi videtur expediens, fraternitatis Magistro & directori vt corrigat poterit intimare. Priorissæ etiam erit officium solicitè Ecclesiam visitare, cæteras etiam sorores excitare ad obseruantiam regularem, diligēter etiam per seipsam & alias quibus imponet obseruare, quod in incessu, statu habitu, nihil per aliquā consororem fiat, quod cuiusquam merito turbare possit aspectū. Præcipuè autem attendat nè sorores cum quocunque viro cuiuscunq; conditionis existat familiaritatem contrahant, maximè iuniores; nisi forsan talis vir sorori illi attineat infra tertium consanguinitatis gradum ad longius, cum hoc existens bonæ vitæ & famæ.

De correctione fratrum & sororum. CAP. XXVI.

SI quis notatus fuerit de aliqua familiaritate suspecta, & ter admonitus per Prælatum, si se non emendauerit, excludatur ad tempus à capitulo, & à consortio cæterorum confratrum. Qui si nec sic se correxerit, tunc de fratrum consilio discretorum de ipsorum penitus consortio publicè excludatur, nec admittatur de cætero, nisi confratribus omnibus videatur esse correctus. Item si quis cōfrati vel alteri cuiuscunq; opprobriū dixerit, quod sonare

infamiam

infamiam videatur, aut ex ira quẽquam percusserit, vel ad locum sibi prohibitum ire pręsumpserit, seu in obedientiam quamcunq; commiserit, aut etiam Prælato mendacium ex industria dixisse deprehensus fuerit, abstinentia panis & aquæ, vel exclusione à capitulo, aut etiam à cõsortio aliorum fratrũ, plus vel minus secundũ conditionẽ personæ & exigentiam delicti, grauius, vel leuius corrigatur. Item si quis crimen mortale commiserit, talis de consilio maioris partis fratrum professorũ fraternitatis illius loci, secundũ exigentiã culpæ, & conditionẽ personę, grauius, vel leuius puniatur, sic tamẽ quod sit cæteris in exemplũ, quam punitionẽ si ferre recusauerit de cõsilio discretorũ de isto ordine expellatur. Circa sororũ vero correctionẽ illud idẽ volumus per omnia obseruari.

De Congregatione fratrum & sororum, & institutione Magistri eorum. CAP. XXVII.

IN quolibet autem mense semel certa die & hora per supradictũ Magistrum vel eius Vicarium deputãdis, ad Ecclesiam fratrum prædicatorum cõueniant fratres omnes ordinis fraternitatis Dei verbum, & etiam missam si hora competens fuerit pariter audituri. Et tunc per ipsum Magistrum ipsis legatur regula ista, & exponatur. Et tunc de agendis fratres informet, & negligentes corrigat, & emendet, prout secundum Deum & regulam seu viuendi formulam viderit expedire. In cuiuslibet etiam mensis prima sexta feria, sorores ad Ecclesiam fratrum Prædicatorum conueniant similiter, Dei verbum & missam communiter auditurę: quibus etiam legatur regula ista, & exponatur; de suisque excessibus corrigantur per Magistrum deputatum eisdem. Volumus autem quod in qualibet ciuitate & castro vbi fuerint fratres, & sorores huiusmodi, habeant in Magistrũ & directorem aliquem idoneum fratrem sacerdotem de ordine Prędicatorum, quem postulauerint à generali Magistro vel Prouinciali illius prouinciæ dicti ordinis Prædicatorum, aut quem ipse generalis Magister seu Prouincialis per se vel alium eisdem concedere & assignare decreuerit. Volentes insuper, & statuentes, vniuersos fratres, & sorores huiusmodi de pœnitentia B. Dominici vbicunque existant, directioni, & correctioni ipsius generalis Magistri ordinis antedicti, & prioris Prouincialis illius prouinciæ eiusdem ordinis, pro eorundem ampliori conseruatione & promotione totaliter subiacere, quan-

tum ad illa videlicet quæ eorundem viuendi modum & formulam concernere dignoscuntur.

De dispensatione facienda rationabili causa concurrente.

CAPVT XXVIII.

PRior fraternitatis cum fratribus suis, & Priorissa cum suis sororibus, Magister autem & director eis deputatus cum vtrisque, in abstinentiis ieiuniis, & austeritatibus aliis in supradictis capitulis contentis, ex causa legitima, & rationabili, cum expedire viderint poterunt dispensare.

De obligatione regulæ huius, & viuendi formulæ.

CAPVT XXIX.

DEmum quemadmodum in cõstitutionibus ordinis fratrum Prædicatorum continetur, ita volumus & ordinamus quod in ista regula seu viuendi formula habeatur, videlicet quod præter diuina, & Ecclesiæ præcepta atque statuta in ea contenta, in reliquis huiusmodi regulæ constitutionibus siue ordinationibus fratres & sorores ad culpam nullatenus obligentur, sed solum ad pœnam, quæ cum à Prælato vel Magistro continget ex quauis transgressioni imponi, per transgressorem humiliter & promptè suscipiatur, & similiter opere perficiatur cooperante gratia Domini, & Redemptoris nostri Iesu Christi qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

De modo, & ordine recipiendi fratres & sorores de pænitentia B. Dominici ab habitum prædicti ordinis, qui communiter obseruatur.

CAPVT XXX.

EST sciendum quod postquam homo recipiendus fuerit diligenter examinatus ab ipsis fratribus de pœnitentia B. Dominici professis & à Magistro ipsorum receptus, & acceptatus, secundum quod in regula, & in expositione eiusdem quantum ad fratres apparet. Tunc siue in die capituli ordinarij quod fit quolibet mense semel: siue in alia die ad hoc per ipsum Magistrum instituta, congregatis fratribus aliis de ordine Prædicatorum cum ipso Magistro seu directore ac aliis quibuscunque honestis viris adesse volentibus apud Ecclesiam fratrum Prædicatorum, & ante altare constitutis, siue de mane siue aliam decenti hora secundum quod opportunitas ipsa requiret. Idem Magister prædictus vel al-

ter pater sui ordinis cui ipse commiserit, locabitur ante altaris medium cum facie versa ad fratres & personas alias circumstantes, & habitu illius qui debet indui super dextro altaris posito, & duobus etiam cereis accẽsis super altare positis, ipse induẽdus venire debet ad gradus altaris ante pręsentiam dicti Magistri, & cum sic venerit debet genuflectere & Magistro interrogãte. Quid petis, debet manibus cancellatis deuotè & humiliter respõdere, Misericordiam Dei & vestram, siue in latino siue in vulgari sermone. Ipse vero Magister illud quod pro tunc dicendum iudicauerit, dicet. Et vbi induendus sumpto habitu debeat immediate aut modicum post profiteri, prout in quarto capitulo supradictæ regulæ, & expositione ipsius quo ad fratres apparet, benedicet habitũ induendi secũdum quod habetur in tertio capitulo regulæ supradictæ dicendo in bona voce. Ostẽde nobis Domine misericordiam tuam. Et frater vel fratres. Et salutare tuum da nobis. Et Magister, Dñs vobiscũ Et fratres. Et cum spiritu tuo. Et Magister Oremus. Dñe Iesu Christe qui tegimen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensæ largitatis tuæ abundantiam, vt hoc genus vestimentorum, quod sancti patres ad innocentię & sanctitatis indiciũ ferre sanxerunt, ita benedicere ✠ digneris vt qui hoc vsus fuerit, te inducere mereatur Christũ Dñm nostrum. Amen. Quo facto Magister aspergat habitum & etiam ipsum induere debentem habitum aqua benedicta. Et sic induendus illum deuote suscipiens depositis secularibus vestibus, à Magistro ipso habitu induetur. Et dum Magister eundem sic stantem ante se genibus flexis induit mittendo ei clamydem nigram, siuè induendo ipsum clamyde nigra, dicet Veni creator Spiritus. Et fratres assistentes, & alij clerici, si qui adessent, vertendo se versus altare prosequentes dicent in bona voce hymnum. Veni creator spiritus. Et consimiliter Magister cum receptum induerit, vertet se ad altare genuflectẽdo, prosequendo, atque dicendo cum eis, Mentes tuorum visita, Imple superna gratia, Quæ tu creasti pectora. Quo primo versu dicto surgere debent omnes, & Magister debet stare, & vertere se ad circunstantes, alij verò contra se inuicem & sic dictum Hymnum pariter cõplere debent. Quo finito Magister dicet, Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison Pater noster, cum fratribus voce submissa. Et cõsequenter in bona voce sicut supra, dicet Et ne nos inducas in tentationem. Et frater siuè fratres, & si

qui clerici fuerint assistentes respódebunt, Sed libera nos à malo. Et Magister. Emitte spiritū tuum & creabuntur. & illi. Et renouabis faciem terræ. Et ille, Saluū fac seruum tuum. Et illi. Deus meus sperantem in te. Et ille. Dn̄s vobiscum. Et illi. Et cum spiritu tuo. Et ille. Oremus. Deus qui corda fideliū sancti spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere. Prætende Dn̄e famulo tuo dexteram cœlestis auxilij, vt te toto corde perquirat, & quæ digne postulat assequatur, per Christū Dn̄m nostrū. Amen. Deinde Magister aspergat fratrem nouiter indutum aqua benedicta. Qui tamen Magister in casu quo plures essent induendi, debet in supradictis orationibus & locutionibus semper vti numero plurali, & non singulari. Deinde vbi videatur Magistro & fratribus, quod frater indutus tunc ad professionem recipiatur; poterit tunc profiteri, secundum quod in quarto capitulo regulæ, & in expositione eiusdem quantum ad fratres pertinet, continetur hoc modo. Quod Magistro porrigente manus suas profiteri volenti, & ipso profitente mittente manus suas in manibus magistri ad maiorem suæ professionis firmitatem, dicat tunc in bona voce intelligibili & expressa. Ad honorem Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & beatissimæ Virg. Mariæ, & B. Dominici. Ego frater N. coram vobis fratre N. Magistro, & coram vobis Priore, aut Supriore, seu Vicario fratrum ordinis de pœnitentia S. Dominici, talis loci, facio professionem, & promitto me velle viuere de cætero secundum formam & regulam eiusdem ordinis de pœnitentia B. Dominici vsque ad mortem, Vel potius fiat in vulgari pro maiori euidentia.

De famulis fratrum. CAP. XXXI.

EXtendūtur ita priuilegia nostro ordini cōcessa, vt & serui siue famuli in obsequiis fratrum commorantes aliqua de illis participent, quæ referenda sunt.

Innocentius IV. in suo priuilegio 4. concedit eis vt possint à fratribus quibus seruiunt Sacramenta percipere, & hæc sunt eius verba.

Cæterùm vt his qui vestris immorantur obsequijs, diuinæ intuitu pietatis, quod in salutem animarum vertetur, de vestris manibus assequātur (& loquitur Magistro ord. Prioribus, & fratribus) vobis de speciali gratia indulgemus, vt eis liberè cuncta ministrare possitis Sacramenta Ecclesiastica, & eosdem cum decedunt in vestris cæmeterijs sepelire.

Nicolaus V. suo priuilegio 4. extendit hanc facultatem ad omnes cohabitantes nobiscum etiam deuotionis gratia per hæc verba.

Nos prædecessorum nostrorũ in hac parte vestigijs inhærentes, Magistri & Procuratoris precibus inclinati, Magistro, Prioribus, & fratribus vbilibet constitutis, omnibus & singulis personis infra septa & clausuram pro tempore commorantibus, quoties opus fuerit sacraméta Ecclesiastica liberè & licitè, sicuti illis qui in eorum seruitijs insistũt, ministrandi, & eas post earum decessum in eorum cæmeterijs sepeliendi, diœcesani loci aut alterius cuiuscunque super hoc minimè requisita licentia, plenam & liberam concedimus tenore præsentium auctoritate apostolica facultatem, Non obstantibus &c.

Et in enarratione petitionis Magistri & Procuratoris prædictæ, magis explicat de quibus personis intendat loqui dicens.

Cum autem, sicuti ea petitio continebat, persæpe in diuersis domibus & Conuentibus dicti ordinis contingat nonnullos Christi fideles causa deuotionis infra septa & clausuram domorum huiusmodi cohabitare &c.

In Mari magno Sixtus IV. concessionem prædictam circa eos qui in nostris obsequijs morantur refert, & approbat ac confirmat.

Innocentius VIII. ad hoc fauorem hunc magis extendit pro congregatione Lombardiæ, vt apparet in suo priuilegio vnico per hunc modum.

Cum verò habeatis quamplurimos vobis obsequentes, ad quos huiusmodi indultum extẽdi desideratis, vestris in hac parte supplicationis inclinati, priuilegia huiusmodi ad quaslibet personas, fratribus & monialibus dictæ congregationis communiter vel singularibus personis obsequia impendentes, etiam si eorũ agros colant, aut greges pascant, vel ad modicum aut longum tempus conducti, aut alias seruitijs illorum dictæ cõgregationis occupati sint, dummodo operas diurnas non exerceant, tenore præsentium extendimus, ac vobis, & dictæ congregationis fratribus, vt præfatis personis extremæ vnctionis, confessionis, & Eucharistiæ Sacraméta etiam in Paschate Resurrectionis ministrare liberè & licitè valeatis, Apostolica auctoritate cõcedimus. Et vos à censuris, & pœnis si quas incurreretis huiusmodi personis sacraméta ministrãdo ac eorũ cadauera in cæmeterijs vestris sepeliendo, eadẽ auctoritate absoluimus, & vos absolutos esse declaramus.

Notat etiam Rodericus quæst.67.tom.2.regul: quæst. fratres audientes confessiones famulorum, & aliorum præfatorũ, & eos absoluentes, debere habilitari ab Episcopis ad audientiam confessionũ, iuxta decretum concilij sess.23 cap.16. vbi decernitur nullum posse audire confessiones sæcularium, nec ad id idoneum reputari, nisi ab Episcopo idoneus iudicetur.

Ex capitulo generali Bononiæ celebrato Anno Domini 1615. post editum in lucem hoc summarium constitutionum addita sunt quæ sequuntur.

De Celebratione Missarum.



OMni septimana sacrosancti Eucharistiæ sacraméti formæ, etiã quæ sæcularib. porrigi solẽt, qua par est reuerẽtia renouentur.

De officio Ecclesiæ.

QVoties sacerdos ad thurificandum Altaria cappa seu pluuiali indutus procedit, stolam deferat.

Diebus sabbathi in Virginis Mariæ honorem ordinis nostri Aduocatæ, litaniæ de eadem post Salue Regina decantentur.

Octauæ solemnes sanctissimi Rosarij mense Octobri celebrentur, ita tamen vt memoria de Angelis non prætermittatur.

Districtè præcipimus conscientiam prælatorum aggrauando, vt musicæ in Ecclesiis nostris moderatissimè fiant, neq; liceat eisdem musicis seriem diuini officij cōtra præscriptum ordinarij nostri truncare vel immutare.

Præcipimus sub pœna grauioris culpæ tam prælatis quam subditis, vt spectacula tam religiosa quam profana seu qualcumque repræsentationes in Ecclesiis nostris & cæmeteriis nullo modo fieri permittant.

In diebus cœnæ domini & parasceues ante sepulchrum vbi sacratissimū Christi corpus asseruatur, à nostris fratribus cum deuotione & religiosa grauitate vigiliæ fiant, prout in multis capitulis generalibus ordinatum est, & idem diligentissimè seruari volumus quoties sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum publicè adorandum proponitur.

Confirmamus & strictè obseruari volumus odinationes in capitulis generalibus, Romano 1571. & Barchinonensi 1574. factas, vt publice à solis sacerdotibus conciones habeantur.

De professis alterius Religionis non recipiendis.

DEcernimus & declaramus, vt si quis fratrum nostrorum ex nostro ordine in alium comigrauerit, & denuo eo relicto ad nostrum rediens receptus fuerit, à tempore quo reuertitur ad nostrum ordinem, numerus annorum & antiquitas ratione loci illi computentur.

De vestitu.

HOrtamur omnes fratres ordinis nostri, vt in deferēdo habitu sint vniformes, & volumus vt omnes Patres & Fratres nostri Ordinis, cuiuscumq; gradus & conditionis existant, translati vel assignati ad aliquas prouincias, deferant habitum more illarum Prouinciarum, Româ exceptâ.

Pro Prouincialibus.

NVllus omnino Prouincialium inconsulto Magistro ordinis contributiones pro sui officij vsu & necessitatibus in prouincia augere valeat, expensas vero extraordinarias pro communi bono Prouinciæ de consilio capituli Prouincialis aut patrum Prouinciæ .i. magistrorum Prouinciæ & eorum qui fuerunt Prouinciales constituere poterit.

Mandamus omnibus Patribus Prouincialibus, Prioribus, ac præsidentibus conuentuum & locorum nostrorum, vt diligenter inuigilent quatenus sacristæ in omnibus conuentibus, Patrum & fratrum nostri ordinis, Immo & sæcularium sepultorum siue in Ecclesia siue in Cæmeteriis & claustris nostris, nomina, loca, & tēpora in libro ad hoc præparato describāt. Litteræ Pontificiæ, quibus ordini nostro priuilegia cōceduntur vel, quibus à Magistro Ordinis singularia per necessaria Prouinciis aliquibus præscribuntur, perpetuo conseruentur. Mandamus igitur PP. Prouincialibus quatenus de consilio Patrum suarum Prouinciarū vnum vel duos Conuentus primarios pro huiusmodi litteris conseruandis designent, in quibus conuentibus omnes Prouinciales finem suis officiis imponentes de scitu Patrum Prouinciæ tales litteras reponere teneantur.

Omnes Prouinciales scripta omnia virorum Illustrium defunctorum

vel prælo mandent, vel si id fieri nequit, charactere bono describi, & in librariis reponi curent.

Declaramus quod consilium Patrum cuiuscumque conuentus nullam prorsus habet supra Priorem Conuentus & multo minus supra Prouincialem eiusdem Prouinciæ Potestatem quocumq; abusu non obstante, præsertim autem damnamus paucos illos Conuentus, qui Prouincialem suum in eisdem Conuentibus, excepto visitationis tempore, tanquam Prouincialem recipere noluerint, ad Cōsilium Patrum eorundem Conuentuum appellantes. Declarantes quod quemadmodum Prior Prouincialis in ordine nostro caput est suæ prouinciæ, ita etiam Prior Conuentualis sui Conuentus & omnium Patrum tam à consiliis quam aliorum. Vnde si Priores conuentuales in aliquo defecerint, debent subditi eorum ad Prouincialem recurrere. Contra facientes autem pœna contumacibus & conspiratoribus præscripta puniantur.

De lectoribus & prælectionibus.

LEctores actu legentes non fungantur officio concionatorum relicto suo munere in quadragesima, quod si hoc ex causa rationabili per Prouincialem alicui lectori concessum sit, non ipse lector sed Prouincialis lectorem alium qui eius vices gerat durante absentia prædicti lectoris substituat. Alias si id fieri non potest vt alius lector pro eodem tēpore habeatur, talis lector concionibus vacare non poterit, Prouinciis desolatis dumtaxat exceptis.

Lectores D. Thomam sequantur &c. Idem confirmatur in capitulo Bononiensi 1615. vbi id mandatur sub pœna priuationis vocis actiuæ & passiuæ & omnium officiorū graduum & inhabilitationis perpetuæ ad omnes gradus suscipiendos. Et additur propter commentatorum varietatem vt illa relicta in Philosophicis quidem Aristotelem eius textum Commentariis patrum nostri ordinis explicando, in Theologicis vero doctrinā S. Tomæ vt est in littera singulariter specifice & expresse nedum quantum ad ipsam substantiam, sed etiam quantum ad verba exactissime proponant explicent doceant & defendant tam in publicis quam in priuatis disputationibus repetitionibus aliisque scholasticis exercitiis. Ita vt si fieri possit textum D. Thomæ integrum memoriæ mandent, & eiusdem loquendi modo stylo ac verbis assuescant. Insuper Commentaria Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Cardinalis Caietani proponant.

Omnes lectores in prælegendo à festo S. Crucis vsq; ad festum S. Mariæ Magdalenæ vel S. Ioannis Baptistę ad minus perseuerent, prælectioni vero singulis diebus horæ vnius & repetitioni seu conferētiæ alterius horæ tēpus præscribimus, ita tamē vt aliæ ordinariæ disputationes non prætermittātur.

Regentes, Bacchalaurei, Magistri studentium, cæteriq; lectores actuales (vnica tantum eundi ad capitulum Prouinciale, quamdiu vocales fuerint, vel pro pubblicis disputationibus aut concionibus in eodem capitulo habendis occasione excepta) studij & lecturæ curam per aliquod spatium temporis notabile, vt puta per mensem, sub pœna priuationis officiorum suorū non deserant. Monemus autem PP. Prouinciales vt non nisi ex gra-

uiſſimis cauſis tam Priores quam lectores eorumq; diſcipulos à ſuis Conuentibus abeſſe permittant.

De ſtudentibus.

SVb pœna abſolutionis ab officio iniungitur omnibus Prouincialibus & Prioribus, ne fratres ratione ſtudij mittant extra ordinem, ſub eadem quoque pœna præcipitur ijſdem, vt ſi qui fratres ſcholas aut gymnaſia extra ordinem frequentant, ſtatim reuocentur, neq; vllus Prior quouis quæſito colore aut prætextu eos ibi detinere valeat.

Nulla ratione fratres etiam ſacerdotes admittantur ad ſtudium Theologicum niſi prius perfecte philoſophiam audierint.

De nouitijs profeſſis.

COnfirmamus ſæpius ordinatum, vt nouitij etiam profeſſi maneant in domo Nouitiorum vſque ad ſacerdotium.

De Bibliothecis.

BIbliothecæ in omnibus noſtris conuentibus alicui ex grauibus Patribus committantur, pro quibus ſecundum poſſibilitatem taxandam per Capitula Prouincialia libros emere præſertim auctorum noſtri Ordinis tam antiquiorum quam recentiorum ipſi Conuentus tenebuntur.

De Itinerantibus & eorundem licentijs.

ADonemus RR. admodũ P. Prouinciales, vt non niſi ob cauſas grauiſſimas in litteris cũ pręſcripto tẽpore expreſſas & cum ſocio cõpetenti fratribus ſuarum prouinciarũ in alias prouincias licentiam eundi cõcedant.

De Conuerſis.

VBi eſt conſuetudo recipiendorum tertiariorũ ſtatuimus, vt nullus ad habitum conuerſorum recipiatur, niſi prius per annos duos in habitu tertiarij conuentui inſeruierit, vt ſic ſpiritus atque vires eorum probentur, vbi vero non eſt conſuetudo recipiendi tertiarios ordinamus, vt recepti ad habitum conuerſorum, primo duobus annis integris eundem habitum cõuerſorum deferant, deinde poſt biennium annus tertius in eodem habitu pro probatione illis aſſignetur.

Non recipiantur ad habitum clericalem &c. Idem confirmatur Bononiæ 1615. vbi additur, quod ſi quis vel per ſe vel per alium ſibi habitum clerici dari procurauerit, & de eo conuictus fuerit, ſcapulari per ſex menſes priuetur, conuentumque per annum pro carcere habeat.

De Appellationibus.

NVllus ſub pœnis in capitulo Romæ 1612. circa idem taxatis, ſiue per ſe ſiue per alium ſæcularẽ vel noſtri ordinis fratrem cuiuſcumq; gradus aut cõditionis exiſtat, in curia Romana quidquam ſine ſcitu Reuerendi Admodum Patris Procuratoris generalis ordinis tractare vel procurare audeat.

De Monialibus.


COncedimus omnib. noſtri ordinis ſororibus, vt in matutinis precibus lectionem quæ in pretioſa recitari ſolet de cõſtitutionibus, quę earum ſunt propriæ deſumant, quatenus ea quæ pro earum religioſa cõuerſatione obſeruare oportet in auribus earundem perpetuo verſentur.

LAVS DEO B. MARIÆ V. ET B. DOMINICO.

ACTA CAPITVLI GENERALIS VLYSſipponæ in Conuentu ſancti Dominici Ordinis Fratrum Prædicatorum, celebrati in feſto S. Pentecoſtes, 3. Iulij 1618. ſub RR. P. Fr. Seraphino Sicco Papienſe, ſacræ Theologiæ Profeſſore, Magiſtro generali totius Ordinis Prædicatorum.

In nomine ſanctiſſimæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus ſancti, & Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & Beati Patris noſtri Sancti Dominici, omniumque ſanctorum & Sanctarum Dei.

INCHOATIONES.



INCHOAMVS vt primus verſus hymni *Aue maris ſtella*, flexis genibus in choro dicatur.

Inchoamus, vt in Eccleſijs noſtris ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum in vno tantum altari (maiori videlicet) aſſeruetur. Quod ſi ob miniſtrandam populo ſacram Communionem ſit in aliquibus Prouinciis inducta iamque approbata Conſuetudo, vt idem ſacramẽtum in alio etiam ſacello & altari cuſtodiatur: Mandamus vt eidem ſacro miniſterio Pater aliquis ex antiquioribus deputetur qui ſemper ſit paratus audiendis ſæcularium confeſſionibus & ſollicitè (quod ei in meritum ſanctæ obedientiæ præcipimus) procuret vt dictum ſacellum & altare debito cum ornatu & decoro conſeruentur.

Confirmationes.

CONfirmamus omnia acta Capituli Generalis proximè Bononiæ præhabiti, niſi forte aliquid per acta huius Capituli pro temporis opportunitate ſit moderatum vel innouatum.

Confirmamus ordinationem illam vt in miſſis etiam priuatis paulo ante conſecrationem diuiniſſimi ſacramenti cereus accendatur.

Confirmamus id quod alias in Capitulo Salmanticæ 1551. ſtatutum eſt, & Romæ 1571. ſuggerente etiam ſanctiſſimo Domino innouatum, vt videlicet nouitij non niſi in maioribus & grauioribus Conuentibus & vbi in rei veritate viget regularis obſeruantia non in minori quam ſenario numero inſtituantur. Quod ſi in minoribus Conuentibus fuerint aliqui recepti ſtatim ad grauiores Conuentus mittantur educandi, ibique pro Conuentu, in quo, ſiue pro quo habitum ſuſceperunt profeſſionem facturi, quæ omnia & ſingula in multis præterea Capitulis generalibus confirmata fuerunt.

Confirmamus ordinationem Capituli Valliſoletani 1605. qua in hunc

modum cautum est; Libertati electionum, quam tantopere sacra Tridentina Synodus commendauit, consulere volentes: strictissime mandamus obseruari quod in Capitulo generali Bononiæ 1564. statutum fuit: Ne videlicet Prouinciales in singulis electionibus aliquos eligendos ipsis electoribus proponant, nisi specialis & vigens necessitas id postulauerit, & non alias, tuncque non pauciores quam tres proponãtur: Addentes quod ijdem Prouinciales nullomodo Priores electos confirmẽt, vel cassent, nisi de grauiorum Patrum consilio & per eorum vota secreta, scilicet per calculos albos & nigros.

Confirmamus declarationem sæpe alias factam & glossæ constitutionum nostrarum distinctione 2. cap. 2. insertam, eos videlicet non posse eligi in Priores, qui Chorum, Dormitorium, Refectorium, & cõmunia prout decet, sequi non valent, Addentes insuper decretum fœlicis recordationis Clementis Papæ 8. in quo habetur vt ad officia gradus & prælaturas illi præcipue eligantur, qui possint & consueuerint Regulas Ordinis, & constitutiones obseruare, præsertim quæ pertinent ad seruitium Chori ac vestitum & victum communem.

Confirmamus id quod in pluribus Capitulis ordinatum, præcipuè vero Valentiæ 1596. ad memoriam reuocatum est, vt videlicet Magistri Baccalaurei & lectores memores sint eorum quæ habentur in declaratione nostrarum Constitutionum dist. 2. de studentibus circa doctrinam gloriosissimi Doctoris nostri Angelici D. Thomæ Aquinatis, quam legere, declarare, sustentare & defendere tenentur, contrarium vero facientes officio Lectoratus & quocumque alio Officio gradu & dignitate perpetuo sint priuati.

Confirmamus ordinationem disponẽtem vt studentes extranei peracto triennij studio ad suas prouincias reuertantur, reuocantes hoc decreto omnes Licentias hactenus concessas remanendi in studio generali vltra triennium, & aggrauantes superiorum conscientias quatenus hoc inuiolatè obseruari procurent.

Confirmamus Ordinationem in quam plurimis Capitulis generalibus stabilitam & tamdem in Capitulo Parisiis 1611. repetitam & confirmatam his præcisis verbis. Quod nullus sub pœnis in Capitulo de grauiori culpa contentis ac etiam sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, hac vna pro trina canonica monitione præmissa, cuius absolutio Magistro Ordinis reseruatur) directe vel indirecte diuisionem Ordinis aut institutionem Vicarij Generalis Indiarum quouis prætextu audeat vel præsumat procurare.

Declaratio.

DEclaramus quod Priores biennales qui post Dominicam in Septuagesima sui Officij tempus explerent in eo nihilominus perseuerent vsquequo proximum sequens Capitulum prouinciale eiusdem anni fuerit celebratum.

Ordinationes.

ORdinamus vt oleum sanctum in ecclesia vel sacristia loco decenti & peculiariter ad hoc constructo apposita propria inscriptione, num-

quam vero in tabernaculo, vbi SS. Christi corpus adoratur, conseruetur.

Ordinamus vt in omnibus Sacristiis nostris, vel (si minus capaces illæ fuerint) alio sacro loco ipsis contiguo oratoria aliqua decenter præparata construantur, vbi Patres sacerdotes celebraturi sacra præmissa confessione & præuia oratione dignè & commode se disponere valeant.

Ordinamus & districte præcipimus Patribus Confessoribus sub pœna suspensionis ab audientia Confessionum, vt ob tanti decentiam sacramenti mulierum Confessiones semper ex Confessionalibus per minuta laminæ ferreæ vel alterius solidæ materiæ foramina excipiant, nunquam vero extra Cõfessionalia, neque aperta facie. Quod si qui hanc ordinationem & mandatum violare præsumpserint, mandamus Patribus Prioribus eorum conscientias aggrauantes, vt eadem suspensionis pœna tales inobedientes puniant.

Ordinamus vt vnus tantùm Confessarius ordinarius cuique Monasterio Monialium deputetur, vel duo ad summum, si ob multitudinem Monialium id necesse fuerit, extraordinarius autem Confessarius eisdem Monialibus offeratur bis aut ter in anno, iuxta decretum sacri Concilij Tridentini.

Ordinamus ne quis ratione nouæ assignationis possit eodem anno duos eligere Priores, nec socios pro Capitulo prouinciali, exceptis Regentibus, Lectoribus, & studentium Magistris, qui studiorum promouendorum intuitu aliis Conuentibus assignati fuerint, & etiam Supprioribus de nouo institutis. Quæ tamen exceptio non intelligatur de Lectoribus casuum conscientiæ.

Admonitiones.

ADmonemus omnes nostri Ordinis Fratres, vt omnino seruent decretum à Sanctissimo Domino nostro emanatum, quo prohibentur regulares accedere Romam sine licentia Magistri Ordinis, sub pœna priuationis vocis actiuæ & passiuæ & carceris formalis per sex menses.

Admonemus omnes & singulos nostri Ordinis Fratres tam Prælatos quàm subditos, vt accurate perpendant decretum à fœl. record. Gregorio 13. emanatum, quod Clemens Papa 8. confirmauit & extendit, & demùm Sanctissimus Dominus noster Paulus Papa 5. sic extentum innouauit & roborauit, quo mandatur in virtute sanctæ obedientiæ omnibus nostri Ordinis Prælatis, ne ad instãtiam quarumcumque personarum extra nostrum Ordinem constitutarum quacumque dignitate & excellentia fulgentium cuiuis nostri Ordinis Religioso vllam remittere pœnam aut gratiam concedere, vllósue gradus, dignitates, officia, administrationes, functiones, seu prælaturas conferre audeant. Quicumque autem eiusdem nostri Ordinis Religiosi qui per huiusmodi mendicatos fauores aliquid ex prædictis sibi procurauerint, vel sibi sponte ad instantiam & contemplationem dictarum personarum oblatum receperint, vel ad hunc effectum munera aliqua impenderint, ad talia & similia ac etiam maiora consequenda inhabiles Apostolica auctoritate declarantur, ideoque omnes securitati suæ conscientiæ prospiciant.

Admonemus PP. prouinciales ne faciles sint in eiiciendis Religiosis ab Ordine, sed considerent quid sibi velit hominem à Religione expellere. Potius autem seruent quod traditur in declaratione capituli de grauiori culpa, vt scilicet ipsi Prouinciales cum Diffinitoribus, vel cum quatuor prouinciæ Patribus aut aliis qui Diffinitores fuerint, facinorosos puniant etiam pœna triremium. Numquam verò ob quodcumque crimen aliquem habitu exuant, & à religione expellant, nisi seruata præcisa & integra forma nostrarum Legum & Constitutionum, & de grauissimorum & doctissimorum Patrum maturo consilio per vota secreta.

Admonemus RR. PP. Prouinciales ne ad absolutionem Priorum quoquomodo ipsis inauditis procedat, sed adhibito consilio duodecim Patrum ex grauioribus, vel si non suppetat numerus octo ad minus de eorum voto secreto & non aliter causam decernant.

Admonemus omnes Fratres nostri Ordinis tam Prælatos, quàm subditos, vt memores sint eorum quæ continentur in nostris Constitutionibus dist. 1. cap. 18. textu 5. Quod videlicet quicumque crimina Fratrum sæcularibus personis extra obedientiam nostri Ordinis constitutis reuelauerint, vnde Fratri vel Ordini infamia vel damna fuerint subsecuta, carcerali custodiæ mancipentur, & quod huiusmodi Ordinis destructores non nisi per Magistrum Ordinis vel per Capitulum generale possint liberari. Præcipimusque omnibus Prælatis & prouinciarum seu Conuentuum præsidentibus vt huiusmodi delinquentes pœnam in prædicta constitutione taxatam irremissibiliter subire compellant.

Admonemus omnes Patres Prouinciales & Priores, quibus Monasteriorum Monialium cura incumbit, vt procurent strictissime obseruari S. Concilij Tridentini decretum, quo cauetur ne sanctissimum Christi corpus intra chorum, vel septa Monasterij Monialium conseruetur, nonobstante quocumque indulto seu priuilegio.

Admonemus A. RR. PP. Prouinciales & prouinciarum Vicarios, & quoscumque Capitulorum Diffinitores, conformiter ad ea quæ in pluribus Capitulis generalibus, & præsertim in Capitulo generali Romæ celebrato anno 1589. sancitas declarata, & Parisiis 1611. ad memoriam reuocata sunt, non esse in potestate alicuius prouinciæ prætextu cuiusuis consuetudinis aut priuilegij non acceptare acta seu statuta Capitulorum generalium, sed omnes & singulas prouincias, decretis & ordinatis in eisdem Capitulis ita subiectas esse, vt vnaquæque earum teneatur ipsa acta in vnoquoque Conuentu publicare, acceptare, & inuiolabiliter obseruare, vtpote pro communi bono prouinciarum Conuentuum & Fratrum facta. Et (quatenus opus esset) auctoritate Apostolica reuocatam & annullatam fuisse quamcumque consuetudinem aut quodcumque aliud in contrarium existens.

Commißio.

COmmittimus R^mo Magistro Ordinis, vt Constitutiones nostras cum declarationibus & appendicibus quas ipse apponi mandauit & nos in hoc Capitulo generali communi consensu approbauimus & acceptaui-

mus quamprimum prælo subiici & in lucem prodire in commune totius Religionis commodum procuret.

Concessiones.

Concedit Reuerendissimus Pater M. Ordinis omnibus & singulis Fratribus suæ curæ subiectis, quod semel eligere possint aliquem patrem sacerdotem ad audientiam Confessionum in nostro ordine expositum qui ipsos possit absoluere ab omnibus censuris casibus & peccatis in quæ ante horum publicationem incurrerint, idem absolutionis beneficium Monialibus conferre poterunt earum ordinarij Confessarij.

2. Concedit idem R. P. M. Ordinis omnibus RR. AA. PP. Diffinitoribus huius Capituli generalis, vt possit vnusquisque eorum aliquem de sua duntaxat prouincia ad pœnas grauioris culpæ ante celebrationem huius Capituli damnatum (si quis fuerit) ad omnes gratias ordinis restituere, si tamen sua humilitate & rectæ vitæ exemplo huiusmodi fauore se dignum præstiterit.

Præcipimus in virtute spiritus sancti & sanctæ obebientiæ sub formali præcepto omnibus & singulis Prouinciarum Congregationum & Vicariarum præsidentibus, vt acta huius Capituli in omnibus Conuentibus suæ curæ subiectis intra duos menses à receptione præsentium legi, publicari, & semper inuiolabiliter obseruari faciant, & saltem quater in anno coram vniuscuiusque Conuentus communitate repeti. Mandantes insuper sub pœna absolutionis ab officio omnibus Prælatis nostri Ordinis, vt trina in quolibet Conuentu haberi curent exemplaria, quorum vnum in communi deposito cum aliis consuatur, alterum habeant Priores seu præsidentes Conuentuum, tertium conseruent Magistri Nouitiorum, ne quis prætextu ignorantiæ eorum quæ piè sancita sunt se possit excusare. Volumus autem vt exemplaribus impressis & sigillo Reuerendissimi Magistri Ordinis munitis eadem vbique fides adhibeatur, quæ ipsismet originalibus esset adhibenda. *In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Amen.*

Præsens copia collata fuit fideliter ad suum originale impressum Hispali apud Franciscum de Lyra 1619. & Sigillo authoritatis Reuerendissimi munitum, ijs omissis quæ singulas Prouincias sigillatim spectant.



INDEX NOTABILIVM.

FINIS.